PRESENTED

TO

THE UNIVERSITY OF TORONTO

BY

THE UNIVERSITY OF STRASSBURG,

GERMANY.

JANUARY 10TH, 1891

LL
S3673R

IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI
(REGII FRANCIAE HISTORIOGRAPHI)

OPERA ORATORIA


PANEGYRICI ORATIONES ALLOQUIA
PROGRAMMATA INSCRIPTIONES ALIA.

RECENSUIT PRAEFATUS EST
VITAM AUCTORIS
ADIECIT
FRIDERICUS DOMINICUS RING
SER. PRINC. MARCH. BAD. DURL. A CONS. AULAE.

VOLUMEN PRIUS.

AUGUSTAE VINDELICORUM
SUMTIBUS CONR. HENR. STAGE BIBLIOPOLAE.
MDCCLXIX.

12119
13/1/91



QVI

quae. TUA. *eſt. ſingularis*

in. tanto. faſtigio

ſed. nata. TECUM. *et. in.* TE. *derivata*

ex. SERENISSIMIS. PARENTIBVS

Humanitas

quaerere

quaerere. ex. me. toties. conſueuiſti

cur

quod. fecerunt. faciunt. que

magno. numero. alii

nullum. vnquam. Scriptum

TVO. ego. NOMINI

adhuc. inſcripſerim

en. TIBI. tandem

lentum. quippe. nomen. ipſe. ſum

et. ſteriles. dominantur. auenae

in. fundo. proprio

decerptos. ex. alieno. flores

inſcriptos. Nomina. Regum

et. depromtos. maturos. fructus

en. TIBI. inquam

dicata

SACRATISSIMO. NOMINI. TVO

Schoepflini. TVI. Opera. Oratoria

SERE-

SERENISSIME. CELSISSIME

et. quod. maius. eſt

AMABILISSIME

IVVENTVTIS. PRINCEPS

CAROLE. LVDOVICE

DOMINE. CLEMENTISSIME

TERRARVM. BADENSIVM

et. quod. iterum. maius. eſt

VIRTVTVM. *non. dico.* AVITARVM

ſed. quae. illarum. omnium

complexus. ſunt. et. complementum

PATERNARVM MATERNARVM. QVE

H E R E S

PARENTVM. AVGVSTORVM

Patriae. Populorum. Tuorum

Noſtrum. omnium. Bonorum. omnium

Delicium

o. Spes. et. dulce. Decus. noſtrum

Amas. a. teneris

MELLITISSIME. PRINCEPS

qui. TVVM. in. hac. aetate

in. addiſcendis. bonis. Literis

ardorem

toties. non. excitauit

ſed. miratus. eſt

Virum. Summum. Schoepflinum

de. DOMO. TVA. et. MARCHIA. TVA

ſua. Patria

tam. praeclare. meritum

Amas. et. me

quem. a. prima. infantia

Studiorum. indiuulſum. comitem

habuiſti

Amant. TE. viciſſim. Superi

quorum. in. TE. collatum. ſuperne

donum. eſt

praeter. alia. innumera

ede-

coeleſtis. ille. quo. tantopere. places

GENIVS. TVVS

et. excelſa. illa. quae. tanta. nos

de. TE. *ſperare. jubet*

INDOLES

quorum. que. in. nos. etiam. fauoris

TE. *pignus. certiſſimum*

habemus

et. Palladium. vtinam. habeant

Marchicae. Terrae

aeternum

Vides

OPTIME. PRINCEPS

PRINCIPVM. OPTIMI. DIVA. PROGENIES

quam. TE. *in. ſinu. geram*

et. toto. pectore. foveam

NO-

N O M I N I. T V O

ſerae. olim. poſteritati

non. fallit. augurium

adorando

nobis. amabili. amato. que

devotiſſimus. obſequioſiſſimus

T V I

TVARVM. QVE. RERVM

dum. ſpiritus. hos. reget. artus

ſtudioſiſſimus

FRIDERICVS. DOMINICVS. RING.

LECTV-

LECTVRIS

FRID. DOMINIC. RING

SALVTEM.

Quos olim ſingulos, non ſine ſumma voluptate, vel cum dicerentur, audiuerunt vel cum typis exſcripti eſſent, legerunt mecum multo plurimi, PANEGYRICOS CHRISTIANISSIMO REGI LVDOVICO XV. ab Illuſtri Viro IOANNE DANIELE SCHOEPFLINO Argentorati, iuſſu publico, dictos quosque vt in vnum tandem Volumen collectos relegere et legere omnes

poſſent,

poſſent, mecum iidem ſummi ordinis et loci Viri multoties optauerant; hos vniuerſos Vobis ſiſto, Lectores, Veſtrisque et aliorum, qui non niſi fando forte de illis audiuerunt, deſideriis ſatisfacio. Rem omnibus, qui has literas amant, non ingratam me feciſſe lubens mihi perſuadeo, perſuaſurus et Vobis, ſi quidem tali perſuaſione opus eſſe vel Vobis vel mihi videretur. Longo hinc labore longeque quaeſitis verborum blandimentis, quibus commendare illos poſſem, ſuperſedeo. Delectabit, ſpero, eorum vel prima vel repetita iectio illos omnes, qui vel ferre de illis iudicium poſſunt et quanta illis ſingulis et omnibus inſit artis oratoriae vis et accommodate ad perſuadendum dicendi peritia decernere, vel qui formare demum ex illis iudicium ſuum volent, quidque cuique loco et tempori dicere aptum ſit, diſcere exinde et cognoſcere. Deprehendent vtrique quod mirentur amentque et felix ingenium, cui nunquam, quae ornate diceret, defuerunt et maturum iudicium, quod nunquam non, quae conuenirent, promeret et creſcens cum annis et experientia verborum et periodorum pondus, ſtili grauitatem maieſtatemque. Animaduertent vbique vbertatem, ſuperabundantem etiam, varietatemque in eodem argumento toties tractando miram vtique et fecundam; gratiam et lepores ſermonis, vim et neruum rebus dicendis indendum vix vnquam deſiderabunt, nunquam parum pro re nata aut parum digne ac de-

center

center verba facientem inuenient. Inuenient tamen etiam, qui conferre illum BVCHNERIS, BERGERIS, PORAEIS, KVHNIIS, SCHWARZIIS, GESNERIS, magno numero aliis voluerint, quid vel ille vel illi preſſius, ornatius, melius dicere debuiſſent habebitque haec collatio inſignem apud illos vſum, qui exercere hac in palaeſtra ſuas vires, poſt tanta exempla, olim vel induxerunt animum vel vt inducant olim per rerum circumſtantias adduci poſſent. Obſeruationum huius et alius cuiuscunque generis ſaturam illis colligendam ego non inuitus relinquo; meum eſt, in praefatione hac pauca in genere, pauca dein ad ſpecialiora cum ventum erit monere, quae huc facere et e re mea eſſe iudicavero.

Deleuiſſem equidem, vt hoc primo loco moneam, addidiſſem, mutauiſſem hinc inde aliquid, vel verbum vel loquendi formulam vel integram periodum, ſi quam mihi lubens et ingenue dederat SCHOEPFLINUS, poteſtate vti in alieno opere voluiſſem. Nolui vero, cum intereſſe Lectorum putauerim, noſſe non quomodo aut Ille nunc locuturus eſſet aut vel ego vel alius illum tunc locutum eſſe voluiſſemus, ſed quomodo locutus ſit; temerarium arbitratus, priora ex poſterioribus corrigere, iuuenem ad virum et confirmatae aetatis ac famae

Oratorem effingere et priuare Lectores illa voluptate, qua emergere et exſerere ſe ſenſim vident ingenium, fervidum primum et exuberans, viuidum dein at moderatum, diues ſemper et ad extremum ſedatum verborumque copiam cum paucitate grauitateque commutans. Subſiſtant igitur, pauciſſima loca et illum, qui ſolus nunc primum typis exſcribitur, Panegyricum ſi exceperis, ſingula quo primum modo ordinata et qua quaeque dictione fuerunt expreſſa; ſubſiſtat, vt vnum hoc exemplum proferam, illa Aquilae Polonicae cum Sole Francico coniunctio, quam ille loquendi formulam genio ſeculi, qui tum omnes, optimos quosque, occupauerat, dandam putauerat; ſubſiſtant alia his vel leuiora vel grauiora, vt diſcant inde qui volent et poterunt: nihil tam perfectum eſſe, quod vlteriorem limam non admittat, quam cum tempore et aetate noſtris omnes ſcriptionibus admittendam, qui ſapimus, cum Noſtro agnoſcimus. Pergo ad alia.

Ceſſat hodie magna ex parte, cum meliora prioribus tempora ſucceſſerint, vatinianum illud Germanorum aliorumque in Gallos, quod nimis diu ſubſtiterat, odium quodque effecerat, vt illis diſplicerent ſummopere omnia, quae de his praedicabantur laudabilia, quaſi vero nihil, quod laude dignum eſſet, cadere in Gallum quod Gallus eſt poſſet; neminem

minem hinc facile vnum, quod ſecundo loco monendum credidi, adeo hodie infantem fore puto, vt male vertat Oratori noſtro, cauſſam Eum Galliae aduerſus mox Auſtriacos maxime, mox Hiſpanos, Anglos aliosue tutatum eſſe, Galliarumque Regnum, Regem et Populum ſuper alios collocaſſe; cum nemo vnus id aliis vitio vertat, qui vel cum SCHWARZIO CAROLUM VI. Caeſarem vel cum GESNERO GEORGIUM II. Anglorum Regem, vel alium his minorem Principem panegyrica oratione vltra alios ſui ordinis extulerunt et praeclara facinora, quos ſibi celebrandos ſumſerunt Heroum, pietate in ſuos Principes vtique non culpanda ducti, celebrarunt. Peccauit olim hac in re bonus SIMONETTIVS Noſtrumque adulationis non ferendae in viro bono inſimulare, ſui ipſius ſuorumque popularium non bene memor, voluit in ſuo, quem de Viro bono inſcripſerat, libello, ab vſu rerum meliora poſtea, quod non dubitamus, edoctus.

Si qui tamen ſuperſint hinc inde noui maxime homines, qui Gallos, quos nunquam forte aequabunt et quos aequare tamen vsque vellent et perpetuo, ſiniſtre licet, imitantur, quacunque data vel arrepta occaſione, ſiue iam de bellica ſiue de ciuili vel literaria virtute et gloria agatur, exſibilent; quique cum LUDOVICUM et Borboniam Gentem, Regnum, Regem et Populum laudari audiuerint, frontem corrugabunt et detrahere de his laudibus co-

nabuntur, hos exſibilandos viciſſim illis iterum non inuitus relinquo, quibus vacat et qui iuſtum meritis, in omni orbe profecto obuiis, pretium ſtatuere didicerunt, quique amabiliſſimi Populi mores et ingenium, non ex friuolis aliorum ſermonibus, non ex leuidenſibus huius vel illius pagellis, non ex inueterata praeiudicata opinione, ſed ex rei veritate, ex vſu et conſuetudine plurium annorum et ſerio rerum illius ſtudio mecum nouerunt.

Expedita hac duplici, quae vel circa verba et loquendi formulas, quibus vſus eſt SCHOEPFLINVS, vel circa res ab Ipſo in medium allatas moueri poterat controuerſia, paucula et levia ſuperſunt, de quibus monendus eſt Lector. In his illud eſt: Notularum adiiciendarum conſilium vt caperem, re deliberata, tum ob alias cauſſas induci me non potuiſſe, tum propterea quod, qui Panegyricos hos lecturi ſunt, rerum noſtro et noſtrum praegreſſis ſeculis geſtarum gnaros ſupponam et ſi quid ignorent, conſulere de illis libros poterunt, cuivis hodie obuios; ad Grammaticorum vero vel Rhetorum praecepta illos exigere, non mei otii res nec nunc ſit nec fuerit vnquam.

Alterum illud eſt: Operum oratoriorum nomine hanc omnem collectionem inſcribendam nos putaviſſe, quorum tamen non niſi partem conſtituant

Ora-

Orationes panegyricae, priori volumine comprehenſae; comprehendere vero poſterius Orationes Noſtri varii generis alias, parentales, academicas Argentinenſes et Palatinas; ad Reges, Principes et Magnates Alloquia; Programmata ſelectiora et Inſcriptiones magno numero, quas vivis et mortuis, Viris et Feminis, de re vel publica vel literaria bene meritis vel ſponte vel iuſſus vel rogatus ſacras eſſe voluerit SCHOEPFLINUS; juſtumque haec volumen, priori iungendum, conſtituere.

Ceterum Vitam SCHOEPFLINI a me ſcriptam et vt Virorum, in hoc ſcribendi genere iudicum, iudicium experirer, ante biennium vulgatam, ſecundis nunc curis auctiorem, Operi praemiſi. Extet apud poſteros mei in SCHOEPFLINUM animi amorisque hoc qualecunque monumentum cognoſcantque inde ſeri omnes Lectores omnem vitae Eius, quam vixit vivitque adhuc, diuque vt vivat mecum omnes optabunt, rationem; quod non raro facit, vt eum, quem non niſi mirabamur incognitum vel vilipendebamus leviter cognitum aut non parte ſua meliore cognitum, amemus nunc cognitum et vehementius etiam bona illi omnia precemur, quem ex omni parte vtilem reipublicae civem fuiſſe et publico bono natum educatumque videmus eique promovendo immorientem certiſſime, at ſero vtinam! videbimus. Non poenitebit me vnquam has ob cauſſas ſcriptionis huius,

nec

nec eſt quod illius me poeniteat, cum tot illam immerentem elogiis excepe-rint Viri in re tum publica tum literata principes, quorum ſi non plauſus, indulgentiam tamen vt mererer iterata hac editione, omni virium, quae in veterano milite et rude dudum, ſi latinam militiam ſpectes, donato, ſupereſſe poſſunt, contentione allaboravi. *)

Alla-

---

*) Paucula et levia, quae vel corrigenda vel addenda ſerius animadverti, hic ſubiungo:

p. VI. l. 13. poſt verbum *obiret* adde: *A. MDCCXXXIX. luſtris ter quinque completis.*

p. XI. not. lin. 3. loco 4) repone 8).

p. XVII. ad l. 8. poſt *excludens* nota: *lex regia eſt, poſt haec demum tempora lata.*

p. L. l. 13. loco *non ita multo poſt* lege: *iam A. MDCCXXXIX.*

p. LIV. l. 3. loco *LII.* lege: *LIV.*

p. LXII. l. 13. loco *quatuor* lege *duabus.*

p. LXXI. l. 8. loco *quae* lege: *que*

p. LXXVI. l. 7. poſt vocem *tabularia* adde: *quorum XXX. inviſit, opima ex illis reportans ſpolia.*

p. LXXVII. l. 6. loco *XXXIII. et decennio* lege: *XXXVI. et ſeptennio.*

p. LXXXV. ad nr. 27. nota: *prodiiſſe hanc Diſſert. iam A. MDCCXXIV.* quod ad pag. quoque XXX. l. ult. pertinet.

p. LXXXVI. nr. 37. male *Bruckeri* verba mea feceram; etenim non cum Dreizehnio, ſocio ſuo, litem habuit Gutenbergius, ſed cum de-

Allaboraverunt vero etiam, quod facile animaduertent Lectores, quodque vt ſua neminem vnum laude defraudem, annoto, tum honeſtiſſimus Bibliopola, tum qui deſcribendo operi praefuit Typographus, vt nitidus, quantum fieri potuit, ex omni ſua parte, in publicum prodiret hic quoque poſt ceteros digniſſimus Schoepflinianae eruditionis et eloquentiae foetus; et ille quidem elocando liberaliter ſumtus operi faciundos curandoque, vt auguſtiſſima Chriſtianiſſimi Regis, per totum opus vnice celebrati, imago, cui illam illuſtris Oratoris, niſi probibuiſſet Eius modeſtia, iunxiſſemus, **) *aeri eleganter inciſa, praefigeretur Operi illique*

defuncti fratre. Nec ante A. MDCCXLV. Inſtrumentum, ex quo de hac lite conſtat, invenit SCHOEPFLINUS, cuius ea propter in Differt. iam ante quinquennium ad Pariſienſes transmiſſa, mentio vlla eſſe per rei naturam non potuit.

p. LXXXVI. l. 15. loco 1752. lege 1754.

p. LXXXVIII. poſt nr. 54) adde: *nr.* 55.) *Alſatia literata prelo paratur.*

**) Corporis conſtitutionem internam, forma externa artificioſius olim, quod ſperamus, exprimenda dum carebimus, hic ſiſtimus. Temperamentum cholerico-ſanguineum eſt, habitus corporis firmus. Viſcera praecordiorum ventrisque valida; ſanitatis praeſidia. Delicatuli infirmitatum neſcius. Splendida in ſenio oculorum acies artuumque iucunda agilitas. Victus ſimplex, amat natalem, ſpernit peregrinum; culinae artificiorum oſor. Potus praecipuus

ornamento eſſet et commendationi; hic vero ſeligendo typos chartamque, nitore et elegantia ſua commendabiles, adhibendoque omnem diligentiam, ut comptum, quà fieri potuit et a mendis typothetarum purgatum ſiſteret librum, bonae Urbi noſtrae et typographeo decori futurum et honori apud exteros; quibus hoc quicquid eſt operae navavimus.

Praefui ipſe toti operi et ſingula exempla vel bis, cum per alia negotia licuit, vel ſemel ſaltem luſtravi, ordinavi ſingula, praeſcripſi univerſa, obſequentes meis monitis ſemper expertus bibliopolam et typothetam. Vos iam, Lectores, noſtro labore laeti fruimini et tum Auctori tum nobis favete. Sic vos valere iubeo. Scripſi Carolsruhae. Idibus Martiis Anni MDCCLXIX.

---

aqua; ſpirituoſorum hoſtis. Abſtinet coena, prandio contentus. Duos in vita morbos catarrhales expertus, gravem machinae ruinam minitantes, per prudentes naturae miniſtros, nullo incommodo relicto, repulſos feliciter. Inſomnes, quas interdum tranſigit ſpirituum contentione, noctes nulla corporis laſſitudo comitatur. Qui alios premunt hoſtes catarrhi, amici eius nocivos corpore humores expellunt; vnde natura eius viget in ſenio. Dedimus fere ipſa Schoepflini in nuperrimis ad nos literis verba, non ingrata futura Lectoribus.

In

In fugam vacui, quod horrere dicunt naturam et horret praeter naturam typotheta noſter, et in gratiam iuniorum maxime ex illis, quos forte habituri ſumus, Lectoribus repetimus hic, vt ſtimulus ſint ad ſimilem laudem, Elogia aliqua, quibus ornaverant olim Iuvenem SCHOEPFLINUM viri docti, quum primum procederet et Hiſtoriarum Baſileae, Eloquentiae Argentorati tirocinium ederet, Diſſertatione hiſtorico-antiquaria, ſub praeſidio Iſeliano defenſa et Oratione, qua Germanicum Caeſarem laudabat, publice recitata; maximorum, quos diu iam ſuſpicit literatus Orbis, progreſſuum praecurſoribus.

MDCCXI.

IO. BERNOULLI, Math. P. P. Baſil.

Credimus *Hiſtorias*, *SCHOEPFLINE*, *Mathemata* ſcimus;
Sed quia non tantum credere *geſta juvat*,
Incertum ſatagis firma ratione probare,
Credula ne fallat coecaque ſaepe fides.
Hiſtoriae ſtudio qui noſtra Mathemata junxit,
Hunc eſſe Hiſtoricum credo ſcioque *probum.*

SAM. BATTIERIVS Graec. Ling. P. P.

Vt coleres Te rite bonas, SCHOEPFLINE, per artes,
Vna fuit ſemper ſolaque cura Tibi;
Hinc quis miretur, quod nunc inſignia magnae
Nobis doctrinae das documenta Tuae?

 IO.

IO. IAC. WETSTENIUS t. t. L. A. M.

Qui nobis docte, conciſa appendice tantum,
De quatuor ſummis diſſerit Imperiis;
Quid non partem operis primam facturus? oportet
Ergo ut inexhauſto polleat ingenio.

MDCCXVII.

IO. GEORG. SCHERZIVS I. V. D. & P. P. O.

Laudabas nuper Iuvenem *de ſtirpe* Neronum,
Qui de Germanis *nobile nomen habet;*
Quod dum feciſti, variis affectibus omnes
Implebas; (tantum eſt robur in Ore Tuum.)
Aſt me, prae reliquis ſumma admiratio totum
Vicerat, illa etiam nunc mea corda tenet.
Inde Tuas nequeo vel nunc ſat dicere Laudes;
Attonita haec tantum dicere lingua valet:
Qui Ciceronis *habet, ceu Tu, et* Demoſthenis *artes,*
Et qui ſic Taciti *pondere corda premit;*
Quique ita Kuhniadae *ſequitur ſublimia noſtri,*
Ille, vel invidia judice, ſumma meret.

CAROL. DADICHI, Antiochenus,
qui tum forte Argentorati haerebat apud *Lederlinum* ſuum.

Nunc Manes ſolare Tuos, Germanice Caeſar,
Iam meliore licet conditione frui;
Abſtulit immanis Vitam ſi Piſo venenis,
Reddidit Orator laudibus iſte ſuis.

VITA

VITA
IOANNIS DANIELIS
SCHOEPFLINI
REGII FRANCIAE HISTORIOGRAPHI

SECVNDIS CVRIS AVCTIOR

SCRIPSIT

FRID. DOMINIC. RING.

IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI, Viri Illuſtris, Vitam enarrandam mihi ſumſi, Lectores, non quidem, vt Illius nomen et merita per me demum literato Orbi, per quem dudum celebrantur, innoteſcant nec vt diſcipulus in praeceptoris, olim et

vſque mei, laudes excurram, quod Ille, quae eſt Viri Summi, inter ceteras virtutes, modeſtia, multis verbis praeſens et abſens deprecatus eſt; ſed vt tum habeant Iuuenes, ad praeclara nitentes, ſcriptaque Viri eum in finem lecturi, quod imitandum, ſi qui poſſint, ſibi proponant illuſtre exemplum, et quibus Ille viis ad illam nominis famam aſcenderit, ſciant, tum vt delectentur Viri, iam in honorum et munerum faſtigiis conſtituti, vitae rationibus, quas inſtituit Ille, quem amare, colere et ſuſpicere olim conſueuerunt, vtque ipſe, recolendo mecum rerum a SCHOEPFLINO meo praeclare geſtarum memoriam, illa ſimul ex parte tempora recolam, quibus, cum innumeris aliis, et ego ſub tanto duce ſtudiorumque et boni omnis promotore laetus adoleui.

Stilo ſimplici et plano expediam omnia, non ampullis nec longe quaeſitis verborum lenociniis Illum elaturus, qui ſua ſe virtute extulit Ipſe quemque, et quae per Ipſum euenerint, nominaſſe, laudaſſe eſt. BRVCKERVM, Virum Clariſſimum,

mum, in Pinacotheca Virorum illuſtrium ipſumque adeo eius narrandi modum, quantum per legem, quam SCHOEPFLINVS et ipſe mihi ſcripſimus, licuerit, per ſumma rerum momenta ſequar, et cum ſequar nominabo, ad annum vsque ſeculi quadrageſimum ſextum, quo ille deſiit, additurus reliqua, quae per proximos hos viginti et quod excurrit annos digna nominis ſui fama patrauit plurima, indefeſſus in illa ſcribendo, docendo, conſulendo promouenda SCHOEPFLINVS.

Natus eſt Vir Illuſtris VIII. Iduum Septembris Anni ſuperioris ſeculi vltra nonageſimum quarti. (quintum poſuerat BRVCKERVS) Fuit hic annus ferax aliorum magnorum nominum, IOECHERI, PELLOVTIERII, PERTSCHII, RICHTERI, SCHELHORNII. (*) Vidit Illum naſcentem primum Sulzburgum, quod oppidum eſt Marchionatus Bada-Durlacenſis

 ſupe-

(*) Addideram his in priore huius Vitae editione, forma, quam vocant, octaua ante biennium vulgata, Summum Virum MOSHEMIVM, quem, quod paulo poſt Ephemerides litterariae iam Anno MDCXCIII. natum, ex Lubecenſis Eccleſiae Indicibus, nos docuerant, hic expunxi.

ſuperioris; hinc natus cum Illo in DOMVM hanc SERENISSIMAM amor et affectus, quem, tum aliis documentis, tum praecipue ſcripta nuper Zaringo-Badenſi Hiſtoria teſtatus eſt et itinere, quotannis ad Aulam PRINCIPIS SERENISSIMI repetendo, teſtatur adhucdum, mutuo amore et affectu nunquam non admiſſus atque dimiſſus.

Patrem habuit Virum ſpectatiſſimum atque integerrimum Ioannem Danielem Schoepflinvm, tum, cum naſceretur ei filius, ad ſumma olim evehendus, in miniſterio Principis Bada Durlacenſis verſantem, poſtero vero tempore Richouillam, in ſuperiori Alſatia, translatum, vt huic Dynaſtiae et Horburgenſi Comitatui a rationibus eccleſiaſticis eſſet ibique ſuum tandem diem obiret. Matri Annae Margarethae Bardolliae id felicitatis obtigit, vt cum filius in Argentoratenſi ſtudiorum Vniuerſitate Eloquentiae et Hiſtoriarum Profeſſoris munus A. MDCCXXI. adiret, adhuc ſupereſſet nec fruſtraneam ſuam in educando filio

ſilio operam fuiſſe ſpemque Eum parentum non feſelliſſe, praeclaris rerum ab Eo iam geſtarum et in poſterum gerendarum documentis cognoſceret. Scilicet ea praecipua parentum cura fuit, cum in puero iam praeclaram illam vim mentis animaduerterent, per quam tot et tanta prodigia poſtea praeſtitit, vt Eum mature Gymnaſio, quod tum Durlaci florebat, nunc cum ſede PRINCIPIS Carolsruham translatum eſt, formandum fidis praeceptoribus traderent; quod Ille tempus, quoties Durlacum reuiſit, non ſine voluptate et grata in tutelares loci Deos mente reminiſcitur, templumque Muſarum aliud inuiſit, intelligo auguſtum illud Monumentorum antiquorum per terras Badenſes repertorum et ſacello quodque ſuo, quo ab aëris iniuria ſartum tectumque eſt, incluſorum ſacrarium, Ipſo ſuaſore, in horto PRINCIPIS amoeniſſimo erectum.

Emenſus quinquennio ſtadium, quod Illi percurrendum praetendebat Durlacenſe Gymnaſium, Baſileam et in Baſileen-

ſe

ſe Gymnaſium translatus eſt; biennio poſt, anno ſcilicet ſeculi, quod viuimus, ſeptimo, nondum tredecim annorum ephebus, in publicam Academiae lucem producendus. Exceperunt nouitium Academiae ciuem, non ſine praeſaga futurorum Eius profectuum mente, Viri in ſua quisque arte omnium iudicio ſummi, cognatus IOANNES CHRISTOPHORVS ISELIVS, qui Hiſtoriam et Antiquitatem omnem reliquasque, quae ab humanitate nomen nactae ſunt, diſciplinas Ei tradidit, SAMVEL BATTIERIVS, graece doctiſſimus, qui Graecorum literas et literaturam Eum docuit et IOANNES BERNOVLLIVS, qui philoſophia omni phyſicesque ac matheſeos cognitione probe Eum imbuit.

Triennium ſub his tantis ducibus et doctoribus cum exegiſſet alacer, ſi quis vnquam, et acerrimus in illorum praeceptis ſeruandis Iuuenis, publicamque Baſilienſium priuatamque ISELII ſui Bibliothecas inſtructiſſimas legendo, excerpendo, meditando perluſtraſſet, ſpirans Ipſe aliquando Bibliotheca futu-

futurus, tandem abiturus, aliasque Muſarum ſedes inuiſurus, Anno MDCCXI. praeſide ISELIO criticam ex antiquitate romana diſſertationem, qua *Tergeſtinus lapis*, hactenus a nemine intellectus, *declarabatur*, additis, quas proprio marte elaborauerat, *quatuordecim ex hiſtoria* veterum regnorum vexatis et controuerſis *quaeſtionibus*, maſcule et ita defendit, vt publice tueretur, quam ſingulis priuatim dudum concitauerat, de ſe expectationem egregiumque diſciplinae ſuae alumnum ſummis laudibus ornatum Argentoratum Baſilea dimitteret.

Argentoratum dum nomino, dubius haereo, vter alteri plurimum debeat, num SCHOEPFLINVS Argentorato, quod Illum exterum amice exceperit, in ſinu et ad exteros alios abeuntem fouerit fortunarumque ſuarum ſedem apud ſe figere iuſſerit, num Argentoratum SCHOEPFLINO, quod Ille ſua Polymathia antiquam Vrbis et Academiae gloriam ſuſtentarit illique STVRMIOS olim ſuos, SLEIDANOS, BOECLEROS, SCHILTEROS, OBRECHTOS redi-

viuos reddiderit effeceritque, vt mortuum eſſe, qui tum viuebat adhuc, KVHNIVM, cum moreretur non ſenſerit. Dubium me gratus in Vrbem et Academiam SCHOEPFLINVS, grata in SCHOEPFLINVM Vrbs et Academia, certantes inuicem de gratitudine alumnus et nutritia iucundum ſpectaculum delectat, Vobis, Lectores, ſuo loco ſiſtendum.

Ingreſſus Vrbem, quam alteram Sibi patriam fore tum quidem non praeuidebat, ſitus amoenitate, incolarum vrbanitate, omnium rerum, quae faciunt ad bene beateque viuendum abundantia ita captus eſt, vt optaret, ſubito in illam amore et affectu correptus, hanc Sibi ſedem fortunarum a fatis concedi. Conceſſerunt fata, interprete illorum voluntatis et adiutore praecipuo magni tum nominis et famae Viro IOANNE CASPARE KVHNIO, (*) a quo, cum primum illum, nomi-

(*) Confundunt non raro, qui rerum Argentinenſium ignari ſunt, exteri noſtrum hunc Io. CASP KVHNIVM, Hiſtoricum et Oratorem inſignem, cuius Panegyricos, Regi iuſſu publico dictos, volumen quarta forma Argen-

nominis ſama allectus, adiiſſet, vt a parente filius exceptus, mox in domum et ad menſam adſcitus et per integrum octennium, quo ſtudiis vnici, quem habuerat KVHNIVS, filii praefuit, ita habitus eſt, vt raro filius a parente. KVHNIVS quippe Noſtro non de dapibus parandis ſolum et nutriendo corpore, ſed ab augendo maxime bonis artibus et ſcientiis ingenio pater fuit, inque interiora Hiſtoriae et Eloquentiae, quarum ipſe ſummus Sacerdos erat, adyta deduxit diſcipulum, arcanae diſciplinae inprimis aptum, vnicasque ſuas poſt filium delicias.

Iunxerat ſibi matrimonio KVHNIVS ſororem BARTENSTEINII, Illuſtriſſimi poſtea Sacri Romani Imperii Comitis,

 cui

Argentorati A. 1712. vulgatum exhibet, cum IOACHIMO KÜHNIO, Critico ſui temporis non incelebri, qui ſcriptis ad Aeliani Varias Hiſtorias (edit. Argent. de A. 1685. 4.) ad Pauſaniam (edit. Lipſ. de A. 1696. fol.) et Iulii Pollucis Onomaſticon (edit. Amſtel. de A. 1706. fol.) animaduerſionibus doctiſſimis, diſſertatione item de Lotionibus et Balneis Graecorum (Argent. 1696. 4.) inclaruit. Alter horum Hiſtoriarum et Eloquentiae apud Argentinenſes Profeſſor ſucceſſorem habuit SCHOEPFLINVM noſtrum, alter Linguarum Orientalium ibidem Profeſſor Io. HENRICVM LEDERLINVM V. C.

cui Viro quod iam tum innotuerit Noſter, quodque per illum ad CAROLVM VI. Imperatorem Viennae ſuo tempore admiſſus eſt, KVHNIO vnice debet eiusque in ſe affectui, quo non demortuos modo Graecorum olim et Romanorum ſapientes, ſed viua etiam et ſpirantia magnarum animarum exempla imitanda, calcar Iuueni additurus, Ei proponere ſategit.

Factum eſt inde et eodem conſilio, vt praeter ea dona, quae ſecum quotidie et domi quaſi ſuae poſſidebat, KVHNII eruditionem et inſtitutionem, aliorum quoque Virorum celeberrimorum praelectionibus ſedulus et non interrumpendo vnquam in bonas literas impetu auditor adeſſet, IOANNIS HENRICI BARTHII, vt Hiſtoriae Eccleſiaſticae, IOANNIS GEORGII SCHERZII, vt Philoſophiae moralis et IOANNIS HENRICI BOECLERI, vt Iuris publici intimiorem ſcientiam ſibi compararet.

Produxit primum KVHNIVS diſciplinae ſuae alumnum, quos Ille in Eloquentia profectus fecerit, ſpecimen aliquod editu-

rediturum *Germanicum*que Caeſarem *oratione publica* laudaturum menſe Nouembri A. MDCCXVII. qua vero cum laetitia produxerit, programma loquitur, hac occaſione a Kvhnio ſcriptum. „ Et praeuidit quidem Germanicus (ipſa Kvhnii verba dabo) „ ex conſcientia virtutum meritorumque ſuo-„ rum, memoriam ſui ſacram honoratamque fore, cum mor-„ ti proximus in vltima ad amicos oratione diceret: flebunt „ Germanicum etiam ignoti; de hoc tamen tum certe cogi-„ tare non potuit, Iuuenem, vt tum illis videbamur, bar-„ barum in conſeſſu doctiſſimorum cultiſſimorumque ex me-„ dia barbarie hominum, latino ore ſtiloque eo, qui roma-„ num oratorem deceret, virtutes ipſius memoriamque cele-„ braturum eſſe. Praeſtabit tamen in hoc ei officium „ SCHOEPFLINVS, fautor atque amicus, mihi ex do-„ meſtico aliquot annorum conuictu et eruditionis et humani-„ tatis nomine aeſtimatiſſimus; faciet autem illud non per la-„ menta intempeſtiua ſerosque fletus, ſed vt de funere Ger-„ manici Tacitvs loquitur, per laudes et memoriam

 virtu-

„ virtutum eius. Tanto autem magis commendandus cona-
„ tus oratoris noſtri videtur, quo rariores ſunt, qui aliquod
„ his ſtudiis tempus impendere viresque ſuas in hac palaeſtra
„ exercere cupiunt, hoc praeſertim aeuo, cui noua barbaries
„ minatur et quo neglectus elegantiorum literarum quaſi lau-
„ di ducitur. (Nos quoque pungis et noſtra tempora noſtro-
rumque homunculorum peruerſos mores ſcite, licet inſcius,
pingis, o bone Kvhni!) „Noſter quidem orator aliquid am-
„ plius eſt praeſtiturus-- id ipſum incitamentum erit aliis, vt
„ paria audeant atque ſuo quoque exemplo doceant, quod, vt
„ Plinivs loquitur, vigeant ſtudia, proferant ſe ingenia
„ hominum et oſtentent, vtque ipſi quoque pro viribus id
„ agant, vt gloria exscultae eloquentiae Argentorato noſtro
„ conſeruetur, quam ex eo tempore, quo primum Acade-
„ miae nomine cenſeri meruit, conſeruauit.“

Diſcedentem e cathedra Iuuenem Oratorem plauſus ab omni auditorum frequentia innumeri ſecuti ſunt alterumque

Kvh-

KVHNIVM ſibi a fatis datum iam tum non vano omine augurati ſunt literatae Argentinenſis reipublicae proceres. Oratio variis ad illam ſpectantibus Numis aucta, praeceptoris aliorumque elogiis ornata, iuſſu publico, typis mandata.

Rediit in cathedram biennio poſt, menſe Novembri A. MDCCXIX. praeceptori optimo, Venerando BARTHIO, ſuae et academiae gloriae, fato nimis maturo, praerepto iuſta perſoluturus oratione, quam, quo in illos, quibus ſuos profectus debebat, fuerit affectu, teſtem locupletiſſimum, typis exſcriptam cum voluptate legant omnes, qui vel nunquam deſideratiſſimum nobis BARTHIVM deſiderauerint.

Tertium cathedram oratoriam ante quam conſcenderet, ſpecimen ſuorum in ſtudio hiſtorico conatuum Anno MDCCXX. tale dedit, quale ab Illo expectabant omnes, qualeque exigere videbatur a ciue iam ſuo, Francico regno felici fato iuncta, Argentinenſis ciuitas, de *Origine, fatis* et *ſucceſſio-*

ne

ne regni Nauarrae ad noſtra vsque tempora diſſertationem, quam praeſide KVHNIO ſuo, qui tum vltimum de diſcipulo laetatus eſt, defendit. Elatus eſt paulo poſt lacrymabili funere, ſuo merito immortalis, KVHNIVS et tertium inuitum ac luctantem in cathedram deduxit SCHOEPFLINVM pietas, vltimum benefactori ſuo et triſtiſſimum officium praeſtiturum praeceptori, in eo vno felici, quod ab illo laudabatur, quem ipſe, ſi debuiſſet, laudum ſuarum praeconem conſtituiſſet. Fecit ineffabilis in defunctum omnis ordinis hominum amor et in oratorem mira animorum conuerſio, vt et hanc orationem iam tum publici iuris faceret incredibilique omnium deſiderio memoriam KVHNII, quoquo modo poſſent, recolendi ſatisfaceret.

Dandus erat KVHNIO ſucceſſor quamque is cathedram reliquerat, implenda; datur ei decimo Cal. Decembris Anni MDCCXX. vnanimi Senatus vrbici et academici conſenſu SCHOEPFLINVS, nec dari profecto dignior potuit.

Nouum

Nouum munus Profeſſoris Hiſtoriarum et Eloquentiae vt rite auſpicaretur, captis prius, ex more Academiae, ſummis in philoſophia honoribus, *de fatis Eloquentiae* publica oratione dixit ad Calendas Apriles A. MDCCXXI. et ita dixit, vt de illius apud ſe fatis ſecura potuerit eſſe, dum viueret SCHOEPFLINVS, Vniuerſitas Argentinenſis, quae hac exteri ad publicum Profeſſoris munus promotione, exteros omnes alioquin excludens, docuit, nullam ſibi legem tam ſanctam eſſe, quae non ſanctiori cedat illi, quae conſulere eam iubet, ne quid respublica literaria capiat detrimenti. Illuſtriſſimus BIGNONIVS, datis ad SCHOEPFLINVM literis, non ita multo poſt teſtatus eſt, quantam de nouo doctore ſpem conceperit Gallia vniuerſa, Regis ſui in Ipſum gratiam ſuo tempore effuſiſſime deriuatura.

Non alienum videtur, Auditores, hoc loco docere, qualis Ille corporis habitu ſit, quem ex parte ingenii iam noſſe coepimus, quemque tantus et mirus omnium conſenſus exte-

rum ad publicam Eloquentiae cathedram vocauerat; corporis enim, quam vocant, Eloquentia quantum ſaepe valeat ad animos hominum mouendos, norunt, qui nihil norunt. Vidi ipſe ego, non incurioſus olim, quae alibi gerebantur, ſpectator, vidi, inquam, non raro contortum multorum, qui ſe oratores dicerent, corporis habitum, morum ruſticitatem et inurbanum hominem vbique prodentem, audiui illos, quae rudi plerumque Minerua in chartam coniecerant, rudi et rauca voce proiicere nauſeamque creare ſapientioribus; et tum SCHOEPFLINVM meum mihi ſiſtere in ſplendidiſſima Auditorum, Regum et regno proximorum, Ducum, Principum, Comitum, ſummorum belli pacisque Adminiſtrorum, omnis ordinis Sapientum corona, in auditorio ita exornato, vt auguſtius quid non vsquam videas, e cathedra ſurgentem primoque aſpectu nulli non ea promittentem, quae praeſtiturus exſurrexerat. Dedit Ei natura, in illo ad Eloquentiam formando, quid ipſa poſſit, experta, corpus vltra communem menſuram procerum et erectum; addidit, multo cul-

tiſſi-

tiſſimorum hominum vſu non parum adiuta, vultum ingenuum, ſuauitatem oris ſummam, cum decore et habitu corporis eo, qui nec Senem vnquam deſtituit, coniunctam, vt nihil ſupra dici poſſit, geſticulationem vero et vocis modulationem eam, vt rapere in conſenſum non poſſet non candor et ſerenitas Viri boni, dicendi periti. Prouoco ſecurus iudicii mei ad illos omnes, quibus vnquam Os illud Eloquentiae intueri auribusque aurea dicta excipere licuit, non ex ſchedis praelecta, ſed ex memoria ſemper et tum quoque recitata, cum deſtituiſſe dudum Senem hanc mentis facultatem credideris.

Talis cum fuerit mente et corpore Noſter, non mirabitur quisquam, vndique Argentoratum confluxiſſe, ad bonarum literarum mercaturam Iuuenum ſummi Ordinis et loci eum numerum, quem non niſi Argentorati et in SCHOEPFLINI ſchola (*) coniunctum conſpicias; ſiue enim pri-

(*) Frequentiam huius ſcholae loquuntur vltra mille imperiales, quos praelectionum primi anni profeſſorii fructus nuper demum mihi gratus celebrauit SCHOEPFLINVS, qui annuos reditus alios et ſtipendia tum quidem omnino ignorabat.

vatim praelegeret imperiorum fata et cataſtrophas, ſiue bene dicendi praecepta traderet et exemplum, tantus ad Eum doctorem, quantus ad Oratorem concurſus extitit vidiſſesque, et videres adhuc, plura carpenta domum Eius obſidentia, quam ex vmbratilium illorum doctorum, qui dum ſe, mundum et ſcientias ignorant maleque decocta praecepta propinant, ſibi tamen ſoli et aliis melius ſapere videntur, triuialibus ſcholis deceptos per tenebriones iuuenes exire.

Reportarunt mox domum Suecus, Danus, Ruſſus, Anglus, Batauus et Heluetus Germanaque Nobilium pubes tantum non omnis, ad morum humanitatem efficti, ſcientiarum theſauros, quos dum exponunt, cogitant paſſim de tanto doctore ad ſe alliciendo exteri. Oblata hinc Illi iam A. MDCCXXIII. Antiquitatum humaniorumque literarum Profeſſio in Francofurtana ad Viadrum Academia vacans, quam gratus in offerentes declinandam modeſte cenſuit. Biennio poſt A. MDCCXXV. ab illa, quae nouum, poſt PETRI I. non vanos

cona-

conatus, populum condere decreuerat, Ruſſorum Imperatrice CATHARINA ad Petropolitanam Academiam lautiſſimis conditionibus inuitatus eſt Hiſtoriarum Profeſſor et Hiſtoriographus Aulae, dumque eo vndique confluebat eruditiſſimorum ex omni orbe hominum turba, iam in eo erat Noſter, vt ſarcinas colligeret, cum Senatus et Academia Argentinenſes de tanto ſuo ornamento ſeruando non parum ſolliciti, annuum illi ſtipendium non quidem augerent, cum ex more Academiae nullum haberet et Canonici Thomani locum, qui ſolus annuum Profeſſoribus ſtipendium offert, adhuc non niſi ſperaret; iter vero Gallicum, Italicum et Britannicum ſuo ſumtu magnam partem per biennium ſuſtinendum proponerent, hacque largiſſima in Eum voluntate ſua teſtata, (*) quam

 carus

(*) Francicarum Librarum vltra quinque millia his peregrinationibus, ſibi ſuisque rebus tantae gloriae et emolumento futuris, lubentes impenderunt Proceres Argentinenſes; addidit ex ſuis facultatibus, indefeſſo labore adquiſitis, fere alterum tantum Ipſe peregrinator; nec ſuffeciſſet illa omnis pecunia tantis ſumtibus faciundis, niſi Romae HARRACHIORVM Comitum munificentia, quam infra praedico, et hinc inde alio-

carus et deſideratus illis eſſet, Eum retinerent, beneficio inaudito Eum ſibi in perpetuum obſtringentes.

Dederat per hos et inſequentem annos eruditionis per vaſtiſſimos Hiſtoriarum et Antiquitatum campos exſpatiantis non vnum ſpecimen: *Miſcellanea Hiſtorica; Selecta Hiſtorica; Obſeruationes Hiſtorico-Criticas; Varia Critica; Dubia Hiſtorica; Origines Romanas; ex Clodouaei Magni Hiſtoria Controuerſias; Illuſtres ex Hiſpanica Hiſtoria Controuerſias; de Alemannicis Antiquitatibus; de Romanis Antiquitatibus; de extincto et reſtaurato Occidentali Imperio* commentationes; ſcripta bonae frugis pleniſſima, vna cum aliis, de quibus mox dicam, in vnum poſtea volumen collecta.

Nouus SCHOEPFLINIANAE gloriae cumulus acceſſit eodem A. MDCCXXV. cum AVGVSTISSIMVS GAL-

aliorum, tam praeclaros conatus iuuandi promtiſſima voluntas, Bonaeque Deae propitium Noſtro domi foriſque Numen acceſſiſſent.

GALLIARVM REX IVVENIS STANISLAI, Poloniarum Regis FILIAM ſibi matrimonio iungeret. Dixerat iam annis MDCCXXII. XXIII. XXIV. et XXV. ex Senatus decreto annuum adoleſcenti in ſpem Europae REGI OPTIMO Panegyricum SCHOEPFLINVS, ſalutauerat iam Academiae ſuoque nomine vel latino vel gallico idiomate (*) STANISLAVM cum REGINA CONIVGE regiaque MATRE et futura GALLIAE REGINA (BRVCKERI hic verba aliqua recito) et paulo poſt AVRELIANENSEM DVCEM regiosque ad feſtiuitatem hanc celebrandam LEGATOS, Argentoratum aduentantes, ipſoque feſtiuitatis die pro felici connubio

(*) Verba haec honoris, quae vocant, quorumque virtus praecipua breuitas eſt et vrbanorum hominum auribus accommodatus in dicendo lepor et venuſtas, ſubinde et toties fere, quoties illis vtendi ſubnata eſt occaſio, frequenter vero natam eſſe non dubitabunt, qui quantus ſit Magnatum ſummi Ordinis Argentoratum omni tempore concurſus non ignorauerint, tot votis curioſorum expetita fuerunt, vt typis illa exſcripta legamus tantum non omnia. Habent illa ſingula aliquid, quo placeant et placuerunt ſuo ſingula tempore; ringentibus licet et rodentibus ſubinde illa liuore et inuidia, cum ipſa inuidorum Societate aliquot ab hinc annis Galliae finibus procul ire iuſſis.

bio pia vota ſoluerat, diſcedentibusque mox ex parte ſummis hoſpitibus felix iter precatus erat; cum Senatus Populusque et Academia Argentoratenſis ſolemnia Illum vota pro REGIS et REGINAE ſalute ſoluere panegyrica Oratione extra ordinem iuberet. Interfuit illi acerrimus et ſummus ingeniorum iudex STANISLAVS, et tanta cum voluptate interfuit, vt diſcedentem e cathedra REX, vt ſolebat eſſe humaniſſimus, Oratorem, alterum et ſuum Ciceronem et tum et ſemper poſtea, quoties ad Illum aditum Luneuillae petebat, vocaret miſſoque domum aureo, quod a repetendo vocant, horologio munificus donaret.

Rebus ita, coram vniuerſa fere Gallia exterisque paene innumeris, praeclare geſtis, Itineri literario tandem ſe accinxit A. MDCCXXVI. menſe Aprili, fama nominis quaquauerſum iam vulgata Illumque vbique locorum praeuertente. Coepit per Gallicum Iter perque Luneuillam, Nanceium, Metas, Rhemos Lutetiam Pariſiorum, cultiſſimam gentem propius

pius et domi quaſi ſuae noſciturus, tetendit. Transegit in hac bonarum omnium artium metropoli vltra quinque menſes omnibusque illis Viris, qui ſua vel ſcientia vel morum ſuauitate orbem illuſtrarunt et vrbem parem orbi tum commendarunt, innotuit. Longum eſſet enumerare omnes, quibus Eum non obliviſcendum vnquam, quum ſemel viſus eſt, literae et humanitas amicum et ſocium iunxerant; nomino e magno numero praecipuos, BIGNONIVM, LONGERVAEVM, BANDVRIVM, MONTEFALCONIVM, MARTENNIVM, RVAEVM, LANCELOTVM, BOIVINIVM, FRAGVIERIVM, HARDVINVM, TOVRNEMINIVM, PORAEVM, LEQVIENIVM, BOZAEVM, SALLIERIVM, VALESIVM, CAPERRONERIVM, FALCONETVM, FOVRMONTIVM, COVRRAYERVM. Bibliothecam regiam aliasque, quas non facile alibi maiore numero et ſelectiores reperias, regiumque Numismatophylacium, gallici regni magnificentiam, ſi nullum alium haberemus teſtem, (non audita, ſed his oculis meis viſa refero) ad ſtuporem loquens, non quidem vt oculos paſceret, inuiſit, ſed vt tum ſuam eruditionem de-

promeret probaretque, tum nouos per omnem ſcientiarum ac diſciplinarum Encyclopaediam theſauros, oblata hac tanta occaſione, colligeret.

Lutetia Lugdunum petiit, (do fere iterum BRVCKERI verba et dabo adhuc cum potero) et per Sabaudos ad Italos tranſiit. Taurino, reducem ex Angliae Galliaeque Aulis, in quibus ſedecim annis eruditus hoſpes haeſerat, Illuſtriſſimum Abbatem CONTIVM, Mediolanum comitatus eſt. Solus dein Veronam adiit, celebratum vrbis amphitheatrum celebrioremque illo Ciuem Scipionem MAFFEIVM Marchionem viſurus, cum quo plures dies transegit. Patauii dein cum LAZARINIO, FACCIOLATO, VALISNERIO quotidie verſatus eſt, Venetiis cum MICHELOTTO et RECANATO Abbate. Inde poſt quindecimum diem per Ferrariam, Rauennam, Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senigalliam, Anconam, Lauretum, Maceratam, Fulginium, Spoletum, Interamnas, Narniam, Vtriculum, Veios Romam progreſſus eſt. Receptus ibi in domum

mum ab Illuſtriſſimis HARRACHIIS Comitibus, quorum alter Auditor Rotae et CAROLI VI. Imperatoris apud ſedem Romanam Legatus, purpurae proximus obiit, alter Vindobonae in ſupremo Imperii Conſilio Aulico Praeſidem optime meritum adhuc agit, per ſemeſtre ſpatium, quod in hac vrbe exegit, Hiſtoriam Eis atque Antiquitates praelegit. Patuerunt Ei mox Purpuratorum eccleſiae Romanae, IMPERIALIS, POLIGNACI, ALBANORVM, GVALTERII palatia, FONTANINI, GALIANI (epiſcopi dein Tarentini) VALESII et GEORGII Abbatum et STOSCHII amicitiae.

Romae incredibilis in Antiquitates romanas, toties ab Eo et antea et poſtea illuſtratas, amor ita Eum cepit, vt ab illis auelli vix tandem potuerit. Neapolin, viſis in via Puteolis et Baiis, diuertit, Romamque rediens diſperſa ad Vrbem veteris Latii monumenta curioſius luſtrauit. Finiente Maio menſe Anni MDCCXXVII. per Viterbum, Sienam, Ligurnum, Luccam Florentiam ſeceſſit cumque BVONAROTO et SAL-

VINIO frequenter egit, GORIOque primum viſus eſt, a quo tempore colere et amare alter alterum non deſiit. Bononiam, Mutinam, Parmam, Genuam hinc tranſiens MARSILIVM Comitem, aeternum Italiae decus MVRATORIVM et Lucam PALLAVICINIVM non ſemel adiit; Parmae ad SERENISSIMVM DVCEM a MVRATORIO introductus, pileatus cum pileato, volente ita Principe, diu collocutus, (*) Theſauro Farneſiano a PEDRVSIO et PIOVENIO deſcripto, non primo nec vltimo Magnatum et Principum in ſe fauoris teſtimonio donatus eſt.

Genua

(*) Siſtite vobis, Lectores, FRANCISCVM Parmae ex Farneſiis Ducem, mox quinquagenarium, corpore breuem et gracilem, capillamento nigro ad pedes vsque propendente veſtitum, cooperto tamen pileo capite, ex Hiſpanorum moribus, incedentem, humanum cetera et colloquii cum viris eruditis non parum appetentem et vna SCHOEPFLINVM, virum Iuuenem eruditum, ad Gallorum mores formatum, gracili et ipſum corpore, at menſuram communem excedente, capite, quod tegere non vnquam conſueuerat, cooperto deambulare iuſſum in eo conclaui, quod ab Audientia nomen habet, et quid faceret dubium; alterum iubentem iterum, alterum renuentem iterum et cum ſuffuſo rubore tandem obſequentem et MVRATORIO, ſi quidem poteritis, non inuidete inuſitatum, ſi quod vnquam, et iucundum ſpectaculum.

Genua per Mediterraneum mare, a Tunetanis praedonibus, ob ruptam cum Gallis pacem, tum infeſtatum, in Galliam rediit ſalûus, per Maſſiliam, Aquas Sextias et Nemauſium petens Monſpelium; facto inde ad Pontem Vardi, Auenionem, Carpentoractum et Arauſionem excurſu, per Salonem et Arelatem, Toloſam, Narbonam Burdigalem attigit, recto dein itinere per Pictauos, Amboſiam, Bleſas, Aurelianos Lutetiam rediit, ab Amicis et Academiae Inſcriptionum Sodalibus, quibus ſuas de veteri factas in noua Roma obſervationes ſubinde transmiſerat, auide exceptus et per trimeſtre ſpatium humaniſſime habitus.

Sub ipſis Inaugurationis GEORGII II. felicibus auſpiciis, volentibus ita patronis, in Angliam tranſiit, menſe Octobri Anni MDCCXXVII. Londini DEVONSHIRIO Duci, PEMBROCKIO Comiti et Cantuarienſium tum Archiepiſcopo Guilielmo WACKIO, SLOANO item, MAITTAIRIO, COSTIO, DESMAIZAEO, MASSONO, DESAGVLIERIO, Richardo BENTLEIO, aliis familiarius innotuit.

Diſſitis his in oris remotosque apud toto orbe Britannos dum verſatur SCHOEPFLINVS, meritorum Eius non oblita Argentoratus, Canonicum Thomanum Eum abſentem recipit, ſponteque currenti nouum ſtimulum addit.

Sub Anni ſequentis initium Oxonium inuiſit, Londinoque eo ipſo die abiit Lutetiam, quo COVRRAYERVS, Lutetia elapſus, Londinum appulit. Rediit Lutetiam per Belgium Auſtriacum eique Maio menſe tertium valedixit, ad penates carentemque iam nimis diu tantis opibus locupletato doctore ſuo Academiam, deſiderium ſui larga meſſis effuſione compenſaturus, properat; a regia Londinenſi ſocietate in Sociorum numerum adſcitus anno eodem, adſciſcendus biennio poſt a regia quoque Inſcriptionum Academia Pariſienſi.

Agitur ita triennium, intra quod de *Apotheoſi* ſeu *conſecratione Imperatorum romanorum*, de *Burgundia cis-et trans-Iurana*, de *ſacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus*

ſat

ſat magnis voluminibus pulchre docteque diſputauit et *Illuſtres ex Britannica hiſtoria controuerſias* publice ſummo cum applauſu ventilauit, quae quoque ſcripta volumen, de quo ſupra dixi, exhibet.

Elapſo hoc triennio, aliis ſuis deſideriis ſatisfacturus, Batauum Iter ingreditur, ineunte vere Anni MDCCXXXI. Viſis in via Francofurto, Colonia, Nouiomago, Traiectum tetendit, vbi DRACKENBVRGIVM, DVCKERVM, OTTONEM; Lugdunum, vbi BVRMANNVM, VITRIARIVM, BOERHAVIVM, SCHVLTINGIVM, HAVERCAMPVM, SCHNAKENBVRGIVM, Abrahamum GRONOVIVM; Hagam Comitum, vbi BYNKERSHOECKIVM conuenit et FAGELIVM. Ex Batauis ad amicos Pariſienſes quartum rediit et in Academia regia Inſcriptionum *ſuper Monumentum Legionis VIII. Auguſtae, Argentorati repertum, diſſertationem* praelegit, quae Commentariis Academiae ſuo loco inſerta eſt. Alias tres aliis temporibus, ſuo quasque loco

co inſertas, eidem Academiae transmiſit, vnam *de Gentis Treboccorum Origine et ſitu*, occaſione columnae in veteri Brocomago A. MDCCXXXV. repertae; aliam *ſuper fragmentum Livii ex Salernitani Coenobii Codice MS.* olim deſcriptum a Matthaeo ROCKIO; tertiam denique de *Typographia* ante Annum MCCCCXL. a *Guttenbergio* reperta, qua de re dicam mox plura.

Redux in Patriam, multis iam titulis ſuam, ſcripſit per annos inſequentes *Illuſtres ex Francica hiſtoria controuerſias; Chronologiam romanorum Syriae praefectorum, Pontificum Iudaeorum atque Iudaeae Proconſulum; Obſeruationes ad Librum Diurnum;* alia, cum illis, quae ſupra nominaui, in vnum poſtea Volumen collecta, quod Baſileae prodiit A. MDCCXLI. Sub idem fere tempus, Anno nimirum MDCCXXXIV. iuſſu regio *Arma Regis pro Rege Poloniae, STANISLAO* tuitus eſt contra domum Auſtriacam ſcripto, gallico ſermone exarato regiisque ſumtibus impreſſo. Ceterum

rum ſua ſtudia Iuuentutis commodis et Academiae dicat, quo plauſu quoue fructu, non dicam iterum, cum dixerim ſupra; ſui enim ſemper ſimilis cum fuerit ſitque etiam nunc SCHOEPFLINVS, docere, quae doceri merentur, nunquam non paratus, auide, quod qualis Is eſſet docendo, omnes norant, quaeſitus et auditus eſt ab omnibus.

Quaeſitus quoque eſt iterum ab exteris; Anno enim MDCCXXXVII. Academia Cortonenſis ſocium Eum voluit eſſe ſuum, eodemque anno oblata eſt Illi regia, quae Vpſaliae apud Suecos floret, Skyttiana Hiſtoriarum et Politices Profeſſio, quam SCHEFFERVS atque BOECLERVS, Argentinenſes, ſeculo ſuperiore occupauerant. Sed alia agebat mente Noſter.

Anno enim Seculi triceſimo octauo ineunte de inſtituendo demum per Germaniam Itinere coepit cogitare, cogitata mox exſequitur et delatus primum ad STANISLAI Regis aulam, per Nanceium, Metas, Luxenburgum, Namurcum

Bruxellas perrexit et apud HARRACHIVM Comitem, Gubernatricis tum Purpuratum ſextiduum exegit. Inde Mechlinio, Louanio, Leodio, Aquisgrano, Colonia, Bonna, Confluentibus viſis, apud Naſſauium Weilburgi Principem biduum, apud Wezlarienſes octiduum verſatus eſt. Gieſſa dein, Marburgo et Caſſellis ſalutatis, Gotham ſeceſſit, indeque per Erfurtum et Schwarzburgenſem, quae Rudolſtadii eſt, Aulam, ad Ienenſem, Halenſem et Lipſienſem Academias, quas et mihi, cum aliis inter Germanos Muſarum ſedibus, meminiſſe dulce eſt, translatus eſt. Tum vero per Dresdenſem Aulam Bohemiam adiit; Pragae fragmentum Euangelii S. Marci, quod in cathedrali eccleſia aſſeruatur, examinauit et paginae primae ſcriptura accurate depicta deprehendit, folia haec partem poſteriorem eſſe decantati illius Fragmenti, quod in theſauro Veneto aſſeruatur. (*) Tandem per Auſtriam Vien-

(*) Rem omnem, qualis ſit, proxime declarabit Noſter ſingulari Diſſertatione, quam parat, Commentariis Academiae Theodoro-Palatinae ſuo loco inſerenda, qua praeter illud: Maſſam, in quam coaluit Codex

Viennam, IMPERATORIS ſedem et Germaniae metropolin, circa Calendas Quinctiles attigit. Vſus hic eſt veteri Illuſtriſſimi BARTENSTEINII amicitia, quae ad ipſum CAROLVM VI. Imperatorem aditum Illi parauit, excelſoque Illum, ſi quis vnquam, loco Imperatorem inter et imperatoriam Domum ac Familiam collocauit. Quaeſiuit ex Illo multa CAROLVS de Habsburgicae domus ex Alſatia ortu, de Lotharingiae Ducum et Habsburgenſium Alſatiae Landgrauiorum ſtirpe communi, de veteri Alemanniae et Alſatarum ducatu, lateque et eru-

dex Venetus, priorem Euangelii partem eſſe, poſteriorem Pragae adſeruari, multa docebit alia, curioſorum in hoc ſtudiorum genere deſideriis ſatisfactura. Latinum eſſe Codicem et Seculo VII. ſcriptum euidenter euincet, narrabit praeterea Carolum IV. ambitioſa caerimonia et ſub pulſu campanarum folia poſteriora cathedrali Pragenſium eccleſiae inferentem praedicabitque Pragenſium ſummum nuper Praeſulem, ex Manderſcheidiis Comitibus, ignorata ſibi perpetuo et omnibus folia, poſt aliquot ſecula, ex ſignis a Noſtro datis, inquirentem oculisque et ſuis et aliorum, qui tum forte cum Noſtro aderant, ſubiicientem, folia oculis omnium, vt ante, ita forte poſt illud tempus ſubducta - et id genus alia; ad quae bellaria illorum cognoſcendorum et deguſtandorum, quos fore plurimos non dubitamus, cupidos ſolemniter vtique inuitamus nosque nos illis accumbentibus iuncturos lubentes ſpondemus.

erudite de his aliisque rebus diſſerentem clementer audiuit. Teſtem habemus, eius colloquii memoriam ne vnquam deponeret, Sacratiſſimi IMPERATORIS imaginem, adamante pretioſe ornatam et ad diſſertatorem tam eruditum tamque facundum imperatorio nomine per BARTENSTEINIVM miſſam. Secuti ſunt auguſtiſſimi Imperatoris exemplum IMPERATRIX auguſtiſſima, magnus tum Hetruriae Dux FRANCISCVS, ipſe aliquando Imperatoris Germanorum titulo felici omine ornandus, Proceresque Aulae tantum non omnes, frequentibusque cum Noſtro colloquiis, quanti et ipſi eruditionem Viri ſummi facerent, teſtati ſunt effeceruntque ſua ſinguli humanitate, vt Vindobonenſis ſeceſſus vsque meminerit nec poſſit non meminiſſe.

Piſonio deinceps, Hungariae regia, viſo, aduerſo Danubio per Mellicenſem Abbatiam, Paſſauium et Salisburgum deductus, Monachiumque inde translatus, a Sereniſſimo tum Electore, mox Caeſare CAROLO VII. benigniſſime exceptus

eſt,

eſt. Monachio Auguſtam Vindelicorum et Ratisbonam progreſſus eſt; Reuerendiſſimumque Bambergenſium et Herbipolenſium Epiſcopum, quod vehementer optauerat, ſalutaturus, Norimbergam diuertit, Herbipoli dein, ſecundo Moeno, Hanouiam, Francofurtum et ad vicinas Darmſtadienſem, Moguntinam Palatinamque aulas perrexit, humaniſſime vbique exceptus et habitus. Tandem Argentoratum, multis et multifariis Principum, Procerum, Ciuitatum et Literatorum hominum muneribus onuſtus, rediit menſe Nouembri.

Confluxerat iterum Argentoratum Iuuenum nobiliorum numerus ex omni Orbe ſelectiſſimus, volebantque in primis Auſtriaci et Bohemici Proceres, ex SCHOEPFLINI ore pendere filios ſuos, maximis olim rebus gerendis admouendos, nec niſi, oborto ad Rhenum fatali rebus Germanorum bello, domum eos auocarunt inuiti.

Supererat adhuc CAROLVS Imperator, cum mortuo ſub id tempus, qui Caeſareae Bibliothecae Cuſtos fuerat, GARELLIO Comite, COBENZELIVS Comes, de quo infra loquor, et qui tum forte Moguntiae haerebat, Argentoratum, iuſſus ab Imperatore, aduolat quaeritque ex SCHOEPFLINO, num perſuaderi ad accipiendum, qui vacabat, locum vllis argumentis poſſit, Ipſius arbitrio conditiones liberrime permittens. Res inter vtrumque aliquamdiu agitata, in ſpongiam tandem incidit.

Secularia inuentae Typographicae artis Sacra Anno MDCCXL. cum celebraret, congratulante Europa, inuentrix Germania, Argentinenſium cauſſam ne deſerere velle, malo omine, videretur SCHOEPFLINVS, egit eam per Ephebum, diſciplinae ſuae tum alumnum, eumque dum in cathedram oratoriam, celebrando tam digno, quod celebraretur, iuuento producendum annunciat, ſcripto programmate ita tuitus eſt Ipſe, vt ex omni ſcriptorum omnis generis farragine,

gine, quam iſta ſolennitas vbique locorum in dias lucis auras protruſerat, SCHOEPFLINIANVM ſcriptum, vnius plagulae cancellis circumſcriptum, orationis nitore et elegantia, argumentorum vero ſoliditate et euidentia ea procederet, vt palmam facile praeriperet pugnantibus andabatis, ad intimiores et primos huius inuenti receſſus nunquam admiſſis, nubemque pro Iunone amplectentibus conclamatumque fuerit iam tum de artis vtiliſſimae tum inuentore, tum inuentionis loco et tempore. Reſumſit tamen idem argumentum Noſter vicennio poſt A. MDCCLX. ſcriptisque *Typographicis Vindiciis*, nouis et nuper demum plenius detectis rerum documentis authenticis, docuit eruditum orbem, indubiam eſſe, quam olim iam propoſuerat, ſententiam: ad GVTTENBERGIVM Moguntinum et Argentoratenſes prima artis Typographicae initia pertinere; quam omnes, qui quibus illa fundamentis et probationibus ſuperſtructa ſit, inſpicere propius et ad lydium rationis non praeiudicatae lapidem exigere potuerunt, auide arreptam defendunt et vsque defendent, ſi vnum FOVRNIE-

RIVM

RIVM, (*) qui tamen, quicquid dicat, aſſertum Noſtri non infirmat, ſed confirmat potius, (**) et MEERMANNVM excipias, COSTERVM Harlemenſem in ſcenam denuo producentem, magno quidem et multifario, quod non negamus, eruditionis apparatu, at quod pace Viri Illuſtris dixerim, nondum iis fundamentis ſuperſtructo, quibus nos, qui ſecura etiam omnia timemus, confidamus, ſi vel maxime confidat quicunque alius. (***) Reſpondit neutri SCHOEPFLINVS, cui ad con-

(*) Reſpondit FOVRNIERIO ciuis noſter doctiſſimus et vel mihi amiciſſimus, CAR. FRID. BAEERIVS, Suecicae ad Regem Chriſtianiſſimum Legationis a Sermonibus ſacris, *dans ſa Lettre ſur l'Origine de l'Imprimerie, ſeruant de reponſe aux Obſerv. de Mr.* FOVRNIER *le ieune ſur l'Ouurage de Mr.* SCHOEPFLIN *intulé* Vindiciae Typogr. *Strasbourg* (Paris) 1761. 8. Quae regeſſit FOVRNIERIVS rem adeo non tangunt, vt intactam reliquiſſe huius omnis, quantacunque eſt, controuerſiae acropolin iudicent omnes, qui iudices hac in re ſedere ſaniores poſſunt.

(**) Ipſe enim FOVRNIERIVS Argentinae incunabula artis tribuit et verba haec ſubinde repetit: *Strasbourg eſt le berceau de l'Imprimerie.* Hoc quidem illud eſt, quod volumus quodque prolata a SCHOEPFLINO documenta probant et probabunt vsque, dum ſuperueniat aliquis, qui periodum Argentinenſi Guttenbergiana priorem aeque bonis rerum documentis ſuffultam conſtituat.

(***) Curioſius paulo, quam fieri vulgo ſolet, elegantiſſime tum ſcriptas tum impreſſas Origines Typographicas MEERMANNI, Viri illuſtris, ſcruta-

controuerſias tempus nullum ſuppetit, veritati indagandae et proponendae cum indagauerit, omne ſacrum, meminique mihi

---

ſcrutatus ſum et cum perinde mihi poſſit eſſe, vbinam tandem locorum et gentium artis huius incunabula quaerenda ſint, mente a partium ſtudio profecto alieniſſima, volui et reuolui recitationem Meermannianam. Quid illi ineſſe deprehenderim, per quod Schoepfliniana ſententia vacillet, vel moueri loco poſſit, eundo per ſingula argumenta, lubens ediſſererem, ſi tam facile eſſet Lectoribus, quibus et ipſis ſuis vti luminibus conceſſum eſt et concedi vtique debet, excuſare vbertatem nimiam, quam facile eſt per illam peccare; ne tamen nihil omnino dixiſſe videar, dicam in praeſenti, plura fortaſſe alio loco et tempore dicturus, hoc vnum: non ſatis fidere me (an incredulitas ſit, ſeculi contagium, an obteſae mentis vitium, neſcio) non ſatis, inquam, fidere me palmario et praecipuo illuſtris Meermanni, et cui fere totus innititur, argumento, orali ſcilicet illi traditioni, quae, fato quodam vel ſuo vel traditionum communi, a ſene ad pueros et ab his ſenibus ad alios ſemper pueros tranſiit; ab octogenario ſene Cornelio, bibliopego (ſiue ille iam, quod parum me mouet, lacrymas fundat ſiue ira excandeſcat, dum neſcio quod et a quo commiſſum, quum ipſe decennis puer eſſet, furtum narrat) ad puerum tum Nicolavm Galivm (QVIRINVM enim Talesivm, qui fere eadem, at non eadem, tamen olim audiuiſſe ſe puerum poſtmodum confeſſus eſt, non moror) et ab hoc, longa canitie venerabili, ad puerum iterum HADRIANVM IVNIVM, qui cum tandem in Virum et iuſtae ac integrae aetatis hominem excreuiſſet, literis, quod bonum cauſſae Harlemenſium fatum eſt, poſt integrum demum ſeſqui ſeculum

mihi Eum ſaepe dicere: ſit penes poſteritatem iudicium, quod ſecurus, dum ſuo quaeque loco reponat, exſpecto. Redeamus in viam.

Se-

lum A 1588. oralem hanc traditionem conſignauit in Batauia ſua, neque tamen, ad MEERMANNVM vsque, eruditum orbem, vt huic cauſſae admodum faueret, adducere potuit. Dein, qui multo adhuc his teſtibus vel peiores vel poſteriores ſunt, longa ſerie aliis, VLRICO ZELLIO, docenti grauiter, vt docere nouimus operarios, id quod doceri nemo vnus voluit: *primam artis praefigurationem inuentam eſſe in Hollandia;* ACCVRSIO, tabularum in Belgio inciſarum mentionem facienti; ceteris, ANONYMO maxime ANGLO, IO. a ZVYREN, THEODORO COORNHERTIO, LVD. GVICCIARDINO, Chronographis quibuscunque multo adhuc minus me fidere, aperte profiteor. Nec denique ex ipſo illo Horario ſeu elementari, detecto ab ENSCHEDIO typographo, libello, tantis ab MEERMANNO ornato elogiis, euinci aliud quid poſſe exiſtimo, ſi vel maxime primam artis aetatem fingere mobiles literas tam arcte cohaerentes potuiſſe concederem, niſi forte illud: mobilibus illum literis deſcriptum eſſe. Taceo magno numero alia: GVTTENBERGIVM Argentorato Aquisgranenſes nundinas poſſibiliter (ſit venia verbo barbaro) inuiſentem indeque Harlemum vsque poſſibiliter procedentem, fratrem ibi, ſi modo frater fuit, quod iterum poſſibile, poſſibiliter conuenientem ab eoque arcana artis poſſibiliter diſcentem et Argentoratum ſecum auferentem - et quae ſunt eius generis poſſibilitates plures; quae ſi argumentandi ratio valeret, ſtupidus homo ſim, niſi quiduis ex quouis exſculperem. Et has tamen quotas quantas traditiones, hos a Chronographis, ſilent vero Belgae Sec. XV. exeunte et XVI. ineunte ad vnum omnes, corraſos vndecunque belliſſimos rumores, has gratuitas forte ſuppoſitiones, multa quidem arte, quod vtique fatemur, veſtitas, documen-

Sequenti Anno MDCCXLI. Petropolitanae Academiae, Membrum ſuum honorarium Eum declarantis, accepit diploma, additis imperatorio iuſſu Petropolitanae Academiae actis, tantae Principis in tantum Virum voluntatis ampliſſimae teſtem.

Quod a quadrageſimo ad quartum Seculi annum tempus effluxit, illud omne formandis Iuuenum ad ſcientias et probos mores animis impendit, tempus feliciſſimum et vel eam ob cauſſam a me hic recolendum, quod per illud omne et

 mihi

cumentis a Schoepflino prolatis et quae ipſe agnoſcit, opponere et ad ſuam ſententiam ex literato orbe trahere hinc inde aliquos potuit Meermannvs, illos maxime, quibus vel nomen Viri et cognitae cum eruditione coniunctae reliquae virtutes imponunt vel qui natura mobiles et ad nouiſſima quaeque arripienda nimis ſaepe procliues ſunt. Magni certe et ipſe facio Meermanni dotes, eruditionem et in liberales artes omnes propenſionem, ſed niſi meliora et quae ad conuincendum incredulos magis faciant, olim, quod deſperare nolumus (videtis, Lectores, quantum Viro, ſagaci rerum reconditarum indagatori ipſique eius cauſſae tribuam) produxerit, me quidem, at quantillum hominem! quod tamen confido, plures alios, adſentientes habebit nunquam, Vir literarum, ſi quis vnquam, bono natus (gaudeant vero bene nati) et vt illi quam diutiſſime interſit, omnium literatorum hominum votis expetendus.

mihi pendere ab illo ore eloquentiae licuit, diuina praecepta auidis auribus excipere, illoque ſuaſore et promotore ſtudiorum praecipuo vti, quod immortale, vel in tantillum, beneficium ingratiſſimus mortalium forem, ſi hic tacitus praeterirem.

Sub vernum Anni MDCCXLIV. tempus Helueticum Iter ingreſſus eſt Noſter, aeſtatem inſequentem omnem apud Heluetos, mortalium, ſua ſi bona norint, feliciſſimos exacturus, Habsburgicasque, Vindoniſſenſes, Badenſes, Ergouiae et Tigurinas antiquitates et memorabilia ſcrutaturus, ſcribendis olim Alſaticarum et Badenſium rerum Annalibus inſeruituras. Coepit iter per Baſileam, quam Vrbem quo ſenſu iterum viderit, iudicabunt, qui ibi prima eruditionis ampliſſimae fundamenta Eum ieciſſe meminerint; indeque per Sisgouiam, ſuperato ad Arouiam Iuraſſo, Tigurum appulit, vrbem veri bonique ſenſu abundantiſſimam, Heluetorum Athenas dicerem, nisi quae et me hoſpitem olim per triennium fouit, a me laudari nolle, ſed amari intelligerem. A Turicenſibus

ſibus per Rapertiuillam ad Eremum Deiparae, Suitiosque et per Lacum Lucerinum vel Syluanium ad Vrios et S. Gotthardi montis radices vsque progreſſus, eundem per lacum nauigans Lucernam appulit, indeque Bernam et per veteris Auentici rudera, Burgundiamque adeo Transiuranam, de qua olim tam docte tamque eleganter ſcripſerat, ad Lauſannam et Geneuam vrbes perrexit ac denique per Neocomenſem principatum et Moratenſem Lacum ad Solodurenſes, et Iura monte prope Waldenburgii clauſtra ſuperato, Baſilea Argentoratum profectus eſt, vt LVDOVICO XV. Metis ex grauiſſimo morbo in Alſatiam properanti, cinctus Academico Senatu, recuperatam valetudinem et in fidam Regi ſuo Argentinam aduentum gratularetur.

Meruerat, ob ſeruatam aduentu ſuo Alſatiam, ciuicam coronam LVDOVICVS; obſidionalem vt promereret, Argentorato Friburgum properat, noua mox in Belgio tropaea quaeſiturus; illuſtre dicendi argumentum SCHOEPFLINVS,

 iam

iam vicies et iterum Argentinenſis reipublicae conſtitutus Orator, A. MDCCXLV. tractauit ita, vt quae fuerint Argentinenſium tripudia, qui in Regis honorem inſtituti triumphales ludi, quis ciuium omnium, ordinum omnium, omnis ſexus, aetatis omnis in LVDOVICVM Amatum affectus, plenius, ornatius, conſummatius dici non potuerit.

Deſiit tum ex cathedra oratoria ad nos loqui SCHOEPFLINVS et ita, quod mihi quidem videtur, deſiit, vt ſolemnius deſinere non potuerit; poſtquam ſcilicet licuerat Illi eſſe tam beato, vt praeſens Argentorati Galliae Numen veneraretur, diſcedentisque deſiderium oratione exprimeret. Succeſſorem in hac cathedra habuit, quem Ipſe formauerat quemque, ſi SCHOEPFLINO ſuperuiueret, alterum SCHOEPFLINVM haberemus; aſt ſeruarunt boni Superi primum, alterum ad ſe traxerunt, deſideratiſſimum bonis omnibus RANGIVM, (*) quo fatis defuncto, lauris ſat multis tem-

(*) PHIL. CHRISTIAN. RANGIVS, qui Poëſeos primum, poſt Logices et Metaphyſices Profeſſor, vix annos XXXVIII. natus, hydropicus obiit A.

tempora cinctus SCHOEPFLINVS, alii diſcipulorum

LOREN-

A. MDCCLVI. praeter IV. Panegyricos, quos oratoriae artis et latinae, quae in illo ſumma fuit, eloquentiae complementum rectiſſime dixeris, Regi iuſſu publico dictos, plura diuini propemodum, quòd nactus erat, ingenii ſpecimina dedit: Orationem, qua ob annuum mille librarum francicarum ſtipendium a Magiſtratu ſibi, vt his ſtudiis vnice inuigilaret, gratioſe conceſſum, *Argentoratum Muſis amicam et Muſis amatam* celebrauit, A. 1744. 4; Diſſertationem criticam *de Syndicis*, A 1742. 4. graeca literatura, quam in deliciis ſemper habuerat, refertiſſimam; iuridicam *illuſtres ex omni Iure Controverſias* ſiſtentem, A 1743. 4; philoſophicas plures, hominem hiſtoriae philoſophicae in primis gnarum, ſubacti iudicii philoſophum, non macram illam multorum et hiſpidam, ſed illam veri bonique veterum aeque ac ſaniorum ex recentioribus ſcientiam ſectantem, omnibus paginis loquentes; ne quid iam de *Antiquorum Rhetorum Latinorum* editione, (Argent. 1756. 4. mai.) de qua optime meritus eſt, addam. Videtis, Lectores, quantam cum hoc vno homine iacturam fecerimus. Subiicio philoſophicarum diſſertationum ſyllabum.

1) De Socrate Philoſopho ἀφιλοσόφῳ. 1748.
2) De Prouidentia diuina. 1748.
3) Obſeruat. miſcellae de Pantheismo. 1748.
4) De Pluralitate Mundorum. 1750
5) Obſeru. miſcellae circa animae et corporis vnionem. 1751.
6) Obſeru. miſcellae circa originem et permiſſionem mali, potiſſimum moralis. 1751.
7) Controuerſiae quaedam metaphyſicae. 1751.
8) De Cauſſa finali Creationis. 1753.
9) Theſes pſychologicae de Ideis. 1753.

Lorenzio (*) colligendas nouas reliquit, non niſi poſt viceſimum annum, vt ſuo loco docebo, cathedram oratoriam repetiturus et ita, vt ſolemnius repetere non potuerit.

Sibi ſuisque rebus tum redditus poſt longos labores Noſter, omne ſuum otium ordinandae et ornandae Bibliothecae dedit,

(*) Io. Michael Lorenzivs, Io Michaëlis, Theologi non incelebris natu maior filius, nullum quidem Panegyricorum, quos Regi quotannis dicit, typis mandat, dedit tamen hiſtoricas diſſertationes plures, multa eruditione, nec illa ex recentiorum riuulis, quibus tantopere ſibi aliisque placent hodie plurimi, ſed ipſis fontibus petita, refertas ſtiloque eo, qui hiſtoricum decet, conſcriptas, quarum ſyllabum hic ſiſto.

1) De antiquo Coronae Gallicae et Carolingorum Franciae Regum in regnum Lotharingiae iure 4. Argent. 1748.

2) De Succeſſione in illuſtriora feuda trium regnorum Franciae, Germaniae et Italiae 4. ibid. 1748.

3) De tranſitu Conſtantini M ad ſacra Chriſtianorum 4. ibid. 1757.

4) Tabulas temporum fatorumque orbis terrae 4. ibid. 1761.

5) Tabulas temporum fatorumque Germaniae fol. ibid 1764.

6) Epitomen rerum Gallicarum ab origine gentis vsque ad Romanorum imperium 4. ibid 1762.

7) Epitomes rerum Gallicarum ſub Romanorum imperio Sectionem I. 4. ibid. 1762. Sectionis II. partem priorem 1765. partem poſteriorem anno eodem; Sectionem tertiam 1766.

8) Aeram Chriſtianorum vulgarem breui commentatione expoſitam 4. ibid. 1766.

dedit, cui parem in Hiſtorico ſtudiorum genere apud priuatum nullibi nec ego vidi, qui multas vidi, nec facile viderit quisquam, eamque cum Manuſcriptis, Inſcriptionibus, Signis, Sigillis, Vaſis, Inſtrumentis veterum ſacris et domeſticis, Numis, omnique illa, quam in itineribus ſedulus, curioſus et felix ſcrutator collegerat, ſupellectile rite diſpoſitis exterorum et indigenarum vſui vt patere poſſet effecit obtinuitque, vt quae ſparſa per Alſatiam et in finibus repererat Inſcriptionum, Statuarumque et Marmorum monumenta in aedium ſuarum veſtibulo congeſta vetus aliquod Latium intranti offerrent.

Offertur haec agenti, menſe Februario A. MDCCXLVI. in Batauа Lugdunenſi Academia vacans VITRIARII morte cathedra; ſed nulla Eum olim, nulla nec nunc promiſſa, ſollicitationes nullae inducere potuerunt, Argentorato et Gallicis Muſis vt valediceret. Longo enim didicerat vſu, nullam Europae Vrbem literis et literarum commercio tractandis Ar-

G gen-

gentorato eſſe potiorem, in qua, vt in veteri Maſſilia, graeca comitas et prouincialis parſimonia habitant. Valeant igitur, cum tanto ſe iudice tueatur literata Argentinenſis ciuitas, valeant, inquam, humiles illorum artes, qui ipſi in ſcientiarum omnium limine adhuc conſtituti graculique ex obſcuriore aliquo loco egreſſi, ſuam gloriolam contemtui aliorum ſuperſtruere, obſoleto remedio, ſatagunt dumque duo vel tria doctorum Virorum nomina et dictata, calamo excepta, crepant, ſe omnis ſapientiae poſſeſſores nihilque aliis obtigiſſe infantes putant; valeant hi et ſapere, ſi quidem poſſint, audeant, incipiant ipſi, antequam vano hoc conatu et irrito gloriam captare audaculi ſtudeant.

Iuſſit Noſtrum, non ita multo poſt, gratus et munificus, ſi quis vnquam, Galliarum REX LVDOVICVS XV. vt omnes alibi oblatos honores non vane recuſaſſe cognoſceret, ſibi, Regum Optimo, eſſe a Conſiliis et conſcribenda Hiſtoria, diplomate hac ſuper re, ſigillo regni maiore munito, ad

Eum

Eum miſſo; quos ille honorum titulos, ſecuturorum mox alius generis praemiorum praecurſores, aliis quibuscunque titulis longe ſemper antetulit et iure meritoque antetulit, cum rari ſint nec vlli vnquam ante Eum nec poſt Eum ex Argentoratenſium academicis doctoribus conceſſi.

Quintum mox Lutetienſe Iter nouus gallici regni Hiſtoriographus ſuſcepit A. MDCCXLVI. ab Illuſtriſſimo DAGVESSAVIO, magno tum Franciae Cancellario inuitatus, vt de conſcribenda *Alſatiae Hiſtoria* cum eo coram conferret; per literas enim ei iam ſignificauerat SCHOEPFLINVS, in ſuſcipiendo hoc opere non tam rerum in Alſatia geſtarum habendam eſſe rationem, quam geographici et politici eius ſtatus, qualis ante Romanos, ſub Romanis, ſub Francis, ſub Germanis extiterat, illisque ſubiungendum eſſe ſtatum praeſentem. Cancellarius probauit conſilium, ſub auſpiciis regiis coeptum eſt opus. Poſt quinquennium, A. nimirum MDCCLI. Volumen eius prius Auctor, ſextum ad Pariſios reuerſus,

 obtu-

obtulit Regi, annua bis mille Francicarum librarum penſione et Catalogo Bibliothecae regiae, regiis ſumtibus impreſſo, donatus a Rege. Additum eſt aliud regiae benignitatis documentum, quo Rex per Lamoignonivm, Cancellarium regni et per Argensonivm Comitem, Adminiſtrum Status declarauit SCHOEPFLINO, Argentinenſis Academiae iura, quae tum per varias artes periclitabantur, illibata ſemper fore et ſalua. Quod quantum beneficium fuerit quantumque ob illud impetratum SCHOEPFLINO aeternum debeat tum ciuitas Argentinenſis omnis, tum maxime academica, non niſi ille ſenſerit, qui quis tum rerum Argentinenſium ſitus fuerit vel ipſe vel aliunde nouerit. Alter *Alſatiae Illuſtratae* Tomus decennio poſt, Anno MDCCLXI. prodiit adeoque quindecim annorum ſpatio perfectum eſt opus, quod antequam perſcribere inciperet, magnam chartarum et diplomatum copiam ex Collegiorum, Monaſteriorum, Ciuitatum et Alſatiae Procerum tabulariis congeſtam in parato iam habuerat. Magnum opus et immortale, non illorum triobolaribus et fu-

tili-

tilibus plerumque laboribus comparandum, qui ſcriptis ſine fine modoque ſyſtematum compendiis trium dierum aeternitatem ſibi et prudentiorum ſannas mercantur, quosque ex pulvere et vmbra heri excitatos, in puluerem et vmbram cras reuerſuros, hic non moror; opus - - ob quod ſolum, ſi nihil aliud memoria dignum literis conſignaſſet SCHOEPFLINVS, vaſtiſſimae eruditionis, conſummatiſſimae in dicendo, quae ſunt apta, peritiae gloriam ſtupendique laboris ferendi patientiam Ei non niſi ſtipes negauerit, laudauerit vero digne et pro meritis non niſi, par SCHOEPFLINIANAE, oris facundia, qua polluit eheu! olim GESNERVS ὁ κριτής, in recenſendo in Relationibus de libris nouis Goettingenſibus latinis SCHOEPFLINI opere, quales encomiaſtas mereantur Viri ad SCHOEPFLINIANAM eruditionem progreſſi, docere voluiſſe viſus venturos poſt nos nepotes, et ne ingrati in manes magnorum Virorum peccent olim, monuiſſe leuiter interdum literis tinctos ephemeridum literariarum ſcriptores aut praeiudicatis opinionibus vel furore omnino quodam, incondite de rebus,

quas non intelligant ipſi, iudicandi nimium quantum abreptos.

Prodierunt ſub idem fere tempus, A. MDCCLII. *Vindiciae Celticae*, quo in libro Noſter Gentis, quae tot ingenia exercuit, origines praecipue, fata, linguam, reliqua rei difficillimae illuſtrandae inſeruientia ita dilucide expoſuit, vt ipſe PELLOVTIERIVS, quocum non omnino ſentiebat, de tanto tam erudito tamque modeſte diſputante aduerſario magnopere, cum ipſe ego Berolini eum conuenirem, gauiſus ſit; Illuſtriſſimum vero BYNAVIVM Comitem, qui a Bibliotheca ſua abſens, ſcriptiuncula aliqua quaedam contra Noſtrum monuerat veteresque ſcriptores per Celtas non Gallos, ſed Germanos indigitaſſe contenderat, ipſi Goettingenſes a Bibliotheca ſua melius inſtruendum ad illam ablegauerint.

Literarios per aeſtatem et autumnum excurſus facit quotannis SCHOEPFLINVS ab eo tempore, quo Senatus Argen-

Argentinenſis politicus et academicus conſenſerant, vt Ipſe ſibi viuus ſucceſſorem deſtinaret. Acta ſunt haec Anno, qui poſtremum Iter Pariſinum inſecutus eſt, MDCCLII. Excurſus hos ſuſcipit in Marchiam Badenſem, in Palatinatum, in Heluetiam, Sueuiam et ad Abbatias Martianae Syluae, Blaſianam, Petrinam, Georgianam, quae Villingae eſt, et praecipue Baſileam, vbi ſtudiorum ſuorum tirocinia fecit. Electoralem Moguntinam, Epiſcopi Spirenſis, Landgrauii Darmſtadenſis, Principis Naſſouio-Vſingenſis aulas ſemel iterumque per id tempus reuiſit. Longum eſſet, ſingulos hos excurſus ſingulatim enumerare omnes; quos vero hinc inde ex illis fructus tum res publica et literaria, tum Ipſe ceperint, ſummatim exponam, multa praeteriturus nihilominus, quae Vitae minus illuſtri illuſtrandae poſſent inſeruire.

Ordiamur a re, quae terram, quam qui haec ſcribo incolo, propius tangit. Anno MDCCLVI. SERENISSIMVM PRINCIPEM MARCHIONEM BADA- DVRLACENSEM inter

inter et Baſilienſem rempublicam arbiter compoſuit lites, quae a pluribus annis diſcordiae cauſſa fuerant. Formula transactionis menſis vnius ſpatio ſignata; quod nunquam, vt Ipſe dicit, non euenire ſolet, vbi vtrimque bona fide proceditur. Noſter gratia et praemiis, tanto PRINCIPE tantaque Republica dignis, cumulatus ex hoc negotio diſceſſit.

Agere poſt triennium coepit cum PRINCIPE eodem, omnis boni promouendi cupidiſſimo, Maiorum et Domus Suae gloriae modis omnibus velificaturo, de conſcribenda *Zaringo Badenſi Hiſtoria*, cuius Tomum primum A. MDCCLXIII. poſtremum menſe Iunio Anni MDCCLXVI. SERENISSIMO PRINCIPI obtulit. Impulerant SCHOEPFLINVM ad opus hoc ſuſcipiendum amor in PRINCIPEM, in cuius terris primam lucem aſpexerat, amorque adeo in Patriam. Heluetica, Brisgouica et Martianae Syluae Monaſteriorum documenta, quae repererat, hucusque incognita, originibus Badenſibus nouam cum accendiſſent lucem, Sereniſſimo Marchione

CARO-

CAROLO FRIDERICO volente, probante aggreſſus eſt opus, quod Voluminibus ſeptem formae quartam, quam vocant, regiam, intra quadriennium abſoluit. Cuius auſpiciis, eiusdem ſumtibus prodiit opus, PRINCIPIS, quem non ego, qui parum facundus ſum, ſed praeclara facinora laudauerint, munificentiam et in literas fauorem ſummum, Auctoris vero, in prouecta iam aetate, ad res tanti momenti et tam ardui laboris feliciter agendas animi vigorem ſeris omnibus nepotibus vsque locuturum, barbaram philoſophulorum noſtrorum et horridam elumbemque iuniorum noſtrorum tantum non omnium loquentiam dicam an eloquentiam? pudefacturum aeternum.

Vt ſimile quid audere de ſuis rebus poſſent olim Palatini, Palatinamque Hiſtoriam conſcribere poſt nos victuri, Anno MDCCLXIII. Academiam Scientiarum et elegantiornm Literarum, inueſtigandis Palatinis omnium temporum rebus, vt et indagandae naturali Palatinatus hiſtoriae, Noſtro ſuaſore, Sereniſſimus Elector Palatinus, CAROLVS THEODORVS

inſtituit

inſtituit Manhemii, eamque Theodoro-Palatinam appellari permiſit. Inauguratio eius facta XII. Cal. Nouembr. in ipſa Bibliothecae Electoralis Baſilica, ELECTORE cum Aula ſua praeſente. Inaugurationis initium fecit SCHOEPFLINVS oratione ſolenni. In primo Conuentu Academiae priuato rarum et inſigne expoſuit *monumentum*, quod *Diocletiano* et *Maximiano Auguſtis eorumque Caeſaribus Ciuitas Moguntiacenſis pro ſalute eorum* dedicauerat publice, quodque Ladeburgi paulo ante repererat. Marmor hoc in Palatium Manhemienſe translatum, alia numero quadraginta intra triennium attraxit, quae ex Palatinis terris vndique allata Theſaurum Inſcriptionum Palatinum conſtituunt, quem Theſauro Numismatico Palatino BEGERI ponas ad latus. Academiae Palatinae Conuentibus, qui per ſemeſtria vere et autumno publice habentur, fere omnibus intereſt atque honorarius Academiae Praeſes oratione eos aperit ſolenni. *Nullam Electoralem nec ex reliquis Germaniae Proceribus Domum plures doctos Principes produxiſſe, quam Palatinam*, duobus in Academiae pa-

negyri

negyri ſermonibus docuit, addiditque nuper de *Ingelheimenſi Caroli M. palatio* commentationem erudite et eleganter conſcriptam, diſſertationemque, qua *ſepulcrum Romanum Schrisbemii*, haud procul Heidelberga, in ſtrata Montana nouiter detectum et ſingulas eius partes, Hypogaeum vel Columbarium, Sacellum atque Triclinium expoſuit; quas ſcriptiones omnes, foecundi, ſi quod vnquam, ingenii teſtes, Volumen primum Commentariorum Academiae continet, praeter vltimam, volumini ſecundo ſuo tempore cum aliis, *Rupertinis* ſcilicet *Vinciriis* et *ſuper Euangelium S. Marci Venetiis ſeruatum*, de quo ſupra dixi, diſſertatione inſerendam. Primum Volumen Actorum Academiae, ante triennium inſtitutae, obtulit Electori, menſe Octobri Anni MDCCLXVI. ſingulis bienniis nouum promittens.

Numos ſiſtentes Electorum omnium ad ſe vsque effigies, eleganter expreſſas, cum inſcriptionibus a SCHOEPFLINO olim confectis, cudi artificioſiſſime poſtquam curauerat, ali-

 quot

quot abhinc annis, ELECTOR, illorum collectionem ad SCHOEPFLINVM, huius ſui laboris dudum oblitum, miſit, addito aureo, CAROLI THEODORI effigiem exhibente, omnes et ſingulos capſula, vt moris eſt, ſua incluſos. Similes aureos numos plures, a principibus Viris et a noſtro quoque PRINCIPE SERENISSIMO in donum SCHOEPFLINO datos oſtentat Numophylacium SCHOEPFLINIANVM, auguſtum ſummi Magnatum et Imperantium in ſe fauoris delubrum. Addam vnicum adhuc, alius licet generis, donum ad Noſtrum ante aliquot annos transmiſſum, omnia enim referre nec mei propoſiti nec neceſſe eſt. Anno nimirum MDCCLXIV. ab AVGVSTISSIMO SICILIARVM REGE Herculanei veteris Antiquitates, regiis ſumtibus magnificentiſſime, vt nouimus omnes, impreſſas, dono accepit; probantes abunde, ſui memoriam in regionibus illis ſupereſſe adhuc Iuuenemque Regem, cui nuptiales taedas accenſas vidimus anno quo viuimus, iis, qui iuſtum meritis pretium ſtatuere nouerint, cinctum, in ſpem non vanam Europaei orbis eruditi adoleuiſſe.

No-

Nouiſſimos operis, tantis ſumtibus cum erudito orbe communicati, Tomos nuper demum Illuſtriſſimus TANVCCIVS pro ſuo in literas et literatos et inter hos Noſtrum affectu, curauit transferendos.

Vidimus acceptantem dona aliorum SCHOEPFLINVM, videamus Illum nunc ipſum donatorem et ita dantem, vt decet magnas animas, benefaciendo beatas. Scilicet Bibliothecam ſuam omnem SCHOEPFLINVS Anno MDCCLXIV. cum Manuſcriptis codicibus, cum Larario, Numophylacio, Marmorario, Vaſario, quorum maximam partem in Italia olim collegerat, vna cum omnibus Monumentis veteribus, quae in Alſatia et apud vicinos inuenit, congeſſit, Argentoratenſi Ciuitati obtulit in donum, ſine addita conditione alia, quàm vt omnia conſeruentur, augeantur ſemperque pateant literatis, inquilinis et exteris, vti hactenus patuerunt. Ciuitas donum accepit annuumque centum Ludouicianorum aureorum donum donatori viciſſim obtulit. Res in ſolenni Ma-

giſtratus conſeſſu tractata, ad quem Eum inuitarunt Patres Conſcripti. Hos Ille allocutus eſt oratione, qua conſtantem Senatus Argentoratenſis in literas, a prima earum reſtauratione, et in literatos fauorem, atque adeo Argentinam Doctam publice laudauit, omnibus benignitatis teſtimoniis a conſeſſu dimiſſus.

Venio tandem ad illum SCHOEPFLINI mei publicum actum, quo Is menſe Martio Anni MDCCLXVI. Ciuitatis et Academiae Argentoratenſis nomine LVDOVICO XV. Quinquagennalia Regiminis gratulatus eſt, oratione in ſolenni Panegyri habita, poſtquam per viginti annos abſtinuerat a cathedra Regisque Natales aliasque Eius feſtiuitates viginti quatuor orationibus iam ante illud vicennium, celebratiſſimus ipſe Orator, celebrauerat. Veteranum tum oratorem Ipſe ſe dixit, modeſtus nimium; nos maſculum adhuc et talem, qualis toties fuerat, dicemus inuerſisque paululum verbis, quibus Regem ſuum allocutus eſt ipſe, non corporis, non animi

animi vigore Senem, ſed ſolo annorum numero dicemus; quos Ille annos omnes, ipſamque grandaeuam ſenectutem, ſeptuageſimum tertium aetatis annum iamiam ſupergreſſus, rei literariae, quantum in Ipſo eſt, incrementis et ampliandis finibus laetus impendit et diu adhuc vt impendere poſſit nemo non mecum optabit Viro, ſummis et medioximis, bonis et eruditis omnibus, ob praeclaram indolem, excellentem doctrinam, indubia merita amabili et amato amandoque, dum ſuus literis honos habebitur.

Vellem equidem praeterire hoc loco, niſi malae cauſſae indicium interpretari quis olim poſſet, quod nunc ſcribere incipio. Vituperant in Noſtro hinc inde aliqui, quibus vel leuiter tantum innotuit vel cum alia ex illorum mente loqui debuiſſet, alia, vt ſolet fieri, ac ipſi quidem voluiſſent, locutus eſt, Linguae Latinae et Hiſtorici Studii commendationem vtique, quod aiunt, nimiam; ſed hi fere iuuenes ſunt, qui vnde ſolida eruditio petenda ſit, ignorant et recentiores

ali-

aliquot ſcriptores, genio ſeculi friuoliori adcommodatos, vsque crepant, ſiue viri ſunt, cetera docti, hoc tamen male ferentes, quod ea laudari ore tam facundo audiant, quae ipſis vel non admodum placuerunt vel neglecta a ſe ſero vident. Facilis eſt et parata ad haec vituperia, quocunque demum auctore nitantur, reſponſio; quotus quisque enim eſt, vt hoc primo loco ponam, quem non aliquis cum aliqua veri ſpecie vituperet, dein hoc ſi vitium eſſet, condonaremus facile Seni, ea impenſius laudanti, quae per omnem et longiſſimam vitam tanto cum ſucceſſu exercuit; aſt non ea defenſione hic opus eſt, ipſi iam videtis, Lectores, cum nihil habeant, quod notent, id notari, quod laudi eſſet per ipſos aliis. Et Latinam quidem Linguam, vt per ſingula eam, propterea, neque tamen niſi cum exiſtit, eaque non ſtudio quaeſita, ſed nata ſponte occaſio, tantopere laudat, quod tantopere ſaepe eam neglectam ab iis videt, quorum eſſet illius ſtudium omni modo iuuare illiusque amorem, etiam nimium, cum tempore temperandum, iuuenum animis inſtillare, academicos et ſcho-

laſti-

laſticos doctores intelligo, quorum hodie bene multi ne leui quidem illius linguae vſu imbuti ſunt, quam et qua docere alios, per officii rationes, deberent et ἀλλότρια dum agunt, a pedantismo, quem vocant, alienos ſe putant, cuius aliam et peiorem ſpeciem non raro arripiunt. Accedit, quod cum mutentur indies vel in peius vel in melius vulgares linguae, cuique genti germanae, firma ſtet latinae linguae ſtructura, vis et elegantia ſitque illa, quam inde a renatis literis, ex omnibus Europae nationibus doctiores callent quaque adeo ſcribere, qui ab omnibus et a poſteris etiam legi velit, omnino debeat.

Hiſtoricum vero et, quod illi indiuulſo nexu iunctum eſt, Antiquitatum ſtudium propterea praedicat et commendat et ſuo quidem iure commendat SCHOEPFLINVS, quod non Illo ſolum, ſed ipſo CICERONE teſte, teſtis ſit temporum, lux veritatis, vita memoriae, magiſtra vitae, nuncia vetuſtatis Hiſtoria; ea vero, quae tantopere interdum aliquibus arrideant, arida recentioris cuiusdam, huius vel illius philoſophemata,

vt prae illis omnia ſusque deque habeant et alto velut ſuper-cilio contemnant, mentem paſtam chimaeris et ſenſus vane quidem inflent, ſed ventoſa et aridiora propterea ingenia, tot ventis peruia, relinquant. Quae qui, quod animaduertere tam facile eſt, animaduertit, nae is exardeſcat neceſſe eſt, et TACITVM aliquem aut SALLVSTIVM vel LIVIVM, quos profecto amamus et miramur omnes, quotquot ſapimus, macris illis hominibus et macilentis multum praeferat, qui quum in theatro tandem conſtituuntur et agendis rebus, ſuo vel futuris ſeculis profuturis, admouentur, ſpectaculum fiunt et ſuſpenſo naſo ridentur; verba magiſtri, in quae iurauerint, terminos mente et ſono ſaepe caſſos, definitiones ac putidas demonſtrationes, non vero res, cuique loco et tempori ad-commodatas dicere, ſcribere et agere docti neglectaeque omnis aeui hiſtoriae rerumque, quam inde fructum retuliſſent, prudentiae poenas dantes prudentioribus et veri nominis, quamuis carebant nomine, philoſophis.

Vitu-

Vituperant, vtor hoc verbo indignabundus iterum et vltimum, paſſim alii, quod nimius ſit interdum Noſter in euehendis aliorum quorumcunque meritis et laudibus et ſi quem Iuuenem videat bonae ſpei vel non omnino malum et mediocriter a doctrina inſtructum, aut Virum, bonum quidem illum ac probum, at non vltra ſeculum tamen ſapientem, laudet continuo et extollat, quaſi ad miraculum doctus, ſummus et optimus foret; quod qui Illi vitio vertunt lepidi homines (concedam enim, quod negare totum poſſem, cum non intempeſtiue ſane laudum ſuarum prodigum eſſe, probabunt quae proferam) aut neſciunt omnino aut neſcire volunt, quod impune nemo neſcit: modice nos de nobis ipſis ſentire oportere, ſumma ſperare de iuuentute, laude ſua defraudare neminem et in modo potius peccare, cum laudamus, quam cum reprehendimus, neque tam id reſpicere debere hominem vrbanum et ab vſu rerum inſtructum, ne nimis, quam ne parum aliis tribuat; neſcire videntur etiam, qui hoc culpant, quantam ſaepe vim habeat, quem aculeum in illorum animis,

quos non ex luto finxit natura, illud relinquat et quae non audeant ſaepenumero qui, cum minima adhuc auſi ſint, laude ſe ſua mactos vident a viris laudatis, laudata quippe creſcit virtus et immenſum gloria calcar habet; quod non meminiſſe modo, ſed ſequi deberent vsque, qui ingenia formare et ad conandum aliquid, quo nominis famae celebritatique velificent, incitare alios vel volunt vel vt velint tenentur. Nouit hoc arcanae Sophorum diſciplinae praeceptum et toties et nuper adhuc eo cum fructu illo vſus eſt inter Belgas SCHOEPFLINVS, vt qui hoc vituperant, plane, quid ſibi velint, neſciant; nouit vero idem ſuo et iuſto tempore deprimere altos illorum ſpiritus, qui vana ſpecie, cum cerebrum non habeant, fallunt improuidos, nouit in aprico ponere nudam illorum ſuperbiam, monſtrare his, quid et quantum illis deſit, docere grauiter alios, quousque progredi, ſi voluiſſent, potuiſſent et monere alios, velint nolint, vti deponant nimiam de ſe opinionem, vti inſpiciant in alios ſe, omnium iudicio, longe ſapientiores et modice tamen de ſeipſis ſentientes, vti diſcant

Socra-

Socraticum illud Nil ſcire, Carteſianum illud Dubitare, vti legendo, meditando, imitando alios, omnium ſeculorum plauſus promeritos, experiantur ſcipſos et illud, quod e coelo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν figant et memori ſeruent pectore. Nouit idem reprimere ſeuerius et fronte, qua occurri debet perfrictae frontis ardelionibus, repellere temeritatem illorum ſurgentem inſolentius et magno conatu nugas vt agat impune et oculis aliorum glaucoma obiiciat, tecte machinantem; acerrimus tum iudex eſt profecto et nullis blanditiis exorabilis peſtemque eruditionis omnis, vaniloquam audaciam vt ad tenebras, vnde prorepſerat, reuertatur cogit coëgitque multoties. At enim vero piget taedetque his et ſimilibus, quas pulcerrimae animae impingere maculas et canino dente infigere notas et ſtigmata maleuoli vel nunc vel olim vellent, inhaerere diutius; ſat puto diris et abunde litatum eſt.

Ceterum, ad amoeniora enim dudum fert impetus, quod Noſter, primo vere Anni MDCCLXVII. Manhemium

et ad Nos, ad Fürſtenbergenſem dein et Conſtantienſem Principes meditatum iter ſuſceperat, illudque quod per inſequentem aeſtatem ingreſſus erat ad Illuſtriſſimum S. R. I. Comitem COBENZELIVM, Bruxellis imperatorio nomine ad rerum gubernacula ſedentem Filiique ad prodigium docti, ex Schola SCHOEPFLINIANA prodituri, amplexus anhelantem, id nos tum quidem Illi felix fauſtumque et rei tum publicae tum literariae commodis vt eueniret precati ſumus, Seniique Venerando, hoc ſuo diſcipulo et quatuor ſuis RASVMOFSKIIS, tribus item aliis Comitibus multoque pluribus, quibus ex Nobilium ordine generoſis adoleſcentibus per praecedentem hiemem cinctus fuerat et adhuc cinctus eſt, impenſe laetanti, hanc ſuam laetitiam laeti gratulati, proficiſcentem piis votis comitati vtque ſaluus eat et redeat fore augurati ſumus; nec nos fefellit augurium.

Rediit enim ſaluus, ſartus tectusque et confirmata ita per excurſum hunc valetudine, vt cum reducem et per nos

tran-

tranſeuntem amplecteremur, non fractum ex longo itinere peregrinatorem, non debilitatum annis et laboribus ſenem, ſed iuuenem aliquem virum, in aetatis flore conſtitutum annunciarent vegetus color in facie, viuidum in oculis lumen, pedum agilitas, totius corporis vigor; animi vero ſerenitatem exprimeret multus et copioſus verborum, quo non vnquam deſtituitur, apparatus et quo tum maxime abundat, cum laeta litteris earumquae progreſſibus et augmentis habet quae nunciet. Loquuntur tum ex Illo non lingua tantum et mentis cogitata, ſed manus, oculi, inceſſus agitatus nunc, nunc ſedatior, nunc ſubito remiſſus, nunc agitatior iterum, omnia, per quae quis loqui et animi ſenſus poteſt exprimere; adeo vt ſi vel loquaciſſimus ipſe ſis, lubens taceas et ex narrantis ore cum voluptate pendeas. Narrauit tum nobis COBENZELIVM filium ter quaterue publice praeſentibusque ex omni ordine viris et feminis, epiſcopis, aulicis, indigenis, exteris examini ſe ſuo ſubiicientem eaque praeſentis animi vbertate reſpondentem, vt raperet in admirationem ſui omnes et ſingulos;

gulos; narrauit COBENZELIVM patrem optimum, grauiſſimis quidem, quibus praeeſt, negotiis ita parem, vt ſingula curet et omnibus prouideat; narrauit Louanienſis Academiae, tot ſummis olim doctoribus inclytae, ſtatum praeſentem, non deſperatum quidem illum, ſed talem, vt medela mature adhibita, priſtino ſplendori illam ſperet fore vt reſtituat prouida Auguſtiſſimae THERESIAE cura; narrauit ſpem e longinquo ſurgentem, fore vt in Belgio Auſtriaco condatur Scientiarum Societas, Theodoro Palatinae matris aemula filia, e torpore excitatura languentes longo ſitu horum animas et illorum verecundam iuuatura modeſtiam, qui virium ſuarum nondum ſatis conſcii, impares ſe ſuſcipiendis laboribus, erudito orbi olim et patriae maxime proficuis male crederent. Enumeravit praeterea longa ſerie locos, homines, naturae, artis et ingenii monumenta et miranda, quae luſtrauerat oculis oſtentauitque, haec inter iucunda audientibus colloquia, opimas, quas hinc inde retulerat; praedas, amicitias, elogia, omnis generis libros, dona, ſui deſiderium; aureum numum COBEN-

ZELII

ZELII imaginem referentem, Statuum olim in ipſum Gubernatorem et Gubernatoris nunc in ſe propenſionis et affectus teſtem, Lippertianam celebratam gemmarum et lapidum collectionem, multa alia, quae ambitioſe exponere huius loci eſſe non putamus; quod vero primum et praecipuum erat nec ea propter taceri debet, Iuuenem COBENZELIVM ipſum, non ex academico veterano more duo vel tres, ſed ſex et plures annos tanto Doctori ex Patris voluntate traditum et cum Ipſo reducem.

Fuſius aliquanto, atque primum ipſe volueram, haec proſecutus ſum, vt cognoſceretis hoc ſpecimine, Lectores, quam dulce ſit audire narrantem Senem noſtrum, non quod huius aetatis commune vitium eſt, loquacem aut garrulum deque rebus, quae nullius vſus aut momenti ſint, multa vel inuidioſe vel frigide diſputantem, ſed ſuauiter audientium aures iis, quae placeant omnibus et proſint, quibus poſſint, demulcentem eoque non ſale quidem, ſed quod ſale ſapientius condimentum eſt, veri bonique ſenſu ſermones condientem, vt acuat audientes

ipſos et ad ſimilia his, quae laudat ore facundo, vel tentanda vel agenda incitet.

Patri COBENZELIO parem RASVMOFSKIVM iungere lubet, nec quin par hoc nobile Patrum hic iungeremus, temperare nobis potuimus, poſtquam ex litteris RASVMOFSKII nuperis ad SCHOEPFLINVM datis, quibus, inter alia, gratiarum actionem, pro transmiſſo ad Illum digno regia munificentia munere, (*) deprecatur humaniſſime, intelleximus, eum Viro huic, in tanto faſtigio conſtituto, recti veri bonique circa educationem filiorum ſenſum, eum paternae mentis affectum, eum

(*) Id quale fuerit, malumus facundis ipſius SCHOEPFLINI verbis, ex literis ad nos datis, quam noſtris docere Lectores. „ L'Ex Hettman „ le Comte de RASOVMOFSKY, Veld-Maréchal (ita ſcribit inter alia) „ vient de m'envoyer de Moſcou vne fourrure prétieuſe, appellée „ Touloupe. C'eſt vne robe compoſée de brébis mortnés d'Aſtracan. „ On tue la mere dans vn certain tems de maturité de ſon fruit, „ pour l'en retirer et l'on écorche enſuite ces ieunes animaux, pour „ en tirer les peaux; c'eſt vn luxe aſiatique, qui de la Perſe a paſſé „ par la Tartarie en Ruſſie. Ie garderai cette galanterie dans mon „ Cabinet, comme vne piece curieuſe et précieuſe, ſans en faire „ iamais vſage pour moi. Vne robe de cette valeur decore vn „ grand, ne decore pas vn philoſophe. " Verbum non addo.

eum φιλανθρωπίας ſine menſura modum et ſine modo menſuram ineſſe, vt ſimile quid, nedum ſublimius, in ipſis illis celebratis tantopere et tanto iure Graecorum olim et Romanorum vel ſagatis vel togatis heroibus vix deprehenderis.

Adfirmauerim fere, haec dum cogito, vel Petropolin adhuc vel ipſa Scytharum domicilia non nimis longum Noſtro interuallum fore, quin eo vsque iter vt ingrediatur olim perſuaderi poſſit, dummodo id vnum Ei perſuadeas, ſpem affulgere commodi per Ipſum in rem publicam et literariam redundantis, inferendi indeque reportandi. Quae qui mecum crediderit, non multum mirabitur, Düſſeldorphinum iter Eum hoc anno parare eademque via repetendas Bruxellas decreuiſſe, quod quomodo euenerit vt vos doceam, Lectores, ſupereſt.

Scilicet Manhemium et ad amatam Sibi tantopere Academiam Anno, quo haec ſcribimus MDCCLXVIII. reuerſus menſe Aprili, *Vindiciarum* ſuarum *Rupertinarum* ſectio-

nem poſteriorem in Conſeſſu Academiae publico praelegit nec prius reliquit, quam fidem feciſſet Gratioſiſſimo PRINCIPI ELECTORI, id impenſius optanti, ſe eodem rediturum menſe Iunio et inde vicatim Düſſeldorphium vsque progreſſurum, comitibusque duobus academicis et tertio pictore, ſtudioſe omnia et ſingula, vrbes, vicos, monaſteria, ſcrinia, tabularia, monumenta luſtraturum, ſcrutaturum, eruturum et congeſturum eſſe, quae rebus Palatinis affundere olim lucem aliquam poſſent. Qua re feliciter, quod non dubitamus, cum omnia Illi proſpere cedere dudum conſueuerint, peracta, deſideriis aliis IMPERATRICIS MATRIS Auguſtiſſimae, COBENZELII Comitis et bonorum ex Belgis Auſtriacis omnium, quantum in ſe eſt, reſponſurus, Bruxellas vsque perget iterum et quem Academiae recens inſtituendae proſpectum, a ſe petitum, resque regionis ampliſſimae, tot fatorum, euentuum, monumentorumque omnis generis copia abundantis, illuſtraturae, abſens delineauerat, praeſens executioni vt det omni virium, tot aliorum viribus adiutus, contentione allaborabit. Faxit propitium

tium rei hiſtoricae, tanto ſub Sacerdote, Apollinis et Muſarum omnium Numen feliciter!

Habetis, Lectores, publicam Illuſtris SCHOEPFLINI Vitam, priuatam ſi vultis, haec paucis adhuc habete. (*) De valetudine, quam nec anxie curat nec incurius vnquam neglexit, bis tamen A. MDCCXXXIII. et decennio poſt ita

(*) Anecdotas, quas vocant, hiſtorias plures huic Vitae intertexere, cum potuiſſem, nolui et cur noluerim, non illi quidem videbunt, qui tanto impetu illas vt ſecum communicaret, a Noſtro ſubinde poſtularunt; videbunt vero, qui multa ſcire nos, nec tamen vulgare omnia debere, prudentiores intellexerint. Qui vero a Biographis anecdotas hiſtorias, iure quodam ſuo, exigere poſſe ſibi videntur miri interdum noſtrorum dierum iudices, hi quanquam, quo ſe tueantur, habeant, ſciant tamen: ingenium, indolem, propenſiones et auerſiones Eius, cuius Vitam ſcribo, tutius et plenius ex actionibus, a me memoratis, cognoſci, quam ſi vel ſuppreſſis eorum nominibus, qui huic vel illi rei actae actores interfuerunt, fabulam narrare viderer (et ſunt ſaepe fabulae, quas pro anecdotis hiſtoriis nobis imprudentibus vendunt belli ſcriptores, aut ſaltim ſcribendo exornandoque fiunt) vel additis nominibus inuidiam crearem tum illi, in cuius laudem narrarem, tum mihi, qui narrarem; quae vero nocerent famae Viri Summi ſi haberem, a ſcribenda Vita omnino abſtinuiſſem, qui non niſi rerum publice cum laude geſtarum ſcriptor cenſeri volo.

periclitatus eſt, vt mortuum, qui viuit adhuc et bene valet, iam ante hos fere ſex et triginta annos carmine ploraret, qui tum Argentorati degebat, bonus TRILLERVS nec, vt ſumus amantes liberorum noſtrorum, temperare ſibi potuerit, quin ſuae Carminum, vernaculo idiomate conſcriptorum, collectioni illud Epicedium insereret. (*) Coelibem vitam cum egerit ſemper, domeſticam rem omnem Soror curat; menſam nec parcus nec prodigus, frugalem inſtruit, ad quam liberaliter omnes admittit, quibus vel amicis frui, vel indigis benefacere vult, laetus ipſe conuiuis hoſpes; multi cibi inter prandendum, multi ſermonis et iucundiſſimi colloquii; incoenatus cubitum ire longo abhinc tempore conſueuit, hancque, quam ſibi ſcripſit Ipſe legem, vbicunque et apud quoscunque ſit, nunquam transgreditur. Saepius tamen domo abeſt ipſe et Pro-

(*) Nollem tamen haec ſiniſtre quis interpretetur, quaſi nocere his verbis voluiſſem famae Viri, cuius humanitatem ipſe olim expertus ſum; illud potius inde velim eliciat Lector: bene cupiuiſſe SCHOEPFLINO TRILLERVM, idque teſtatum voluiſſe et tum, cum crederet, immaturo fato rebus humanis ereptum Virum illuſtrem et poſtea, cum ſupereſſe adhuc votisque bonorum omnium redditum reſciuiſſet.

Procerum menſis ac conuiuiis optatus et expetitus hoſpes intereſt. In Veſtibus (*) inter antiquos et iuniorum mores, quod virum grauem decet, medius incedit; ſerica vel holoſerica nigra vtitur, cum inter Principes vel Magnates vel in ſolennitate verſatur, communi, cum ſibi relictus eſt; elegantiam non affectat, ſed exprimit vultu, geſtu, inceſſu, moribus ad illam longo cultiſſimorum hominum vſu formatis. In omni vitae vſu ſingulare, tetrum et deforme nihil in Illo deprehendas; vitam quae reddant iucundiorem beatioremque omnia; aditu facilis eſt, dictu affabilis; ſi quos iuuare poteſt, ſi quos erran-

(*) Superflua viſa ſunt non nemini verba haec, quae non vane profecto nec fruſtra heic primum appoſueram; nec enim vel MAGLIABECHIVM aliquem ſqualore et ſorditie (peregrina nomina excito, quibus domeſtica Germanis facili negotio, ſi opus eſſet, ſubſtituerem vel TANAQVILLVM FABRVM affectata munditie SCHOEPFLINVM eſſe et multa praeterea alia, quae, qui emunctae naris ſunt, facile ſubolfacient, docere illis volui, quae propter illa nec nunc quidem delenda putaui. Quem ceterum (vt hoc quoque, quum ita ferat occaſio, moneam) ieiuna cuiusuis, quae quotidie nobis vel in laudem vel in vituperium aliorum compoſita, in ephemeris maxime ſcriptis, obtruduntur iudicia, mouerent, nae is valde mobilis ſuique de rebus vel ſcribendis vel non ſcribendis iudicii parum ſecurus eſſet.

errantes in viam reducere, ſi quid boni promouere, totus in eo eſt et indefeſſus, prudens tamen et temporibus ſeruiens; nullis affectibus, niſi illis, qui ex bene faciendo naſcuntur, obnoxius vnquam, laetus ſcilicet et hilaris, ſi quem ſuo conſilio, ſuis rebus, ſuo exemplo iuuit; (*) ſi quem contra ingratum aut inurbanum, vt ſolet fieri, expertus eſt, dolet, nec tamen male collocati vel beneficii vel opis vel conſilii Eum poenitet. In omni vita purus, in omni colloquio decens, in

---

(*) Horum ſi inire numerum vellem et excitare ſingula nomina, quae vel gratus hodie celebrat orbis omnis literatus vel ob quae ſibi plaudunt Regum, Principum et Ciuitatum collegia, academica et eccleſiae ſcholarumque ſubſellia et pulpita, non facile dicendorum finem et exitum inuenirem; quare omnibus, qui ſunt vbique, Schoepflinianae diſciplinae alumnis, qui ſua Ipſi laetiſſima incrementa, fortunas, honores ampliſſimos, famam exiſtimationemque debent, tacitum illum, at longe ſuauiſſimum ſenſum relinquo, quo in ſinu, quod ſcio, gaudebunt dicentque memores et grati, haec cum legerint, ſinguli: Salvero nobis et ſalue iterum et tertium ſalue, Tu qui communis non Germaniae, ſed Gentium praeceptor es, Summe Vir Schoepfline! cuique et nos magnam et maximam partem debemus et aeternum debebimus, quicquid ſumus et profumus. In his et ego nomen profiteor meum, vt vt lentum et obſcurum, gratum tamen et praeteritorum temporum vsque memor.

in omni hominum conſortio blandus, vt non inter libros, ſed inter homines adoleuiſſe vitamque exegiſſe credideris. Boni verique cultor perpetuus, ingenuus in probando et reprobando, apertus in enuncianda animi ſententia, prouidus in cavendo, ne literae ob literatos habeantur contemtui, nunquam certe propter Illum contemtae. Principibus viris carus et optatus, aequalibus ſine ſtrepitu, ſine faſtu, a quo in omni vita abhorruit, aequalis, inferioribus et imis placidus et ſerenus, omnibus venerandus; nulli non verbis honorum et externa morum elegantia commendatus, nulli non talis,

quales eſſe omnes optamus,

pauci ſumus.

SCRIPTA SCHOEPFLINIANA.

1711. 1) Diſſertatio, qua *antiquus Lapis Tergeſtinus* declaratur, additis *XIV.* ex *Hiſtoria veterum regnorum* vexatis *quaeſtionibus*, Baſileae ſub praeſidio Iſeliano ventilata 4. pagg. 62.

1717. 2) Oratio, qua ſiſtitur *Germanicus, rarum Principis ad ſpem imperii nati exemplar.* Argent. 4. pagg. 22.

1719. 3) Oratio conſecrandae Memoriae *Io. Henr. Barthii Doctoris Theologi* Argentinenſis. Argent. 4. pagg. 20.

1721. 4) De *Origine, fatis* et *ſucceſſione Regni Nauarrae* ad noſtra vsque tempora diſſertatio, praeſide Kuhnio. Argent. 4. pagg. 88.

5) Oratio conſecrandae Memoriae *Io. Caſp. Kuhnii, Hiſtor. et Eloq. Prof.* Argentinenſis. Argent. 4. pagg. 22.

1722. 6) *Panegyrici Ludouico XV. regiis Natalibus dicti* Annis 1722. 23. 24. 25. 29. 31. vsque ad A. 45. incluſiue. Argent. fol. typis exſcripti ſinguli, praeter illum, quem A.

1725.

1725. dixerat, quod paulo poſt Nuptialis Oratio habita. Horum Panegyricorum hinc inde aliquis vel in gallicum vel in germanicum idiomata translatus typisque exſcriptus eſt, vt cum latinae linguae ignaris communicaretur, quantum fieri poterat, quae ceperat latina audientes voluptas.

1723. 7) *Miſcellanea hiſtorica.* Argent. 4. pagg. 14.

8) De *Alemannicis Antiquitatibus* Commentatio, qua integra veterum Alemannorum fata vsque ad extinctam eorundem rem publicam traduntur. Argent. 4. pagg. 60. additus eſt Index.

9) *Obſeruationes hiſtorico-criticae.* Argent. 4. pagg. 12.

10) *Selecta hiſtorica.* Argent. 4. pagg. 16.

1724. 11) *Illuſtres ex Hiſtoria Hiſpanica controuerſiae.* Argent. 4. pagg. 28.

1725. 12) *Illuſtres ex Clodouaei Magni Hiſtoria controuerſiae.* Argent. 4. pagg. 24.

13) Oratio Nuptialis, qua *Ludouico XV. Nuptias*, praeſente Stanislao Rege, *gratulatus eſt.* Argent. fol.

14) *Obſeruationes hiſtoricae*, quibus Origines Romanae diſcutiuntur. Argent. 4. pagg. 14.

15) *Varia critica* ex Hiſtoria ſacra et profana. Arg. 4. p. 16.

16) *Analecta hiſtorica.* Argent. 4. pagg. 16.

1726. 17) De *extincto* et *reſtaurato Occidentali Imperio.* Argent. 4. pagg. 104.

1729. 18) Genethliacus, quo *Ludouico XV. Delphini Natales* gratulatus eſt. Argent. fol.

1730. 19) De *Apotheoſi* ſiue Conſecrationibus Imperatorum Romanorum. Argent. 4. cum fig. aeri inciſis, pagg. 114. additus eſt Index.

1731. 20) *Illuſtres* ex *Britannica Hiſtoria controuerſiae.* Argent. 4. pagg. 84.

21) De *Auſpiciis Romanorum.* Argent. 4. pagg. 45.

22) De *Burgundia Cis-* et *Trans-Iurana.* Argent. 4. pagg. 76. acceſſit Index.

1734. 23) Les *Armes du Roi iuſtifiés* contre l'Apologie de la Cour de Vienne. Strasbourg. 4. pagg. 16.

1735. 24) *Illuſtres* ex *Francica Hiſtoria controuerſiae.* Arg. 4. p. 23.

1740. 25) Programma *Secularia* inuentae *Artis Typographicae* celebranda indicens. Argent. 4. pagg. 8.

1741. 26) *Commentationes hiſtoricae* et *criticae.* Baſileae 4. Continet hoc Volumen ſcripta, quae ſub Numeris 4. 8. 11. 12. 17.

12. 17. 19. 20. 21. 22. 24. et 25. notauimus et excerpta ex diſſertatione Nro. 1. notata. Acceſſerunt, quarum nondum mentionem fecimus, commentationes

27) De *Sacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus*, a p. 321. ad 366.

28) *Dubia hiſtorica*. a p. 427. ad 434.

29) Diſſertatio hiſtorica, qua ſiſtitur *Chronologia Romanorum Syriae Praefectorum*, Pontificum Iudaeorum atque Iudaeae Proconſulum, a p. 465. ad 498.

30) Obſeruationes ad *Librum Diurnum*. a p. 499. ad 432.

31) *Formula Pacis* inter Fridericum Barbaroſſam et Alexandrum III. a p. 533. ad 536.

32) *Innocentii VIII. Bulla* Diſpenſationis inter Carolum VIII. Regem Franciae et Annam, Duciſſam Britanniae data A. MCCCCXCI. a p. 531. ad 540.

33) *Recenſio Actorum Conſilii Baſileenſis*, quae inter Codd. MSC. regii Nauarrae Collegii etc. extant. a. p. 541. ad 556.

Commentariis Regiae Inſcriptionum Academiae Pariſienſis ſequentes inſertae ſunt, ſuo quaeque loco et tempore, Noſtri lucubrationes

34) *Super Monumentum Legionis VIII.* Auguſtae Argentorati repertum.

35) De *Gentis Treboccorum Origine et Situ*, occaſione columnae in veteri Brocomago A. 1735. repertae.

36) *Super Fragmentum Liuii*, ex Salernitani Coenobii Cod. MS. olim deſcriptum a Matthaeo Rockio.

37) De *Typographia* ante A. 1440. *a Gutenbergio reperta*, qui cum Dreizehnio ac Heilmanno, Argentinenſibus ciuibus, Sociis ſuis, iam A. 1439. litem apud Magiſtratum Argentinenſem hac ſuper re habuit, ex Actis et documentis publicis, huc vsque ignotis, eruta et demonſtrata.

1751. 38) *Alſatiae Illuſtratae* Tomus prior. Colmariae ex Typographia Regia. fol. cum figuris plurimis aeri inciſis, pagg. 819. additus eſt Index.

1752. 39) *Vindiciae Celticae.* Argent. 4. pagg. 140. accedit Index. Graecos et Latinos ſcriptores omnes excitat, apud quos Celtarum nomen occurrit, excuſſisque illorum locis concludit: fore fortaſſis, qui cauſſa examinata ſentiant, Galliam ſolam ſolum natale proprium extitiſſe Celtarum.

1760.

1760. 40) *Vindiciae Typographicae.* Argent. 4. pagg. 120. cum documentis Typographicarum Originum tunc primum editis et tabulis ſeptem aeri inciſis.

41) *Alſatiae illuſtratae* Tomus poſterior. Colmariae fol. p. 748. cum figuris multo plurimis aeri inciſis. accedit Index.

1763. 42) *Hiſtoria Zaringo-Badenſis.* Volumin. VII. Carolsruhae. 4. cum tabulis pluribus aeri inciſis. accedit Index.

1766. 43) Panegyricus *Ludouico XV. ſecundum Imperii ſemiſeculum ingreſſo* dictus. Argent. fol.

Commentariorum Academiae Theodoro - Palatinae Volumini I. ſequentia Noſter inſeruit

44) De *Ara votiua Ladenburgenſi*, Imperatoribus et Caeſaribus Rom. a Moguntiacenſi ciuitate ſeculo III. exeunte dicata. a. p. 183. ad 192.

45) De *Caeſareo Ingelheimenſi Palatio* a. p. 300. ad 321.

46) *Oratio Inauguralis* et aliae SCHOEPFLINI in publicis Academiae conuentibus recitatae leguntur ibidem p. 9. ſqq.

Volu-

Volumen horum Commentariorum ſecundum, ſuo tempore publicandum, dabit Noſtri diſſertationes ſequentes; vnam

47) *Super Monumentum ſepulcrale Schriesheimii repertum;* alteram

48) *Vindiciae Rupertinae* inſcriptam; addenturque iterum

49) *Orationes* in ſolennibus *Academiae Conuentibus* iam recitatae; et niſi Volumini tertio ſeruentur, tertia

50) *Super Euangelium S. Marci Venetiis ſeruatum* diſſertatio, et quarta

51) De *Gerai lis* Palatinatus et viciniae.

1767. 52) *Alſatia Diplomatica.* Argent. fol. ſub prelo.

1768. 53) *Alſaticarum Rerum Scriptores.* Baſil. fol. ſub prelo.

54) *Opera Oratoria.* 4. Aug. Vindel. 4. II. Vol.

CORRIGENDA.

Pag. XVII. lin. 15. dele: *Auditores*
XXXVIII. l. 3 dele: *Comite*
l. 4. loco *Moguntiae* repone: *apud Lotharingos*
l. 16. lege: *inuento*
XL. not. (*) lin. 5. lege: *intitulé*
XLI. not. lin. 19. lege QVIRINVM
lin. 20. lege: *eadem tamen,*
XLVIII. not. lin. 1. lege: Io.
LXXX. not. lin. 9. lege: *Salue.*

PANE-

PANEGYRICI
QVOS
LVDOVICO. XV.
GALLIARVM. REGI
PIO. FELICI. AVGVSTO
ARGENTORATI
IVSSV. PVBLICO
OLIM. DIXIT
IO. DANIEL. SCHOEPFLINVS
REGIVS. FRANCIAE. HISTORIOGRAPHVS.



G. Eichler del. Rein Sc. A.V.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXII.

GRande arduumque ſuſcepi negotium, Auditores ſuis quisque Elogiis Condecoratiſſimi, in tanta Virorum Illuſtrium frequentia de re omnium maxima hodierno die verba facturus. Sive enim ipſius loci, in quo verſor,

celebritatem, ſive rei, de qua dicendum eſt, magnitudinem contemplor, nihil quod vel ſumma ingenia terrere, eorumque in dicendo vires ſuperare non poſſit deprehendo. De Gallia ſane et Auguſtiſſimo Ejus Monarcha, ſive de tot admirandis pro dignitate meritoque diſſerere, ſi quis parum eſſe exiſtimaret, illum neceſſe eſt in maxima rerum clariſſimarum ignoratione verſari. Quis enim vsquam extat tam abſtruſus terrae angulus, quae gens tam barbara, quae ab omni reliquorum mortalium commercio tam remota natio, quam immortalis Gallici Regni fama non pridem pervaſerit, cui non metum aut venerationem impreſſerit tam late dominata virtus et potentia. Enimuero cum vniuerſas vaſtiſſimi hujus Regni viciſſitudines compendio quodam reuoluimus, quam immenſus rerum cumulus, quanta proeliorum, quanta victoriarum, quanta illuſtrium denique fatorum ſeges occurrit. Surrexit illud, Auditores, ex ruinis formidandi iſtius Romani Imperii, et ad Ejus exemplum ad inuidendum mox gloriae et potentiae culmen conſcendit. Aucta eſt ſucceſſu temporis haec felicitas publica, cum Carolum poſtea Magnum in Regio Franciae ſolio, tanquam novae et vniuerſalis cujusdam Monarchiae Conditorem, et ſummum Europae Arbitrum totus Oriens atque Occidens ſuſpiceret. Et vt huic tam vaſto ſplendori quicquid in terris ſublime inſuper accederet, reuocatus ille, et in Francicam Gentem translatus, ille, inquam, ſaeua populorum incurſione per tria ſecula ſepultus Romani per Occiden-

tem

tem Imperatoris titulus; poſtea tamen in Germanicam Caroli ſtirpem deſtinato fatorum ordine deriuandus. At quantam rerum glorioſe geſtarum ſeriem produxere fortiſſimi illi ex Capetiorum ſtirpe Principes exorti; quorum virtus coelo adſcripta, et aeternitati conſecrata ſeculis ſuis admirationi, poſteris autem miraculo fuit. Vidiſſetis tum, Auditores, tot generoſas, tot inuictas pace belloque animas, illos loquor Philippos Auguſtos, illos Ludovicos, illos Franciſcos, et Henricos, qui victricia Galliae Lilia non per Europam tantum, ſed per magnam Aſiae partem cum maxima Francicae Gentis fama circumtulerunt. Sed hanc tam late diffuſam Majorum gloriam longiſſime ſuperare viſus eſt, quem hoc et ſuperiore ſeculo non Gallia tantum, ſed vniuerſus fere qua patet Orbis rerum ſuarum moderatorem agnouit, Ludouicus ille Magnus, Regum, qui ipſum praeceſſerant, longe omnium maximus. Hoc demum imperante patuit, inſuperabilem bello eſſe Franciam, inuictas eſſe iſtius populi vires, quem fortiſſimae gentes, in ipſius perniciem conjuratae, fruſtra oppugnauerant. Quam laeta tum triumphabas, Victrix Gallia, cum ex omnibus Mundi partibus laureatae Tibi litterae aduolarent; cum tot excelſi Heroes Tui nunc per Hiſpaniam, nunc per Italiam, nunc per Belgium, nunc per Germaniam, et per ipſam denique Barbariem Legiones Tuas non tam ducerent, quam raperent; imo quot diuerſae terrarum partes ſunt, totidem victoriarum trophaea collocarent; cum Auguſtiſſimi Regis Tui, tot prouinciarum domitoris,

tot laureis condecorati fama vel remotiſſimos Orbis habitati populos ad tantae Majeſtatis contemplationem, ad tot triumphorum ſpectaculum excitaret. Atque hujus tanti Monarchae digniſſimum Te maximumque Succeſſorem hodie veneratur Gallia Tua, LVDOVICE, Rex Glorioſiſſime; Gallia, inquam, Tua, quae in Te generoſum illum Ludoviciani ſanguinis vigorem, Heroicos illos ſpiritus, et diuinam illam indolem laetabunda jam pridem agnoſcit. Quid ſupereſt, Auguſtiſſime Monarcha, quam vt nos, multiplicatis tot illuſtribus, quae pro Te concepimus, votis, illam quoque publicam populorum expectationem paſſim ſolenniterque nunc praedicemus, et vel e longinquo Majeſtatem Tuam reuereri publicum noſtri in Te ardoris teſtimonium ſolio Tuo admoueamus. Praeſtant id hodie Argentoratenſium Tuorum Ciuitas et Studiorum Vniuerſitas: quae cum inter poſtremas Gallico, cui nunc praees, acceſſerint imperio, fide tamen et obſequio erga Te vel cum primis, vel cum antiquiſſimis certare conantur. Ego vero, quem publica auctoritas tam arduae rei interpretem conſtituit; qui prima nunc vice tremebundus tam excelſi argumenti veſtigia ſequor; quem in ipſis dicendi primordiis illa Rhetorum praeſidia deficiunt, ſubterfugerem plane hujus loci negotiique ſublimitatem, niſi Tuas, LVDOVICE, virtutes ille demum dicendo verê exprimeret, qui eas ſimpliciter et more majorum commemorando recenſet. Faciam hoc, Auditores, ea, quae affectui, quae pietati noſtrae quam maxime conuenire videtur,

tur,

tur, ratione, et ſiſtam Vobis, qualem mentibus veſtris jam pridem exhibuiſtis, LVDOVICVM SPEM GALLIAE. Tam late patentem dicendi ingreſſurus campum futuraeque felicitatis majoris animo reuoluens praeſagia, a Vobis quoque, Auditores, enixe contendo, vt veſtra humanitate et veſtro fauore ſupplere velitis, quae ſimplici et parum comptae deeſſe videbuntur orationi.

Quodſi vniuerſa illa, quae ad firmiſſimam populorum fiduciam excitandam in magno Principe reperiri poſſunt, animo reuoluamus, Auditores, vel ea, quae fortuita mortalibus eſſe ſolent, felici quodam omine in Auguſtiſſimo Rege noſtro ſeſe manifeſtare deprehendemus. Contingit Illi proſapia, quae et vetuſto ſplendore, et rariſſima Principum ſanctitate, et incomparabili rerum geſtarum gloria jam pridem maximas Europae ſtirpes longe poſt ſe reliquit. Borbonium illud genus loquor, Auditores; illam ex Sancti Ludouici ſanguine derivatam et adſcriptam coelo Gentem; cujus ſi vel ſolum Satorem reſpiciamus, quam non ipſi aeternitatem praeſagire, quam non felicitatis fiduciam, quam non magnitudinis ſpeciem animo concipere debemus. Ex hoc tam ſancto ſtemmate tot Familiae Regiae munimenta, imo inauditum illud miraculum Gallia vidit, quod ſuperſtite et vigente Maximo Rege Proavo, viuo Sereniſſimo Auo Patreque, Auguſtiſſimi Regiae ſtirpis Pronepotes in florentiſſimo Regno florerent, vniuerſi Orbis vel admirationem vel terrorem excitaturi. Sed

cum

eum poſtea conceptum ex tanta felicitate gaudium reſecare diuinae placuiſſet prouidentiae, et tres Delphinos eodem anno extinctos eadem ſtuperet Gallia, omnium oculi et mentes, omnis populorum expectatio in iſtum Principem conuerſa, quem hodie in Regio collocatum Solio laeti veneramur. Imminuta quidem videbatur haec ſpes publica, cum triſtiſſimo LVDOVICI Magni, ſummi illius Heroum Principumque formatoris, obitu, Rex tenerae prorſus aetatis vaſtiſſimi Regni ſceptra recturus videretur: cum Gallia tot victoriis hactenus innutrita, neſcio quae gloriae ſuae decrementa, neſcio quam fortunae cataſtrophen ſibi imminere putaret. At vero, Auditores, quid majus ad Regis noſtri famam, quid illuſtrius ad ſplendoris Ipſius magnitudinem accedere potuit, quam quod eadem bellicae virtutis decora, eadem triumphandi felicitas, eadem gentium exterarum in Galliam veneratio, iis ipſis mirantibus populis, hodieque ſubſiſtunt. Audiuiſtis profecto, et cum ſtupore quodam audiuiſtis, eodem armorum ſucceſſu inualidum annis Regem continuaſſe, quas ſub Auguſtiſſimo Proauo videre contigit, Franciae Regni victorias. Trepidarunt fortiſſimae gentes ad ſolum exercitus Gallici aduentum; conquaſſatae vaſtiſſimae earum prouinciae; conſternati populorum animi, oppugnatae munitiſſimae iſtarum regionum ciuitates, et inſpectante numeroſo alterius partis exercitu in poteſtatem redactae ſatis ſuperque docuerunt, eandem, quae prius, eſſe Gallici nominis famam, eundem, qui olim, virtutis Francicae terrorem, et verum eſſe illud

toto

toto orbe notiſſimum: Galliae Regem non mori. Magnum hoc eſt, Auguſtiſſime Monarcha, tanta armorum rapiditate bella gerere; maximum vero id praeſtare in illa aetate, in qua Tu praeſtitiſti. Adeo in Te rediuiuum videmus illum Iouis filium, qui in cunis iam debellare didicerat; adeo vel ipſa armorum et vincendi felicitate maximum Tuum Proauum, et tot illuſtres Maiores Tuos, inter ipſa iam regnandi primordia exprimere coepiſti. Sed idem Tu, qui tam proſperis auſpiciis arma prouocatus induis, inaudita ſimul eadem exuendi alacritate illuſtriſſima Maiorum Tuorum exempla tranſcendis. Deſiiſti vincere in ipſa victoria; ipſe repreſſiſti triumphos Tuos, ipſe ſucceſſibus Tuis frena impoſuiſti; vt eadem Te moderatione arma abiicere declarares, qua illa prius ſumſeras; vt potiora apud Te eſſe pacis, quam belli conſilia oſtenderes, atque vel hac praeſertim ratione ſanctum aliquod in terris Numen repraeſentares. Neque vero haec ipſa tam pia, tam ſancta pacis cuſtodiendae promouendaeque conſilia certius aliud documentum confirmat, Auditores, quam illud aſſerendae Europaei Orbis tranquillitati, reprimendisque bellorum calamitatibus, cum maximis horum temporum Principibus initum foedus. Quadruplum illud foedus intelligo, Auditores, quod vtinam perpetuum in terris duraret; vtinam praenuncium eſſet aeternae cuiusdam per orbem quietis et ſecuritatis publicae, quod, ſublata litium bellorumque materia, aurea illa priſcorum mortalium ſecula reduceret. Feliciſſima haec ſane pro Galliae Regno

auguria. Quid enim de eo Rege ſperandum, qui in hoc aetatis vigore ad reſtinguenda bellorum incendia promtiſſimus accurrit; quam altam ille quietem, quam tuta ille populis ſuis otia parat, qui paci apud exteros ſtabiliendae tam ſolicite incumbit. Et Galliae profecto nihil aut glorioſius, aut ad ſpem maius contingere potuit, quam quod eam, tanquàm commune aliquod Concordiae templum elegerint potentiſſimi Principes, in qua communis illa Europae quies ex tanto intervallo reſtitueretur; vt ipſa nempe tranquillitatis publicae cuſtos eſſet, quae, redeuntibus mox Cameracenſi pace in concordiam animis, tanquam Palladium coelo delapſum ſuam in Gallia praeſertim ſedem figeret. Tam alte adhuc populorum mentibus impreſſa eſt vetus erga hoc regnum veneratio; adeo ex eius deſtinatione vniverſam illam totius orbis quietem quam maxime pendere videmus; teſte vel ipſo, qui nuper ſolus adhuc in armis erat, Septentrione, qui Gallicis hactenus in bello ſubſidiis ſuſtentatus, nunc quoque pacis reductae beneficium auctoritati et conſiliis Galliae debere ſe laetatur. Ergo Te in Francia regnante Iani templum Roma rurſus clauderet, Auguſtiſſime Adoleſcens; Tune ille, à quo nouus naſcetur ſeculorum ordo, ſub quo noua coelo progenies demittenda, noua exoritura poſteritas; quae ignara bellorum bellique calamitatum in praedicanda tantum gloria et magnitudine Tua occupata per longam annorum ſeriem illuſtria Tua pacis ſtudia et rariſſima orbis pacandi conſilia ad perpetuam futurorum temporum memoriam celebrabit.

Caete-

Caeterum haec omnia per ſe ſane maxima cum tantam in Galliae populis de futuro fiduciam concitare valeant, Auditores, immenſum tamen eam auget excellens illa Regis Optimi indoles, et diuinus ille genius, qui in hac iam aetate tot illuſtria Regiarum dotium ſpecimina per totum paſſim regnum diffundit. Communis iam pridem omnium gentium vox eſt: magnam eſſe illam virtutum neceſſitatem, quam Principibus in illo rerum faſtigio aeterna impoſuit prouidentia. Eorum actiones pro totidem praeceptis, eorum exempla pro totidem imperiis reputat orbis. Atque hoc felicius eſt, quo Gallia hodie ſuperbit, miraculum, quod Monarcham iuuenem non tam aetatis ſpatio, aut annis, quam ipſa factorum, ipſa ingenii diuinitate iam cenſeat. Quid vero eſt, Auditores, quo Principes, quorum aequata coelo poteſtas, Coeleſte quoque illud Numen efficacius in his terris exprimant, quam tenero quodam in Regnum, tenero quodam in vniuerſos eius Ciues amore. Aemulum huius tantae virtutis maximum, maxima cum vniuerſae Galliae gratulatione, noſtrum in prima iam aetate Regem laetabundi prorſus admiramur. Admiramur inauditam illam infimum quemque ad ſublime Suum ſolium admittendi facilitatem; admiramur ineffabilem et rariſſimam eam comitatem, qua Ille laetos gratulantium applauſus, triumphales acclamantium voces, humillimas genua ſubmittentium preces, gemitus et ſuſpiria, excelſa quadam animi aequitate exaudit. Admiramur porro illam tam eximiam, tam adorandam populis virtutem, qua Deo Principes in his

terris quam maxime quoque aſſimilantur, nempe iuſtitiam. Gemuit olim et grauiſſime ſenſit auaras eorum fraudes Gallia, qui Harpyarum inſtar opibus publicis inhiantes ex aliena miſeria ſuas fortunas, ſuas diuitias auxerant. Horum conatus ad Ludouici Magni exemplum, ſub ipſis ſtatim regnandi exordiis, magno vindicatricis iuſtitiae documento, non repreſſit tantum Rex Maximus, ſed et, conſtituto aduerſus eos ardenti, quod vocant, Iudicio, glorioſe oſtendit, priuatorum haec, non Regis fuiſſe peccata, ſeque ea abſtinentia populis ſuis praefuturum, vt illos defenderet, non opprimeret. Magnanimum hoc et vere Regium eſt, Auditores, ſed tantis inſuper virtutibus benignitatem et munificentiam addere, imperium clementia & lenitate temperare, temperantiae manſuetudinem iungere, et vnicum populorum ſuorum perfugium eſſe, non niſi Eius eſt, quem futurae ciuium ſaluti, et maximae ſubditorum expectationi divina deſtinauit prouidentia. Itaque videor ſane mihi, Auditores, reſurgentes ex cineribus ſuis iam contueri tot illuſtriſſimos Galliae Patres atque Statores, tot praeclara Franciae decora, Ludouicos illos Magnos, Pios, Sanctos atque Iuſtos; quorum veneranda et perpetua inter populares erit memoria, quorumque Manibus quam maxime nunc gratulamur, quod ſuo in Nepote quaſi rediuiui, ſuas in Ipſo virtutes certatim refloreſcentes conſpiciant. Videor mihi iam Auguſtiſſimum Regem ad antiquas eorum imagines ſedentem videre, et cum profunda quadam tot eminentium in ipſis Heroicarum virtu-

tum

tum meditatione, eas ſibi tanquam totidem imitandi documenta proponere. Videor mihi denique Ipſum in vetuſtiſſimis Annalium monumentis defixum conſpicere, et in iis quoque Miltiadis numerare certamina, Marii extollere victorias, Caeſaris praedicare triumphos, et illa praeſertim Maximo Principe digniſſima Auguſti pacis ſtudia admirari. O extractam coeleſti ſemine indolem! O conſciam verae Maieſtatis ambitionem! Crepundia haec erant Regis teneri, quae maturae aliorum aetatis ſera ſunt exercitamenta. In primo annorum aditu iam veterum Heroum commercia quaerit LVDOVICVS, et, vt Magnus ille Macedo, Maiorum virtutes luſtrando futurae magnitudini ſuae quaſi praeludit. Imo inter haec praeludia, praeſago quodam fatorum iudicio, ſua aliquando pacis bellique trophaea diuina iam mente agitat; hoc ſolum indignatus, quod per aetatem omnem illam gloriam populis ſuis nondum praeſentem ſiſtere liceat. Rara haec et maxima diceretis, Auditores, niſi excelſus ille Regius ardor rarioribus nos iam pridem aſſuefeciſſet, illudque inſuper adderet miraculum, quod per omne ſtudiorum, per omne inſuper artium genus rapere tam ſublimem genium videatur. Et habuit ſane hoc iam pridem prae aliis Gentibus peculiare florentiſſima Borboniorum Familia, quod tantos orbi oſtentauit Principes, qui generoſo quodam in literas amore, inde demum veram imperii ſui magnitudinem aeſtimarunt, ſi inter Martias ipſorum palmas frequens quoque Apollineae lauri prouentus conſpiceretur. Sed in hac iam aetate tanto fer-

vore, tanta auiditate quicquid diuinarum humanarumque rerum cognitioni mortalium conceſſum eſt peruagari, Tui ſolius eſt, Auguſtiſſime Princeps. Supergredere porro tam Heroico impetu ſpem et vota Galliae Tuae, Rex Maxime, et ſublimem illam indolem Tuam, omnium rerum capacem, nonniſi coeleſtium auidam, tam excelſis artibus ad maiora ſemper effingere perge. Ita nouum in Te Phoebum ſuum literatus quoque venerabitur Orbis; ita Galliam, Tuo praeſertim exemplo ſuperbam, aeterna excultarum prae omnibus gentibus literarum manebit gloria; ita Ipſe Tibi Tuos aliquando excitabis praecones, qui paribus Maieſtati, paribus magnitudini Tuae dotibus ornati, fulgentem Tuam inter ſidera famam dignis quoque aeternitate, dignis tanto Monarcha praeconiis atque monumentis conſecrabunt. Tremant ad hoc exemplum ſummi Terrarum Principes; Tu vero ſpe Tua felix triumpha Gallia; cui haec Aurora tantum Solem praenuntiat. Sed quid tantum ſplendorem praenuntiari dico, Auditores, qui maximam potentiſſimarum Orbis gentium partem iam pridem in ſe conuertit. Surrexit in venerationem LVDOVICI noſtri, quicquid Europa Populorum, Regum, atque Principum longe lateque oſtentare poteſt. Excitatus eſt vltimis Septentrionis partibus Magnus ille Ruſſorum Monarcha, et in tenero adhuc Rege tot illuſtria virtutum et futurae gloriae documenta propius mirari venerarique iam voluit. Et ſplendidiſſima nuper a praepotenti Turcarum Sultano in Galliam miſſa Legatio, quam plenum

num LVDOVICIANAE famae ipſum quoque ferocem illum Orientem eſſe teſtatur. Quam onuſtus ille Regiis beneficiis Nuntius, quam plenus admiratione tot conſpicuarum in florentiſſimo Rege virtutum in Patriam rediit, praedicaturus Principi ſuo: Solem ſe Orientem conſpexiſſe, qui totum aliquando Orbem fulgore ſuo praeſtricturus eſſet. Et ille tandem, qui ad remotiſſimos terrae fines imperio ſuo pertingit, vaſtiſſimus Occidens, quantum ille praeſertim ad illuſtrandam confirmandamque Galliae ſpem atque gloriam afferre viſus eſt. Celebrata nuper cum Sereniſſima Hiſpaniarum Principe ſponſalia Regia heic à me deſignari intelligitis facile, Auditores; magnum et rarum laetitiae publicae argumentum, quo glorioſam Ludouici Magni periodum pari fatorum Ordine reuolui, iucunda cum futurae felicitatis meditatione, laetatur Gallia. Pignus olim Pyrenaea pace reductae inter Franciam Hiſpaniamque amicitiae Hiſpanica fuit Princeps, ex peruetuſta et potentiſſima Auſtriacorum ſtirpe oriunda. Reſtitutae inter easdem hodie gentes concordiae ſimile pignus eadem accipit Gallia, ſed altiore quodam prouidentiae diuinae arcano. Borboniam ex Hiſpanico Solio Principem Francico Borboniorum Solio imponit Rex Auguſtiſſimus. Dignum ſane cui Ludouicus Magnus ex illa aeternitatis arce intentus eſſet ſpectaculum; qui hunc Gallici ſanguinis pro Hiſpaniae ſalute tam largiter effuſi illuſtriſſimum iam fructum cerneret, vt non frequens tantum Borbonii ſanguinis in Hiſpania eſſet prouentus, ſed et inde certiſſima magnitudinis Gallicae

propago

propago peteretur. Viue Hymenaeo Tuo aeternum felix, Auguſtiſſimum futurorum Coniugum Par, et rariſſimam illam temporum felicitatem refloreſcentem Te imperante Gallia videat, vt ſpes ſera Nepotum, ex thalamo aliquando Tuo proditura, rerum gerendarum multitudine omnem Maiorum ſuorum memoriam tranſcendat. Surgant ex ſanguine Tuo genuini Franciciae gloriae aemuli, qui tam excelſa, qua orti ſunt, proſapia digni, diffuſis late per Orbem miraculis, doceant: Borbonium cum Borbonio ſanguine iunctum nonniſi Hectoras, nonniſi Alexandros producere. Sed et Te praeſertim illa publica populorum gratulantium gaudia reſpiciunt, Sereniſſime Aurelianenſium Dux, Orbis Gallici Rector Potentiſſime; Te, inquam, qui et ipſe nouo arctioreque cum Hiſpania vinculo nouum nuper Genti Tuae ſplendorem atque robur conciliaſti. Aſſumitur in ſpem Solii Hiſpanici Sereniſſima e thalamo Tuo Monpenſeria, et Auguſtiſſimo Aſturiarum Principi deſponſata reddit Hiſpaniae, quod ex Hiſpania ornamentum accipit Gallia; laetantibus omnino Heſperiae illius orae populis, qui impreſſa terris ſuis virtutis fortitudinisque Tuae veſtigia venerabundi hodieque contemplantur. Pugnaſti Tu ſane iam olim conſueto et Heroico Tuo ardore pro ſalute et gloria Hiſpanici Regni; relictisque in eo tot illuſtribus prudentiae bellicae documentis, praeſcius quaſi fatorum eras, quae Tuis aliquando ex Auguſta Principe Nepotibus ſublime iſtud ſolium iam tum deſtinaverant. Sic ſtabilita per Te, et inuiolabili quodam vinculo confirmata

mata felix vicinorum Regnorum tranquillitas, et, inueterata populorum aemulatione ſublata, Tuo praeſidio iam effectum eſt, vt felicius in poſterum Lilia in media floreant Hiſpania. Vige porro, vige diutiſſime, Maxime Princeps, Optime Tuorum Pater, et praeter illuſtria florentiſſimae Familiae incrementa, Tuae quoque felicitati iſtud porro annumera, vt in Tuarum dotium, Tuorumque, quae pro Maximo Rege, quae pro vaſto vndiquaque regno ſuſcepiſti, conſiliorum admiratione defixa olim poſteritas debitam magnitudini et virtuti Tuae laudem, cum perpetua rerum a Te geſtarum commemoratione, rependat. Ita ampliſſimis in futura praeſidiis Spes Galliae nititur, Auditores; ita certiſſima ſalutis ſuae pignora non fallaci quodam iudicio expectat, ſed in ipſo adeo ſinu ſuo iam fouet, iam tuetur Gallia. O felicem ante tot alias gentes populum! cui tanta gloriae ſeges propoſita; qui digniſſimum Ludouici Magni ſucceſſorem, Maximi Proaui Maximum Pronepotem in Auguſto ſolio veneratur. Reſpice ergo has Tuas delicias, Regibus Tuis deuotiſſima, Francica Progenies; Reſpice Sacrum hoc coeli depoſitum, et eundem tam tenerum felicitatis Tuae ſurculum, cui ſecuritas publica innititur, cui Ludouicianus ille vigor propagatus inhaeret, quam maximis auctibus ſuccreſcentem ſupplex et laeta venerare. Venerare Auguſtum illud ſidus Tuum, quod Tibi et toti Orbi ſalutare illuxit, quod ſuo ſplendore futurae ſaluti Tuae iam non e longinquo praelucet. Repete et multiplica votiuas Tuas pro pignore tam ſacrato vo-

ces, vt, illo vigente et ſuccreſcente, vigeat et ſuccreſcat virtus et iuſtitia, vigeat ſecuritas, vigeat aeterna Gallici nominis fama atque gloria. Tu vero, qui in Regio oſtro adorandus Orbi tam felix adoleſcis, coelitus nobis donate Princeps, LVDOVICE, Rex Glorioſiſſime, Tu quoque ex ſublimi illa Maieſtatis arce Galliam vndiquaque Tuam laetus circumſpice. Reſpice ardentes illos intenſiſſimi amoris ignes, quo certantes obſequio populi ad fidem, ad cultum, ad venerationem Tui coniunctim rapiuntur. Rapiuntur illi in admirationem tot rariſſimarum dotium, quibus Tu, Auguſtum Galliae Numen, in excelſo iſto ſolio Heroici ardoris plenus in hac iam aetate reſplendes, et tanta quidem cum felicitate reſplendes, vt iam pridem non de patientia, ſed de animis, ſed de cordibus noſtris rarum et inauditum quendam reportaris triumphum. Et maiora ſane quam optauerat huius rei documenta Tibi iam dedit Gallia. Quam miſerandam nuper triſtiſſimus ille de morbo Tuo nuntius vniuerſo Regno faciem induxit; quanta vbique animorum conſternatio, cum nos Tui ciues, nos Tuus populus, repentino quodam terrore perculſi, fatalem Regni Tui periodum iamiam adeſſe ominaremur. Quam laeta vero vaſtiſſimo Regno rerum mutatio rediit, cum Te Galliae Tuae redditum, Te populis Tuis reſtitutum laetior fama per Orbem nuntiaret. Reſonabant per compita feſtiuae populorum Tibi acclamantium voces. Reſonabant feſti ciuium certatim gratulantium plauſus et iubila. Incenſi paſſim per plateas vicosque feſtiui iubilantium

tium

tium ignes, et, ſi cum Tua fama ipſas naturae vires augere poſſemus, latius et ad vltimos terrae fines tonantia quoque aera reſonasſent. Viuebas in omnium ore, qui ſemper in mentibus omnium viuebas; adeo nos Tua vita, Tua ſalute felices, iucundiſſima rerum cataſtrophe, de morte, de luctu, et de ipſa denique fortuna laeti triumphabamus. Creſce porro et vigeſce in Regali Tua purpura, decus et amor Gentium, Rex Maxime, Rex Chriſtianiſſime, et ſubnixus Rectore, ſubnixus Villaregio Tuo, relege tot veneranda Maiorum Tuorum veſtigia, et immortalem illam Ludouici Magni gloriam atque magnitudinem, Ipſe quoque Maior, Galliae aliquando Tuae repraeſenta. Et ſicut tenera in ſuccedendo aetate, ſicut ipſis regnandi exordiis, ſicut ſimilitudine genii ex ore Tuo elucentis illum quam maxime refers, ita ipſa quoque fatorum felicitate, diuturnitateque imperii eundem grandaeuus aliquando tranſcende. Quodſi triumphales iam fuerunt cunae Tuae; ſi inter tot populorum applauſus Heros adoleſcis; ſi vel in hac aetate maximam Tuorum ſpem iam pridem ſuperaſti; viues quoque in poſterum ſemper Invictus, ſemper Auguſtus, mundi Miraculum, Stupor gentium, et, quo auguſtius nomen orbis non vidit, Galliae LVDOVICVS.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXIII.

Si vlla vnquam dies vniuerſis Galliae terris fuit exoptata, Auditores ſuis quisque Elogiis Condecoratiſſimi, illa certe eſt, quam hodie et Regi et Regno laetabundi gratulamur. Vigere et in Regali purpura, ſumma cum Francicae Gentis gloria et ſuccreſcente ciuium felicitate, creſcere Monarcham Iuuenem maxima Galliae vota deliciaeque videbantur. Superata et immenſum ſuperata ſunt vota noſtra, Auditores. Creſcit Rex Auguſtiſſimus, viget, floret, atque inter tot ciuium acclamantium iubila felix triumphat; imo, quod maius eſt, ipſe iam Gallici orbis gubernacula capeſſit, et conſcius quaſi fatorum ſecuram perennitatem et Sibi et Regno promittit. Ita profecto eſt; frequentiſſima populis laetandi gratulandique materia certatim exurgit. Regiis nuper Sacris initiatus eſt LVDOVICVS. Viſus ſublimi excelſus Solio Auguſtus Adoleſcens, et Regali ſuperbus oſtro non Galliae tantum, ſed Orbis Vniuerſi vota et gratulationes admiſit. Viſus triumphali redimitus corona, et coeleſti illo delibutus oleo, tanquam propitium aliquod gentium Numen, ſanctum innoxiumque ſuis Imperium promiſit. Rarum et integro ſeculo bis tantum viſum ſpectaculum, Audi-

Auditores. Itaque plena in Regem pietatis, plena votorum Gallia confidentius quam Roma olim, ſeculares ludos celebratura, ciuibus ſuis acclamauit: Venite ſpectatum, quod nemo veſtrum vidit nec viſurus eſt. Et memor ſane officii deuotiſſimus Principi ſuo populus, quicquid ingenioſiſſima laetitia, quicquid animi magnarum rerum fiducia repleti, quicquid ardentiſſimi obſequii cultus afferre aut excogitare poſſunt, triumphabundus oſtentauit. Exaudiebantur paſſim per vaſtiſſimum vndique regnum votiuae populorum acclamantium voces: pugnarunt effuſis laetitiae teſtimoniis omnes Galliarum ſtatus atque ordines: certauere obſequio ſagati togatique Proceres; certauit Eccleſia; certarunt Academiae; certauit vniuerſa et lectiſſima Muſarum tripudiantium corona; certarunt Sequana, Rhodanus, Ligeris, Rhenus atque Oceanus; certauerunt denique vniuerſae potentiſſimi huius Regni Vrbes atque Ciuitates, quae ad nouam quandam feliciſſimorum temporum ſpem erectae, et ſuis prope ſedibus euulſae ad gratulandum Regi ſuo procedere videbantur. Ita quos fortuna, quos locorum diſtantia ſeparauit, eminentis tum gaudii laetitia coniunxit. Neque vero tam late patentibus ſolius Galliae limitibus circumſcripta fuit tam ſolennis diei feſtiuitas, Auditores, quam velox et praenuntia fama remotiſſimis terrae gentibus indixiſſe quaſi credebatur. Ruere ad tam Auguſtum ſpectaculum ex omnibus mundi partibus viſi ſunt admiratores, qui veluti quadam inter ſe aemulatione LVDOVICVM, Galliae Palladium et coeleſte illud futurae felicitatis pignus

cum ſtupore ſunt contemplati. Adeo veneranda illa Rhemenſium Ciuitas, rariſſimi Franciae theſauri felix depoſitaria, et tam Auguſtae ceremoniae per integra duodecim ſecula iam deſtinata, non Galliae, ſed Orbis Vniuerſi compendium repraeſentauit. Quis Tuus ad haec miracula ſenſus eſt, qui Mare et Oceanum, Tagum et Euphratem admirationis Tuae fama coniungis, LVDOVICE, Rex Chriſtianiſſime, quis, inquam, mentis Tuae ſenſus eſt, cum Tu diuino illo Maieſtatis fulgore circumfuſus tot confluentium vndique populorum applauſus, tot gentium gratulationes mirabundus exaudis. Felix hodieque triumphat compos votorum Gallia Tua, triumphat Hiſpania, triumphat Oriens atque Septentrio, et omnes hi Tui ſunt triumphi, Triumphator Maxime. Exultant ex felicibus rerum Tuarum incrementis tot florentiſſimae, ſanguini Tuo iunctae, Regum Principumque familiae, et rerum ſuarum nunc quaſi oblitae, temporum Regnorumque felicitatem ex Tua regnandi gloria metiuntur. Et illi per tot ſecula iam ſepulti, tot illuſtrium Franciae Regum Heroumque Manes, ex ſuis quaſi ſepulcris reſurgentes, ſua certe ſilentia rumpere, et communibus populorum votis ſua quoque iungere gaudia videntur; Galliae nimirum ſuae gratulaturi, quod Te in Regio nunc Solio reſpiciat, qui omni Heroicarum virtutum genere omnes Maiores Tuos non ſolum aequare, ſed et longe ſuperare contendis. Stupet ad inauditam hanc tot rerum illuſtrium famam ARGENTINA Tua, Rex Maxime, et intenſiſſimae pietatis ſuae conſcia iam pridem fundi-

tus

tus ſe commoueret, ſi rerum natura pateretur, vt vnita voce, vnitoque ardore ad ſublime Tuum, in quo reſplendes, Solium ſuis pro gloria Tua precibus coelum defatigaret. Illi flagrantes per vniuerſam Ciuitatem feſtiui iubilantium ignes; illa excelſum caput inter nubila condens et facibus ſuis ſuperba turris; illa fulminantia fragoribus ſuis, at innoxio terrore tormenta non tam noſtram in laetando ambitionem, quam ipſum mentium noſtrarum ardorem expreſſerunt, qua perennia pro felicitate Tua vota ipſi quaſi coelo inferre, ipſis quaſi ſuperis admouere conabamur. Regnat adhuc in ciuibus Tuis ſanctus ille mentium ardor, Auguſtiſſime Princeps; regnat illa victrix animorum pietas, et nunc ſub ipſis feliciſſimi temporis exordiis, quo Tu ipſe iam Sceptra Tua moderaris, quo Tuus ille nutus Francicum Orbem recturus eſt, maiora, imo ſtupenda, quis crederet, incrementa capit. At ego tantorum votorum, publicaeque felicitatis conſtitutus interpres, quam felix tanto officio praedicandus viderer, Auditores, ſi rerum coeleſtium elogia dicturo, coeleſtis quoque facundia diuino nunc munere contingeret, vt debita Orationis ſublimitate, magnifico verborum apparatu, ac omni eloquentiae ſplendore et ſeculo huic, et omni, quae ſecutura eſt, poſteritati rariſſima haec Galliae prodigia oſtentarem. Sed iam pridem aeternitati adſcripta ſunt illuſtria Borboniae Gentis in Galliam merita, quae nunc populis ſuis non repraeſentat modo Rex Maximus, ſed et longe auctiora, longe illuſtriſſima ex diuina indole et genio ſuo promittit. Itaque quae ve-

ſtris

ſtris omnium mentibus, quae Veſtrae omnium pietati obuerſari nunc videtur, praebeat mihi in ſplendidiſſima hac Panegyri, in ſolenni huius diei laetitia laetiſſimum dicendi argumentum, FELIX BORBONIIS GALLIA. Quod dum ego iam enarrare aggredior, veſtrum vos, Auditores, dicenti fauorem haud grauatim vt adſpiretis, ea qua decet reuerentia contendo.

Quodſi Regnorum Imperiorumque ſplendori ex ipſa regnantium ſtirpis gloria multum ornamenti accedit, Auditores Splendidiſſimi; dubito an vllum per Orbem Imperium, vllus per terras ſit Principatus, qui Francicae Gentis fulgorem in hac praeſertim parte aut vincere aut aequare poſſit. Illa, quae ab ipſius Regni exordio Regiae quoque ſuae potentiae exordia vidit, antiquiſſima Regum familia; ille vaſtiſſimae Monarchiae fundator Merouingicus Sanguis, ad poſteros propagatus, Francicum hodieque Solium occupat. Viuit adhuc in Nepotibus ſuis Clodoueus ille Magnus, terror quondam hoſtium, Galliae ſuae ſtator, et cum coeleſtibus illis donis cimeliisque regno relictis, aeternum quendam inter gentes Genti ſuae ſtabiliuit Principatum; vt nimirum communi cum ipſo oleo ſacrati communem quoque cum ipſo ſanguinem agnoſcerent, et nonniſi cum ſancto Chriſmate ſanctus et auguſtus ille ſanguis periret. Dilatata ſucceſſu temporis Regia haec ipſa ſtirps, Auditores, et per vaſtiſſimum Regnum diffuſa illuſtriſſimis ſubinde gentibus originem dedit, Regio paulatim

ſceptro

ſceptro admouendis. Excelſa et Heroica plane fuerunt tot Principum, ex ſtemmate illo per tot ſecula regnantium, facinora; quae maximis etiam illorum temporum Regibus admirationem terroremque attulere. Sed omnibus illis ſi ſolam Borboniam ſtirpem, ſi ſolos huius et ſuperioris ſeculi LVDOVICOS opponam, tantum illi vetuſtiorum Galliae Regum gloriam ſuperarunt, tantum ſub ipſis ſplendorem ſuum ipſa ſupergreſſa eſt Gallia, quantum auroram pallidam maximus meridiani ſolis ſplendor tranſcendit. Adeo, vt ſi ipſam hanc recentis Galliae magnitudinem cum priore illa comparemus, Romani fere ſub Regibus ſuis naſcentis, et ſub Auguſto deinceps Traianoque florentiſſimi Imperii imaginem deprehendamus. Quamdiu cum finitimis luctabatur Dea illa gentium Roma, donec viris armisque concitata illam Imperii iuuentam, illud magnitudinis faſtigium attingeret: ſimili prorſus cum Gallia fato. Iuraſſe in ipſius perniciem diuerſis temporum periodis potentiſſima Anglorum Hiſpanorumque natio videbatur: et illa quidem tanto cum rerum ſucceſſu, Auditores, vt non ſemel de Sacratiſſimo Regno actum crederetur, niſi tam funeſta hoſtilium armorum conſilia interueniens quaſi ex machina Deus, ipſis mirantibus Anglis, turbaſſet. Hiſpania, quae a Ferdinandi iam Catholici tempore ex Galliae decrementis virium ſuarum incrementa metiri ſolebat, quoties armis artibusque ſuis vltima vicino huic regno minata, niſi Borbonius ille Henricus nutanti et iamiam ruiturae eius potentiae ſuccurriſſet. Et hic ſane praeter reſti-

tutam turbatiſſimo Regno concordiam, feliciſſima Nauarrici Regni coniunctione futurae Gentis ſuae gloriae, quae non prouinciis ſed Regnis Galliam auctura erat, quaſi praeluſit. Miratu profecto dignum, Auditores, quam fatalis Hiſpaniae fuerit illa Borboniorum in Regium Franciae ſolium eleuatio. Vno hoc ictu, tanquam fulmine quodam diſperſa vaſtiſſima Hiſpanorum conſilia. Illa, cuius potentiae retardandae potentiſſimi Europae Principes fruſtra conſpiraverant; illa, quae plenis fortunae velis ad illud iam pridem animo agitatum Vniuerſale Imperium graſſari; illa, quae Orbi Vniuerſo frena iam impoſitura credebatur ferox Hiſpania, frena à Borboniis accipit, et ſuo mox contenta Regno minas precibus commutat. Atque haec demum vera ſolidaque magnitudinis Gallicae primordia. Verſae ab eo tempore in contrarium Europae Principum artes; intenti omnium in Borbonios oculi; ſola iam Borboniorum magnitudo reſpicitur; omnis Europae terror ex Gallia expectatur. Quid aliud ſunt ab iſta temporum periodo Francorum Annales, quam concatenata quaedam victoriarum triumphorumque ſeries? Non fines amplius imperii, ſed remotiſſimi ſocii defenduntur; non hoſtis domi expectatur, ſed ipſis hoſtium viſceribus arma inferuntur; nulli Gallicae iam potentiae termini; terrae et maria copiis claſſibusque eius opertae, et cum Francici nominis fama, eiusdem quoque terror longe lateque per vniuerſas terras diffuſus. Integram plurimorum Regnorum hiſtoriam complecteretur, qui tot innumerabiles, quos illa coelo deriuata

riuata Soboles Galliae attulit, rerum ſucceſſus hic enarraret: illa, inquam, Soboles, quae ex remotiſſimis Regni finibus meditullium conſtituit; quae quendam inter Principes principatum glorioſe occupauit; quae aeternis ad poſteros documentis oſtendit: nullum eſſe imperii ſui terminum, quam qui ſuorum eſſet armorum. Et quid aliud praeſentium temporum fata ſperare nos iubent, Auditores. Nonne hac ipſa florentiſſimi Regis aetate totius Europae animi in Galliam praeſertim ſunt defixi; nonne ad minimum Galliae motum paſſim et vbique trepidatur; nonne de amicitia Galliae Britannus, Belga, Germanus et ferox ille Oriens atque Septentrio certatim aemulantur? Quanta omnium gentium expectatio! quid ille Regius ardor, quid illa Maximi Regis conſiliorum arcana parturiant: et dum Ille fortaſſis nil niſi ſecuram Europae quietem meditatur; illi ſurgentem iam atrum ex Gallia nimbum, ſaeuamque ex ea tempeſtatem proſpicere ſibi videntur. Sed quam Tibi arctiſſima illa Maximorum Regnorum coniunctio magnitudinem portendere videtur, LVDOVICE, Monarcha Potentiſſime; qui non Hiſpaniam tantum cum Gallia, ſed et ipſos Borbonios cum Borboniis aeterno nuper vinculo, tota ſtupeſcente Europa, coniunxiſti. Tremit vniuerſus terrarum orbis ad fatalem illam rerum temporumque cataſtrophen, qua quicquid Auſtriacae ſtirpi magnitudinis, quicquid aeternitatis, quicquid potentiae olim praedictum, id in Tuam certe proſapiam a naſcentis iam huius ſeculi exordio deriuatum contuetur. Illa, cuius ſplendori augendo noui orbes

producti videbantur; illa, in cuius Imperio ſol nunquam occidiſſe iactabatur, formidanda Familia ſuam Stirpi Tuae gloriam amplitudinemque imperii cedit: et cum illa olim in Hiſpanicum Germanicumque ramos, totum fere orbem obumbraturos, abiiſſet; nunc converſo fatorum ordine Borbonios in Francicam Hiſpanicamque Gentem diuiſos admiratur. Tu vero dum nouo arctioreque iam vinculo vtramque coniungis, perfeciſti diuino RECTORIS TVI conſilio magnum illud LVDOVICI Magni opus; atque adeo vel hoc documento, quid de Te, tanti Proaui tanto ſucceſſore, ſperandum ſit, adoranti Te Galliae Tuae demonſtras. Quodſi nunc pertinax ille Gallorum aemulus, maximusque Auſtriacae potentiae promotor, Carolus Quintus ex mortuis in publicam hanc viuentium lucem prodiret, Auditores; ſi conuerſa recentis huius ſeculi fata intueretur; ſi imminentem fere ſtirpis ſuae interitum videret; ſi omnem illam aeternum duraturi generis felicitatem, omnem illam rerum gerendarum amplitudinem in Borbonios deuolutam eſſe intelligeret, indignabundus ad vmbras ſuas rediturus eſſet. Caeterum haec ipſa tam late excreſcens Galliae magnitudo vti ipſius vaſtiſſimi Regni potentiam, ita ipſum quoque eiusdem ſplendorem quam maxime promouit. Quid illa olim Alexandri ad extremam vsque Indiam latiſſime victrix gloria, quid formidabilis illa Macedonum Monarchia ipſi eorundem Regno ciuibusque ornamenti conciliauit? Audiuit Regis ſui victorias Macedonia, ſed re ipſa non ſenſit; felicia remotiſſimis terris bella gerebantur,

tur, ciues domi cum inopia certabant; partae apud exteros opes apud exteros quoque rurſus diſſipatae. Longe diuerſa atque felicior Galliae ſub Borboniis ratio, Auditores. Triumphatur potentis Galliae opibus, et ſentit Gallia triumphi ſui emolumenta; creſcit immenſum Galliae imperium, et cum ipſo ipſae quoque ciuium diuitiae immenſum augentur: Regnum quod magnitudine, idem quoque dignitate, ornatu et omnium rerum magnificentia creuit. Atque hic vel me tacente, tot ſtupendae, quibus Francicum Regnum paſſim ſuperbit, aedificiorum moles loquuntur. Loquuntur tot Arces Regiae, tot auro marmoreque ſuperba Palatia. Loquuntur tot munimenta, tot caſtra, tot coelo admotae turres, tot omnem ingenii humani induſtriam fere ſuperantes machinae. Loquuntur tot ſtatuae, coloſſi, tot arcus, tot erecta ex Francicis victoriis trophaea; perpetua et non niſi cum orbe peritura Borboniae Gentis triumphorum documenta Et quid magnificentius, quid excelſae illi coelorum Regiae propius excogitari poteſt, quam ſplendidiſſimum illud Verſaliarum palatium: Auguſtiſſima LVDOVICORVM, imo ipſo gentilium Ioue digniſſima ſedes; maximae, ſi quae vnquam in terris fuit, Regum magnificentiae exemplar; coeleſte numinis Gallici habitaculum: nonne incomparabili Borboniorum Maieſtate ceterorum ſplendorem Principum tantum ſuperari teſtatur, quantum exiguam Romuli Martigenae caſam ſpatioſa illa Auguſti Palatia ſuperarunt. Viget ille Borbonius ſplendor hodieque, Auditores. Reddit ibi ſua

oracula LVDOVICVS; et triumphali tot fortium Heroum, tot Procerum, tot confluentium denique ex toto orbe Magnatum pompa circumfuſus populorum ſalutem moderatur; qui tanto ſpectaculo attoniti, nunc demum vidiſſe ſe fatentur, quod nec ingenioſae veterum Poetarum fictiones exprimere, nec omnis Antiquitas repraeſentare potuerat. Quam Tu felix tot rebus illuſtribus, Gallia, id quod olim de Auguſto ſuo triumphatrix Roma, nunc de Auguſta hac ſtirpe Tua vere praedicas: Borbonios, quam lateritiam acceperant, Te reddidiſſe marmoream. Requirebantur augendo tam late diffuſo vaſtiſſimi huius Regni ſplendori florentiſſima illa, quibus orbis vniuerſus certatim luſtrandus erat, Galliarum commercia; maximum potentiſſimae Monarchiae praeſidium; ex quo ſuas demum opes metiri, ſuas demum vires cognoſcere Francia coepit. Et in hoc ſane, Auditores, negotio ſuperarunt Borbonii, quicquid mortalium animis audaciſſima ſpes repraeſentare potuerat. Non iam arctis Europae finibus conſtringitur Gallorum induſtria; non orbis tantum Gallicis paſſim mercimoniis, Gallicis paſſim coloniis repletus, ſed quicquid extremus Oriens atque Occidens, quicquid Meridies, quicquid Septentrio rari eximiique producit, illud iam frequens, illud iam domeſticum in Gallia eſſe: collati ex omnibus mundi partibus rariſſimi in Franciam theſauri: et celebrata illa orbis vtriusque miracula, in media videre, in media mirari iam pridem contingit Gallia. Quae omnia tanta felicitate ſuſcepta, Auditores, vt ſtupefacta quaſi ipſa rerum

rerum natura, perducendis ad faſtigium tantorum conſiliorum conatibus, vim ſibi inferri pateretur. Diremta immenſis terrarum ſpatiis aequora inaudito opere artificioque coniuncta, altiſſimi montes immiſſis fluminibus nauigabiles facti credibilia reddidere illa Perſarum prodigia, quae Graecia mendax olim finxiſſe videbatur. Neque vero his tot illuſtribus rerum maximarum documentis hodie abundaret Gallia, Auditores, niſi ſuſtentandis eis inueniendisque, illa literarum, illa artium inaudita acceſſiſſet felicitas, acceſſiſſet gloria. Illa tam decantata Auguſtei ſeculi Aurea Reipublicae literariae aetas tandem parem aut ſuperiorem in Gallia videt. Regnat Armigera Pallas in ſuperbis illis, quae Borbonii certatim ei extruxere, palatiis. Ille, quem Graecia olim tam diu et tam ſplendide aluit, diuinus Apollo non ſemel miratus eſt, ſe cum toto Parnaſſo, regnante Borboniorum Familia, in Galliam translatum; et cum per tot ſecula exul aut vagus per orbem erraſſet, non felix tantum perpetuumque in media Francia inueniſſe habitaculum, ſed et nouum iuuenemque in eius ſolio iam conſpicere Phoebum, totius vniuerſi iudicio dignum, cui et ipſe auguſta ſua ſceptra ſubmitteret. Quis vero reliqua tandem, quibus Gallia et pace et bello à Borboniis illuſtrata, enarraret beneficia, Auditores. Illa emendandae militiae, illa legum, illa publicorum redituum, illa pauperum, illa Ducum militumque, pro Patria pugnantium, illa poliendis Ciuium moribus, illa perficiendae Gallici cultus elegantiae, quae apud omnes iam populos in legem recepta

cer-

cernitur, illa denique reſtinguendi ſingularium certaminum ardoris, renouato quoque nuper Edicto in ipſo ſtatim Regiminis aditu à Maximo Rege repreſſi, cura et induſtria, nonne infiniti temporis; nonne plurimorum potius, quam paucorum in vno regno et vnius fere ſeculi Regum inſtituta videntur. Defuiſſet gentibus tam rara praedicandi materia, defuiſſent tot rerum illuſtrium ſpecies, ſi nulli in terris a coelo donati extitiſſent Borbonii. Sed vincit hanc omnem potentiſſimae Gentis felicitatem firmiſſima de rerum Tuarum magnitudine populorum fiducia, LVDOVICE, Principum Glorioſiſſime. Quam iucundum Tu Galliae Tuae repraeſentas ſpectaculum, cum Tu ſublimia illa imperandi artificia tam facile edoctus non ad vnius Regni ſed ad vniuerſale iſtud totius orbis imperium aliquando regendum formatus videris. Videris omnino, Rex Maxime, et magna cum noſtra admiratione videris, qui deriuatum in Te Heroicum illum Borbonii ſanguinis vigorem venerabundi iam pridem agnoſcimus. Magnum profecto et excelſum eſt, ex tam auguſta Maiorum Auorumque ſerie Te eſſe prognatum; ſed quod Tu eos in hac iam aetate tam feliciter, tam glorioſe imitaris, illud non modo futurum, ſed maximum futurum Heroem oſtendit. Celebretur ergo immortalibus elogiis Magni illius Macedonis coelo adſcripta virtus et inuicta potentia. Tollatur ad aſtra Diui illius Caeſaris inaudita et omnibus gentibus celebrata rerum gerendarum felicitas. Aeternis praedicetur encomiis diuina illa Antoninorum benigni-

tas

tas et rara clementia: Tu Borbonios, Tu LVDOVICOS Tuos reſpicis; atque id porro ſtirpis Tuae miraculis addes, quod, cum in auguſta hac Regum Maximorum triga nonniſi MAGNI et IVSTI numerentur, Tu, vt omnia ſolus complectaris, PERFECTVS dicere. Vidit et laetatus eſt olim totus ille Deorum coeleſtium chorus, cum procedens ex Idaeis antris et ſuprema poli arce reſidens primaeuus ille Iupiter triſulcum illud fulmen torquere, nubes ſcindere, et ſublimia totius vniuerſi gubernacula tractare inciperet. Quam conuerſi omnium gentium in Te oculi, Auguſte Adoleſcens, quanti per totam Galliam plauſus atque triumphi, quod Tu illuſtria Tua regnandi tirocinia in vaſtiſſimo huius orbis theatro, applaudente tot Principum corona, tam laetus deponis. Latent nimirum in ipſis his rerum Tuarum exordiis altiora prouidentiae diuinae arcana. Suſpenſa ſunt illa toti Europae reformandae inſtituta pacis Cameracenſis negotia; haeret ambigua inter Principes concordia, et tam diu, tantisque animorum motibus iam agitata, Tuos illos nutus, Tuum praeſidium, Te arbitrum, Te moderatorem anxia expectat: vt Te communi certiſſimoque ſecuritatis pignore aeternum obſignaretur; vt a reſtituta per orbem terrarum tranquillitate, Tua imperandi primordia, rariſſimo ad omnem poſteritatem exemplo, notarentur. Adeo duplici Maiores Tuos gloria in hac iam aetate tranſcendis. Furentibus illi bellorum ciuilium flammis, turbato factionibus Regno minores annis admoti, ſuis vix pares eſſe rebus videbantur; Tu rerum Tuarum

omnino ſecurus, et altiſſima pace felix non populis tantum pacis reſtituendae leges imponis, ſed et Borboniis Tuis de Principatibus, de Regnis, de Imperiis iam proſpicere conaris. Adeo rediuiuum in Te videmus aliquod gentium Oraculum, quo Tu Rex aliquando inter Reges et inter Principes Monarcha pacis bellique Arbiter glorioſus regnabis. Salve ergo in Sanctiſſimo hoc pacis habitu, in diuino hoc virtutum Tuarum ornatu, Deliciae gentium, Admiratio populorum, Rex Maxime, Rex Chriſtianiſſime; Salue Decus et Amor Galliae, Spes vnica ciuium, afflictorum Solatium, ardentibus votis pridem exoptate Princeps. Salue demiſſa coelo Progenies; ſacrum numinis propitiati Depoſitum; et nunc tanquam nouum et ſalutare Sidus in coeleſti illo Regalis potentiae Solio maieſtate et gloria plenus refulge; Tuoque prae reliquis mundi ſideribus ſplendore, verum Te non Galliae, ſed orbis vniuerſi SOLEM eſſe in ipſo ſtatim exortu Tuo oſtende. Tu, qui tam raris artibus ſublimem genium ad ardua quaeuis finxiſti; Tu, qui tenerum illum iuuentae Tuae florem, aliis inter otia euaneſcentem, inter rerum maximarum deſtinationes maturaſti; idem nunc tot illuſtrium virtutum prouentu conſpicuus, ampliſſimas felicis imperii primitias in Galliae Tuae ſinum effundes. Quodſi rerum principiis certiſſima de futuris omina ineſſe ſolent; ſi excelſa nonniſi quaevis ardua atque excelſa producunt; ſi magnanimitas, ſi clementia, ſi Heroicus ardor Genti Tuae ſunt propria; ſi haec exempla in Maioribus Tuis ampliſſima cernis; ſi Proauum Atauumque Magnos habuiſti;

ſti; ita porro haec omnia aemulare, ita haec omnia ſupergredere, vt totius Vniverſi iudicio Maximus videaris, vt ſummum, quod Borbonia ſtirps orbi imputare poſſit, beneficium videatur, Te Galliae Regem eſſe datum. Ita felix et immortalitati conſecrata manebit aeterna auguſtiſſimi nominis Tui fama: ita Tecum regnante aureum quoque in Regno Tuo ſeculum regnaſſe aliquando praedicabitur: ita, Te in Gallia imperante, ipſa quoque virtus et iuſtitia, ipſa ſecuritas, ipſa perennis omnium rerum felicitas imperaſſe videbuntur: ita per omnem temporum profunditatem felicior Auguſto, melior Traiano, Stator Europae, literarum Praeſidium, ſociorum Defenſor, et, ſi qui olim Regno Tuo exorientur, hoſtium Terror vocabere. Ita Gallia, Te Maximo Rege ſuperba, et in florentiſſimi Regni exemplum abitura, vel aeternam ſine bello pacem, vel perpetuum in bellis experietur triumphum.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXIV.

Saepe quidem antea laetus mihi veſter hic fuit conſpectus, Auditores omnium Ordinum Splendidiſſimi, at nunquam maiore in hanc concionem fiducia, quam hodierno die proceſſi. Quicquid enim ſuperioribus annis vel metum, vel dubitationem menti meae incuſſit, illud mihi iam animos addere, illud non mediocriter me confirmare perſentio. Sperare olim et de publica Galliae felicitate timidius vota ſuſcipere, ignari diuinae deſtinationis, et de futuro non ſemel anxii cogebamur. Experti ſumus, quod illis plerumque mortalibus contingit, qui coeleſti illo fulmine perculſi, ſuos non ſtatim reuocare animos, ſuam non protinus firmare fiduciam ſueuerunt. Fuit nimirum tempus illud, Auditores, quo fatalis quaedam rerum conuerſio vaſtiſſimo Galliae Regno imminere credebatur; cum, poſt tot funeſtas in ſtirpe Borbonia clades, LVDOVICVM, Magnum illud Gentium Oraculum, grandaeuum illum tot populorum nationumque Parentem, illud ſtupendum Mundi Miraculum rebus exceſſiſſe humanis lamentabiles paſſim Ciuium voces conquererentur. Irreparabilem hanc iacturam eo iuſtioribus lacrimis defleuit Gallia, quo maior gratulandi

tulandi materia ipſis potentiſſimi Regni aemulis ſuppeditata videbatur. Triumphabant illi in triſtiſſimo et vniuerſali totius Franciae luctu; triumphabant in horrenda hac, quae cunctas prouincias conquaſſauerat, Coloſſi Gallici ruina, et rerum ſuarum iam plane ſecuri vno hoc ictu priſtinam illam florentiſſimi Regni felicitatem concidiſſe; amittendos eſſe tot victoriarum, tot triumphorum, tot inſignes proſperorum ſucceſſuum fructus vano plane augurio ſunt vaticinati. Iam bella ex bellis; iam foedera ex foederibus paſſim oritura; iam connexa quaedam malorum ſeries, veluti diluuium quoddam Galliam inundatura, oſtentabatur. Et in cumulum tantorum malorum rabida et ſaeva illa lues, quae prouincias quasdam inuaſerat, irae diuinae certiſſima teſtis, et excidii cuiusdam fatalis praenuntia, iactabatur. Acceſſerat tenera noui Principis aetas, capeſſendis imperii habenis impar et rebus nouandis aptiſſima, quae, ſi foris omnia quam maxime fuiſſent pacata, reſtinguendis tamen ciuilium bellorum flammis adeo credebatur inualida, vt in ſua iam viſcera graſſari, et in ciuium, in filiorum ſuorum ſanguine iam volutare ſe quaſi conſpiceretur Gallia. Cohorreſcitis, Auditores, ad tam terribilem imminentium nobis quondam rerum imaginem; ad tam funeſta Gallicae potentiae aemulorum praeſagia. Sed reuocate iam animos, et veſtrum timorem, ſi quis adhuc reſtat, deponite. Diſſipauit tam ſaeuas, quae imminere nobis credebantur, tempeſtates prouidentia diuina, et ſi vnqaam, nunc profecto euidentibus comprobatum eſt documentis, coelo curae fuiſſe ſalutem

 noſtram,

noſtram, non fuiſſe vltionem. Exſplendeſcit priſtino et conſueto ſuo fulgore Gallia. Viget illa gentibus formidabilis et ciuibus veneranda Francici Solii Maieſtas et immortalis gloria. Agit arbitria Europae LVDOVICVS; et iam non vt tener Stirpis Borboniae ſurculus trepidas ſpes noſtras alit, ſed ſua iam magnitudine excelſus noſtram plane fiduciam firmat. Ad Te ergo venerabunda vniuerſa ſe conuertit Gallia, Admiratio et Deliciae populorum, Sanctiſſime Regum, Auguſte LVDOVICE, qui nouum et ſalutare Numen Orbi Chriſtiano nuper repraeſentatus es. Reſonat nimirum vaſtiſſimum adhuc Franciae Regnum feſtiuis illis acclamationibus atque ardentibus votis, quae per ora multitudinis infinitae effuſa ipſum aëra coelumque penetrare, et in laetitiae noſtrae ſocietatem remotiſſimos terrae incolas prouocare videbantur. Quanta fuit illius diei ſpecies, quo Tu, applaudentibus Orbis pacati ciuibus, tanquam in religioſo Pacis et Concordiae templo, publicam totius Vniuerſi tranquillitatem Sponſor glorioſus in Te recepiſti. Scilicet non illa ſolius Galliae fuere Sacra, Rex Maxime, ſed totius Europae ſolennis tum quaſi ceremonia agebatur. Ille vniuerſalis concurrentium vndique populorum confluxus; illa excita ſedibus ſuis tot gentium moles quid aliud oſtendit, quam omnes miro quodam ardore in Te adorando conſentire, qui communi omnium ſaluti, gloriae et ſecuritati natus exiſtimaris. Quid vero maius, quid illuſtrius rebus Tuis accedere poſſet, quam quod Tu, tanto ſplendore conſpicuus, illam populorum de Te expectationem, illa publica

omnium

omnium vota non imples, ſed innata Tibi magnanimitate tranſcendis. Regnas Pius, regnas Felix, regnas Auguſtus et, quod omnibus triumphis maius reputamus, regnas in Borboniorum ſolio Pacificvs Galliae LVDOVICVS. Quam rarum in hoc aetatis Tuae ardore encomium, Auguſte Adoleſcens; quam digna tanta Maieſtate indoles; quam felix tanto Rectore Gallia; feliciſſimam omnino dicerem, niſi Te noua rariſſimae cuiusdam felicitatis, quam populis Tuis decernis, conſilia animo iam agitare crederemus. Dumque nos tam illuſtria iucundiſſimae tranquillitatis ornamenta iam mentibus noſtris proſpicimus; dum prouidentia diuina illa nobis iam praeparat; dum ſublimis Tua indoles ea nobis iam quaſi praeſentia ſiſtit, patieris, Rex Maxime, vt de tam pretioſo interea pignore, de tanto ſponſore Tua ſibi prae reliquis omnibus congratuletur Gallia. Agite ergo, Auditores, et ingenti quadam fiducia pleni admiramini LVDOVICVM, non tam triumphalibus belli laureis ſuperbum, quam virentibus pacis oleis praeſertim amabilem. Eſt hoc id ipſum, quod in illuſtriſſima hac Panegyri mihi occurrit, felix dicendi argumentum: Gallia Bello Magna, Maxima Pace.

Rara et eximia eſt populorum quorundam felicitas, Auditores, quod conſtanti quadam ab ipſis primordiis laude virtutis perpetua ſeculorum traditione floruerunt. Floret et hac immortali et perpetua laude Gallia, quod illa ab ipſis ſtatim incunabulis fortis et foecunda

viro-

virorum, bellorumque ſtudiis aſperrima, ſociis ſemper praeſidio, hoſtibus fuit terrori. Teſtatur id repetitus ex fabuloſis remotiſſimae antiquitatis temporibus Hercules ille Gallicus; teſtantur id celeberrimae veterum Gallorum ſuſceptae per Orbem expeditiones; vt adeo eorum virtus ipſa iam Hiſtoriarum monumenta ſuperare, et in ipſis poſtea earum originibus ſua quoque inuenire elogia cernatur. Periiſſet adoleſcens illud Romanorum Imperium et iam tum late diffuſae Gallorum virtuti ſuccubuiſſet, niſi productus in ſcenam Camillus Romam, ſub cineribus ſuis iam fere ſepultam, ex ſuo quaſi reſuſcitaſſet excidio. Sed cum illa poſt longam annorum ſeriem, maiores quaſi ſuos vltura, Gallos viciſſim in ſedibus ſuis, conuerſo iam rerum ordine, eſſet aggreſſa, quanta proeliorum ſeges exorta, Auditores, cum indomitus ille Caeſar, Orbem ſubacturus Romanum, cum fortiſſimo Gallorum populo facienda prius virtutis ſuae experimenta, quaſi futurae dominationis praeludia, decreuit. Iam vero ſub ipſis poſtea Romanis nonne theatrum aliquod bellicum repraeſentauit Gallia, in quo ferociſſimae gentes, quas glacialis boreas certatim effudit, de ſalute et gloria pugnarent. Quoties Rhodanus, barbarico cruore ſpumans, augmenta ſua ſtupuit, et Simoentis olim ad Troiam inſtar correpta tot fortium Héroum ſcuta galeasque ſe iam voluere miratus eſt. Inde ex Germania quoque ſua ſurrexit audax et potentiſſima Francorum natio; quae Romanae ſeruitutis impatiens, libertatem cum Principatu ab ipſis ſtatim exordiis ſuis miſcere conſueuit. Illa nimirum

prae

prae ceteris omnibus id felicitatis eſt experta, quod formidandum iſtud Galliae imperium, cui tot gentes fruſtra inhiauerant, ipſi iam pridem fatis fuerat deſtinatum. Obtinuerat illud multo et pretioſo ſuorum ſanguine, ſed eo redemit ſimul gloriam Chriſtianiſmi felicibus auſpiciis ad eam translati; theſauri, quo maior ipſi coelitus contingere non potuiſſet; quo auguſtus ille Regis Chriſtianiſſimi titulus in Principes aliquando ſecuturos poſtea fuit deriuandus. Oriuntur inde ſublimia rerum dicendarum argumenta, Auditores; quum ſub Clodoueis, Carolis, Philippis regnum armis concitatum ſuam iam adeptum eſſet adoleſcentiam; quum non luſtra, ſed annos multitudine proeliorum nobilitaſſet; quum Tolbiacenſia, Fontanetenſia, Bouinenſia illa trophaea, hoſtium ſpoliis grauida, fuiſſent erecta; quum terror ille Saracenorum Martellus, intrepidas Franciae legiones Maurorum furori obiiciens, reportata ad Turones victoria omnibus triumphis maiore, Galliam Gentis Chriſtianae, impiorum furori iamiam ſuccubiturae, propugnaculum conſtituiſſet. Sed iam alio me vocat Gallica virtus, Auditores. Aſia victricium Francicae Gentis armorum ampliſſima teſtis ſuas quoque hic partes ſibi depoſcit Graſſabatur ab aliquo tempore in illis partibus impune Turcica Barbaries; gemuerat ſub duriſſimo iugo Sanctiſſima Religio, et rebus eius iam fere deſperatis, promptiſſimum in Gallia quaeſiuerat auxilium. Nec irrita ſane fiducia, Auditores. Quam Europa aduerſus Saracenos munimentum eſt experta, illam Aſia ſuam nunc quoque liberatricem agnoſcit. Vidit illa, nec

ſine ſtupore vidit, non exercitus, ſed Francorum myriades, pro reſtituendo rerum Chriſtianarum ſplendore animas generoſas fundentium. Impreſſa ſunt Eois litoribus tot illuſtrium Galliae Principum veſtigia; quorum victoriis luſtrati digniſſimi illi Chriſtianis Heroibus campi, quorumque virtute auguſtum illud in media Barbarie Regnum erectum, cuius titulo tot Europaei Principes hodieque gloriantur. Veniat aliquando tempus, et LVDOVICO quidem regnante veniat, quo veneranda illa populi Chriſtiani in Oriente maieſtas ex tenebris ſuis reſurgat; quo tot Principatus, tam pretioſo Gallorum ſanguine redemti, ad priſtina ſua redeant imperia; quo tot Heroum Chriſtianorum Manibus, in illis terris hactenus quaſi errantibus, Sacra parentet Religio. Verum et Tu praeſertim ex illo aeternitatis Palatio heic euocandus es, aeternum Galliae Tuae decus, Borboniorum Sator, Sancte Ludouice. Tua ſi in harum rerum commemoratione praeteriretur gloria, iniuſti in venerandos tuos cineres videremur; nobisque tacentibus, tot Gentium Chriſtianarum Annales, tot inſulae, portus, tot vrbes, prouinciae et ipſa denique maria loquuntur. Heroico Tu plane et inaudito feruore Terrae Sanctae Liberatoris ſublime nomen ſolenni voto in Te recepiſti, expleuiſtique, quicquid militaribus et chriſtianis virtutibus condecoratus magnanimus Princeps Orbi repraeſentare potuerat: digniſſimus, vt cuius vigorem Barbari toties mirabantur, eiusdem quoque felicitatem pariter fuiſſent experti. Nec glorioſiori Tu ſane operi immori potuiſſes, quam cui immortuus cerneba-

nebaris. Sanctum ergo eſt gentibus hodieque nomen Tuum, Diue Ludouice; ſancta, ad quam recuperandam vires Tuas intendiſti, prouincia; ſancti et innocentes fuerunt mores Tui; ſanctiſſima denique ſemper erit Tua poſteritati et Galliae praeſertim Tuae memoria; quae ſe toties felicem praedicat, quoties imaginem virtutum Tuorum, et Borbonios ex ſanguine Tuo Principes, in quibus Tu quotidie refloreſcis, reſpicit et debita pietate veneratur. Sed quo me rapit Gallicae gloriae contemplatio, Auditores. Tot rara, tot admiranda passim in diuerſa me trahunt, vt multitudine rerum circumfuſus finem difficilius, quam initium huic ſim inuenturus Orationi. Quam vaſtus enauigandus mihi eſſet oceanus, ſi iam Valeſiorum Borboniorumque bellica facinora, quorum fama coelo adſcripta, ſi Herculeam illam ſobolem, Franciſcos illos, Henricos atque Ludouicos, illa inuicta belli fulmina, vobis repraeſentare conarer. Quoties ſub paſſibus eorum potens tremuit Italia; pugnax vacillauit Hiſpania; Anglia nutauit, et ipſa quoque non ſemel bellicoſa titubauit Germania. Et quod maius vnquam viſum eſt miraculum, quam quod hoc ſeculo Orbis ſtupuit; Galliam cum vniuerſa Europa compoſitam, et ſi belli euentum conſideres, illi ſuperiorem. Dignum, cui omnes ex Francica Antiquitate Reges atque Heroes interfuiſſent ſpectaculum. Eant nunc quotquot Gallicae genti leuitatem animi, et in perferendis bellorum laboribus mollitiem obiiciunt, exterae Nationes. Gallorum eſt ire per inuia, et conſpirantibus in ipſos proeliorum periculis ipſam prouocare

fortunam. Galliae haec pridem inſignis et propria felicitas eſt, hoſtibus vel innumerabilibus eſſe parem, fortiſſimis ſuperiorem. Et quantum triumphatrix haec bellica fama ſub Te aliquando praedicabitur, Decus et Gloria Principum, Magnanime LVDOVICE. Feruet iam pridem in praecordiis Tuis Martius ille Genius, ab heroica Maiorum Tuorum ſerie tam feliciter in Te deriuatus. Viſum eſt huius rei ab ipſis regnandi exordiis rariſſimum ſpecimen, cum Puer iam victrices laureas cum crepundiis Tuis miſceres; et poſtea Adoleſcens, quantus in bellico nuper ludo videbare, cum Tu excelſae fortitudinis Tuae experimenta, vt intrepidus olim Iuuenis Macedo, applaudente tot Galliae Heroum corona, felix edidiſti. Macte hac indole; macte hac virtute Tua, Martia Progenies, et reprime heroicum illum ardorem, donec tempus aliquando venturum eſt, quo ab hoſtilium armorum inſultibus Tua defendenda Tibi veniat Gallia. Quam Tu tum longe lateque victor per vrbes hoſtium Tuorum triumphabundus incedes; quam Tu aurea illa Galliae Lilia, vt Aquilas ſuas quondam Romani, paſſim oſtentabis victricia. Terror praecedet exercitus Tuos; virtus et fortuna eos comitabitur; fama et triumphi ſequentur. Videor mihi iam nunc armamentaria Tua reſerata videre, et in iis ſuſpenſa illa Barbarica ſpolia; illa cruore madentia Ducum Tuorum paludamenta; illas coronas, torques, vexilla; illa acroſtolia, hoſtibus erepta, et Te denique, vt Martem illum Vltorem, exuuias bellicas ſacris Tuis inferentem Palatiis reſpicere. Laeti iam ſumus futuro,

turo, quod nobis praeſens quaſi ſiſtimus, ſpectaculo, Rex Maxime; ſed longe laetiores ſecuro hoc, quod nobis indulges, quod iucundiſſimum nobis promittis, otio et tranquillitate, quam Tu Galliae Tuae, ſi per Te licet, conſeruabis aeternam. Ita enim profecto eſt, Auditores, nullam eſſe maiorem Principum ipſorum felicitatem, quam ciues ſuos reddidiſſe felices, reddidiſſe feliciſſimos. Pendet inde vera et ſolida Regum regnorumque magnitudo, diuinae illi potentiae proxima, quae beneficiorum magis, quam malorum in mortales multitudine maxima aeſtimatur. Ille ab omnium retro ſeculorum memoria ſummus regnandi artifex Diuus Auguſtus, ſub quo gloriae et potentiae culmen Roma conſcendit, tum demum ſupremum ſuae magnitudinis faſtigium ſe attigiſſe profeſſus eſt, cum Orbe pacato Ianum cluſiſſet. Quodſi autem vera regnorum gloria ex pace metienda eſt, Auditores, quisnam heic Principatus cum Gallia ſe committere, vel artibus pacis florentiorem iactare ſe audeat? Quicquid in pace magnum et excelſum, quicquid pacis praeſidiis promouendis aptiſſimum, illud eminenti quadam ratione Gallia fouet; fouet coniuncta, quae inter plurimas gentes paſſim diuiſa reperiuntur. Enimuero ſi Numina ſtatim, quibus vaſtiſſima Francici Imperii moles per tredecim iam ſecula animatur, reſpicimus; illa ſane tot rariſſimis pacis decoribus reperiuntur conſpicua, vt omnes vel illuſtriſſimos Europae Principatus ex hac quoque parte Gallia poſſit prouocare. Reſedit Maieſtas in eadem ſemper proſapia, quae ſi Philippos Audaces, ſi Ludouicos Leones,

non minus etiam Ludouicos Pios et Iuſtos, aliosque pacis negotiis Magnos Gallicae genti produxit. Redeant ab vmbris ſuis in ſerenam mortalium lucem illi Francorum Caroli, Henrici et Ludouici; relictis illi palmis et triumphalibus laureis, ſolo pacis habitu condecorati ſe vobis oſtentent. Obſtupeſceris, Auditores, eos, qui nonniſi pugnas et certamina ſpirare videbantur, tam inſignia pacis ornamenta ſuae intuliſſe Galliae. Ceſſant in illis vulgares illae pacis laudes; regnat iuſtitia, perficiuntur artes, vigeſcit opificum quaeſtus, Aula reſplendet, feruent officinae, frequentantur emporia, honeſta vrgentur ſtudia, effloreſcunt ingenia. Altius quid illi moliti ſunt. Ad inuidiam populorum haec omnia extollere; ad ſummum felicitatis faſtigium cuncta perducere; Galliam vt in bello formidabilem, ita in pace fulgentiſſimam reddere; haec Regum iſtorum, haec LVDOVICORVM cura. Teſtantur id tot ſacrata Franciae placita, tot ſanctiones, leges et inſtituta; quibus tum ipſa latiſſimi Regni compages, tum Regum in eodem ſucceſſio, tum ſingulorum ciuium ſalus innititur. Quid his vnquam ſanctius, quid diuinius, quid ad iuſtitiam exercendam accommodatius excogitari poteſt. Iactent aliae Nationes concinnam publici regnorum ſuorum ſtatus rationem; iactent ſeueram iuſtitiae promptitudinem atque rigorem; quid horum eſt, quod non longe excellentius ciuibus ſuis repraeſentet Gallia. Sola Lex Salica nonne iam pridem omnium populorum ſapientiam, ſed et inuidiam ſuperauit. Reddit illa Galliam, quaſi aliquam Gentium Deam; cuius

imperii

imperii cum nulla gens extera ſit capax, illa omnium Principatuum et Imperiorum eſt capaciſſima. Nec repugnat ſane ſitus vaſtiſſimi Regni, Auditores; cuius prouinciae, omnium rerum prouentu florentes, et arctiſſimo inter ſe vinculo vnitae, auguſtum illud corpus, ſiue illam totius Orbis Reginam conſtituunt, quae potentiſſimorum Europae populorum ſodalitio ſtipata, ſingulis et vniuerſis affluentes ſuas opes, quibus illa nullius commercii indiga innutrire ſe poſſet, diffundit; et a remotiſſimis pretioſas merces, tanquam oblata totidem munera, tanquam totidem cultus eorundem teſtimonia recipit. Stupet ille ſaeuo tridente potens Neptunus Francica vela, quae in procelloſo olim aequore rara, cum illis nunc populis, quibus maris dominium natura indulſiſſe credebatur, de imperio illo certare videntur; Galliaque adeo vires Europae terra et oceano ſua iam potentia librat. Quis vllibi rerum praeſentium tam imperitus eſt vt neſciat, ex ſolis Gallici commercii fatis reliquorum felicitatem pendere; illis nutantibus, vbi cetera vnquam florere potuerunt. Neque id ſane mirum eſt, Auditores. Producatur natio tam ferax ciuium, in quibus tanta ingeniorum ſolertia, tanta in rebus inueniendis ſagacitas, tanta in rebus agendis induſtria reperitur. Tam vniuerſalis hodie populorum hac in re conſenſus eſt, vt Gallici cultus, linguae, morum aedificiorumque elegantiam aperte iam imitentur, quotquot politiores per Europam nationes cernuntur. Ipſi vero Principes, tam eminenti Aulae Regnique LVDOVICIANI Maieſtate perculſi, ſua quo-

que

que imitatione cuncta feliciter exprimerent, ſi Gallia alibi, quam in ipſa Gallia poſſet reperiri. Nunc et vos ex veſtro quoque Parnaſſo ouantes exſurgite, Caſtalides Muſae, florentiſſima Heliconia cohors; vos, quibus ſolis fata Regnorum Principumque aeternitati conſecrare permiſſum eſt, veſtram hic tandem praedicate felicitatem. Quam glorioſis vobis eſſe contingit, quod Regnum, omnium rerum affluentia maximum, ſuam ex vobis magnitudinem praeſertim metiri cernatis. Tantus eſt veſter in Gallia ſplendor, vt quicquid paſſim magnorum ingeniorum natura producit, illud vobis, illud veſtrae ſocietati produxiſſe videatur. Alibi humilis aut mediocris veſtra fortuna ſit. Hic Bellici Hectores, Martis filii, purpura et ſago celebrati per Orbem Heroes ſua vobis, id eſt, perennitati trophaea conſecrant. Miteſcit inuictus ille et ferociſſimus Septentrionis Monarcha; Suas ad veſtrum conſpectum criſtas deponit, et tot illuſtrium victoriarum quaſi oblitus, poſt reportatas tot bellicas, quibus cinctus eſt, laureas, veſtris iam coronis redimiri gloriatur. Manet ille vos immortalis honos, quod Ludouiciana ſecula, quorum noua et illuſtriſſima iam exſurgit periodus, veſtris praeſertim celebrantur carminibus. Praeparate nobis iam nouos concentus, dum noua vobis miracula praeparat LVDOVICVS. Neque vero parum tam celebratae Galliarum magnitudini deeſſet, Auditores, ſi rerum ſuarum ſecurus tantae tranquillitati Mars ille Gallicus indormiret; ſi ſocordiam in pace oſtenderet; ſi in pace non cogitaret de bello. Regnet tam turpe otium in

aliis

aliis terris. Vigil ille Francici Monarchae oculus totum vndique Regnum et remotiſſimos eius terminos late circumſpicit. Miles in armis exercitatus; adornata omni bellico apparatu armamentaria; extructa finibus Regni firmandis propugnacula, Galliam non virium defectu, ſed ipſo pacis amore pacem ſeruare demonſtrant. Quam praepotens et nouis munimentis ſuperba iam incedit Turrita haec Alſatiae Dea, ARGENTINA Ciuitas, terror quondam vicinorum, iam ſtupor; quam audacter illa ſublime caput extollit, potentiſſimorum, ſi qui olim exorituri ſunt, hoſtium viribus potior; et ob id inprimis glorioſa, quod eam praeſertim elegerit maximus Monarcha, in qua illuſtria magnitudinis ſuae ederet documenta; quam munitiſſimis Europae vrbibus munitiorem vel e longinquo oſtentaret. Deſinat iam mordax ille liuor mirari, quod Regnum hoc, tanta prodigiorum copia praefulgens, cunctae Nationes extollunt, et miro quodam conſenſu Principatum ipſi deferentes in amicitiam primo, inde in foedera ſocietatemque eius certatim rapiuntur; deſinat mirari, quod vel illud Regnum, quod vniuerſalem olim dominatum agitauerat, ſolenni legatione ſuum iam pridem Galliae conceſſit primatum; faſſumque eſt, Regnorum potentiam non diſſitarum prouinciarum multitudine et numero, ſed coniunctarum viribus et flore metiendam. Tam illuſtris, tam potens, tam pacata iam eſt Gallia Tua, Glorioſiſſime Monarcha; ſed maximum eius decus, maxima gloria eſt, Te ſuum coluiſſe LVDOVICVM. O Te felicem hoc Regno! ſed nos feliciores his

moribus Tuis, Sanctiſſima Progenies. Verte oculos ab Occaſu ad Orientem; reſpice Boream verſus et Auſtrum; vide certantes in Te colendo Principes; ruentes in Tui obſequium populos; nos denique ciues Tuos pro ſalute, pro immortalitate Tua coelum fatigaturos. Scilicet eo intenſior noſter in Te amor eſt, LVDOVICE, quod tanto pretio, tanto nobis impendio Rex coelitus deſtinatus fuiſti. Quodſi nonniſi poſt tot triſtia Tuorum funera, poſt tam funeſtam Borboniorum ſtragem Regnum ad Te iam peruenire potuit, illam nos iacturam in Te feliciter compenſatam videmus. Sentit iam pridem Europaeus Orbis ardua Tua pacis conſilia, et ſub Tuo ſane praeſidio, Te Magno Auſpice, in ſeriam, in aeternam iamiam rediturus eſt concordiam. Dominata ſit olim in Regnis Regibusque fallax ſuſpicio; dominata ſit infelix aliena inuadendi libido, Tuum eſt, exercitos in mutua viſcera Chriſtianorum gladios excutere; Tuum eſt, Principum mentes ſereno concordiae lumine perfundere. Ruat a Caſpiis litoribus in mutuam perniciem, in ſaeua proelia Eous Orbis et Septentrio. Rumpat ilia vipereosque crines truculenta diſcordia: Tu togae et pacis artes aggrederis, Tu regere potius, quam augere imperio populos Tuos meminiſti. Agitantur eodem ſpiritu, quibus Tu Regni habenas committis, Auguſti ex ſanguine Tuo Principes. Inter ipſa ſeruandae tranquillitatis Europae conſilia fato oppreſſus eſt potentiſſimus nuper Galliae Tuae Moderator, Magnus ille Aurelianenſium Dux; cui tot Regum Principumque, et Tua praeſertim

deſi-

deſideria hodieque parentant. Flagrat eodem feruore, qui eadem iam gubernacula gerit, Sereniſſimus Borboniorum Dux; et populorum ſalutem ſupremam ſibi fore legem non vno iam nobis demonſtrauit exemplo. Regna porro tam ſublimi animatus ſpiritu, alta et profunda pace glorioſus, Magne LVDOVICE, et diuinam illam Proaui morituri vocem, qua Grandaeuus ille Neſtor vaſtam imperii molem in Te ſucceſſorem transmiſit, qua auream ille menti Tuae pacem, aeternum publicae felicitatis ſignaculum, impreſſit, immortali memoria complectere. Sic nunquam ſerenos, nubilis mentibus, Gallia Tua vultus induere ſpectabitur. Sic felices ventura olim aetas praedicabit eos, qui dicturi ſunt: Galliam vidi, LVDOVICVM vidi, et vtrumque ſimul vidi. Sic aurea illa Rheae et Saturni ſecula Tecum aliquando reſurgent, in quibus Te, perpetuum generis humani delicium, perpetuum mortalium felicitatis ſponſorem, numeroſa nepotum ſerie circumfuſum, et in ſera poſteritate regnantem vniuerſus admirabitur Orbis.

D I X I.

PANEGYRICVS(*)

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXV.

Auſpicatus ille redit Galliarum dies, quo ante tria haec luſtra LVDOVICVS mundi lucem aſpexit. Recolimus eum regno tranquillo, pacata Europa; multiplicata laetandi et gratulandi materia. Stant plenae gaudiorum omnes regni prouinciae. Adeſtis magna frequentia, Ciues Argentinenſes, annua mecum renouaturi ſolennia. Inſcriptae ſunt Gaudio ſerenae omnium frontes; viget in oculis veſtris amoena Alacritas; experrecti ſedetis rerum, quas vobis expoſiturus ſum, Auditores.

LVDOVICI Adolescentia felix; felix Regi noſtro in ſolenni hac Panegyri mihi occurrit gratulandi argumentum. CAROLVS IX. ex Valeſiadis Franciae Regibus fere poſtremus, obitum ſuum regno praedicauit felicem, quod non habiturus ſit ſucceſſorem, minorem aetate. Turbida tempora praeſagiens Galliae Regno, in quo Rex regnat impubes.

Infantia et pueritia LVDOVICI ſine interruptione felices, feliciori Adoleſcentiae, ſingulari quodam coeli fauore praeluſerunt.

Natus

(*) Qui ſolus nunc primum typis exſcribitur.

Natus inter belli Gallo Hiſpanici flammas; inter ſtrages Borboniae domus miraculo ſeruatus, quum frater eius, pater et auus, tres ſibi ſuccedentes Delphini, Ludouico Regi Grandaeuo, breui temporum ſpatio eriperentur, LVDOVICVS noſter ſuperſtitit infans; quinquennis puer proauo Ludouico vt Delphinus ſuccederet.

Educatio et diſciplina ſuccreſcentis pueruli Regis Regibus futuris poterit eſſe exemplo. Bosſuetius et Fenelonius, duorum Delphinorum Doctores eorumque ſucceſſor Fleurius, LVDOVICI noſtri doctrinae moderator, quantam ſublimioris educationis ſpem mentibus noſtris iniecit. Non monſtroſus heic vel fabuloſus iactatur Chiron, ſed Ephorus, in quo Arſenium, Alcuinum, Caſſiodorum, veteres illos Principum nutritios, noſtro aeuo rediuiuos conſpiceres.

Floridae pueritiae ſucceſſit adoleſcentia vigens, cui in omni Francicae Monarchiae hiſtoria vix ſimilem reperio. Autocrator Ruſſorum, Petrus ille ex Romanouiis primus, omnium, Ruſſis qui imperarunt et imperaturi ſunt, maximus, ab extremis ſeptentrionis partibus, advolauit Lutetiam, LVDOVICVM inuiſurus ſeptennem. Monarcha hoſpes, Monarcham adoleſcentem amice complexus, praeſentibus proceribus Aulae, auguratus eſt, imperium eius magnitudine euentuum memorabilius fore imperio Proaui, qui rerum geſtarum gloria Magni nomen adeptus eſt.

Vaticinii complementum Gallia omnis exoptat. Reſpondet votis noſtris prouidum Numen. LVDOVICVS, trium luſtrorum ephebus, intus et foris proſpera imperii ſui experitur tempora; Amatus a Ciuibus, honoratus ab exteris, difficultatum inter eos orientium arbiter; alienae non indigus opis, omnibus auxilio praeſens; conſiliis Pacator Europae.

Breuis haec tabula eſt geſtorum Principis, cuius celebramus Natales. Ille immaturus aetate, de publica tranquillitate ſollicitus, Pacem eius firmam ſtabilemque vt redderet, odium et ſimultatem quadringentorum annorum, quae Gallos inter atque Britannos pertinaciter durauerant, extinguit. Londinenſe hinc prodiit illud quadruplum foedus, quietis publicae columen; Traiectini atque Badenſis tractatuum pacis complementum; quo litium, Hiſpanos inter et Auſtrios durantium, capita, aequo terminantur iudicio. Auſtriaca et Hiſpanica Domus apud Italos ſua iura conſeruant. Mediceae et Farneſiae Domuum, quarum interitus imminet, Principatus decernuntur Hiſpaniae, in compenſationem terrarum, quas ea apud Italos perdidit. Amicitiae vinculum, quod a ſeculi huius initio Gallos inter atque Hiſpanos Ludouicus Proauus conſtituit, nepotem inter et pronepotem eius perdurat.

Singulare magnanimitatis tuae ſpectaculum anno ſuperiore populis Europae dediſti Auguſte Philippe, Hiſpanorum Moderator, qui in ipſo

ipſo aetatis viriumque vigore, octo luſtra nondum egreſſus, in ipſo ſortunae et felicitatis collocatus faſtigio; in ipſo magnorum conſiliorum apparatu, filio tuo, imperium expectare, quam habere malenti, gubernacula tradis, atque adeo ſolium tuum valens, vigens, laetus, in media pace, animo deliberato, relinquis. Abdicas regnum, in eodem regno vt viuas priuatus; poſthumum donum praeripiens fato; filium non magis viuentem ex te, quam per te regnantem vt viuus aſpiceres; vt vitam qui dediſti filio, viuus quoque ei dares coronam.

Ita eſt, Auditores. Philippo patri viuo ſuccedit Ludouicus. Ludouico poſt ſex menſes mortuo pater rurſus ſuccedit; precibus populorum inductus; Carolo I. tritauo ſuo generoſior; qui viribus fractus et deſtitutus fortuna filio tradidit ſceptrum, reſumturus illud, ſi per filium licuiſſet. Quam clementer et pacifice regnaturus eſt Philippus, ad ſolium redux, tam pius qui iam coeperat eſſe priuatus.

Ita potentes duo ad occaſum et ad boream populi, Hiſpanus et Ruſſus, Ludouico amicitia iuncti ſunt; Caeſarem, Anglum et Batavos quadruplum Londinenſe foedus ei quoque reddit amicos. Sueci a Guſtaui Adolphi temporibus Gallorum foederati fuerunt conſtantes.

Quam promptus ille nuper, iamiam erupturum in flammas, Ruſſos inter et Suecos extinxit incendium, quum Holſaticae Domus in Sueciam iura feruide vrſiſſet Monarcha Ruſſorum. Perſuaſit Bo-

ruſſo

ruſſo, Ruſſi foederato, mitia ſocio vt inſpiraret conſilia. Eleonora, Succorum Regina in ſolio ſuo manſit tranquilla. Nata mox Succos quoque cum Anglis conciliandi occaſio. Bremenſis Ducatus et Verdenſis Principatus, Germanica Succorum feuda, ad Hannoueranum Angliae Regem tranſierunt; indignantibus Suecis. LVDOVICO interueniente compoſiti ſunt motus. Hannoueranus ſatisfacit Suecis parata pecunia.

Nec Dania fuit expers turbarum, quibus Holſatia et Slesvici Ducatus occaſionem dederunt. Holſatiae Ducis partes contra Danos amplexi ſunt Sueci. LVDOVICVS intercedit; atque iura ſua circa Slesvicum Dano conſeruat. Res Holmiae compoſita, Lutetiae firmata.

Neque vero LVDOVICI in amicis et ſociis inter ſe conciliandis ſtudium intra hos terminos ſubſiſtit, Auditores. Indicendus Gentium Europae Conuentus, diſcuſſurus capita, quae publicae quieti, omnino firmandae ſuperſunt. Indictus eſt in Gallia Belgica Cameraci, Caeſare, Britannis et Batauis pacata LVDOVICI conſilia promouentibus. Spectaculum rarum! in Gallia non viſum, nec alibi viſum. Omnem diſcordiae fomitem inter populos ſuffocare ſtudet LVDOVICVS, ad quem illi litium ſuarum arbitria deferunt; quem arcanorum ſuorum reddunt cuſtodem; in cuius ſinum querelas ſuas effundunt; a quo conſilia pacifica accipiunt; in quo amando, colendo conſpirant. Tanta cum ſit Magnatum Europae in LVDOVICI aequitate fiducia,

ſiducia, nulli dubitamus, quin motus illi, quos Oſtendana Indiae Orientalis commerciorum Societas, a Caeſare nuper ſtabilita, inter populos concitat, eodem conciliante, componendi ſint breui.

Nec ſilentio tranſeunda eſt illa Caeſaris, maſculo deſtituti herede, Pragmatica Sanctio. Tantam ille in LVDOVICI amicitia fiduciam ponit, nullus vt dubitet, quin domeſticae huic Auſtriae legi Gallia additura ſit pondus et robur.

Arctis his amicitiae et foederum vinculis coniugalia vincula ſuperaddit LVDOVICVS. Nuptiales taedas Hiſpaniae atque Germaniae accendit Gallia. Anna Victoria, Hiſpaniae Infans, in Galliam tranſit, educatur in Gallia, ſocer LVDOVICI vt fiat Philippus Borbonius, Hiſpaniae Rex. Ludouica Eliſabetha, Aurelianenſium Princeps, ex Gallia in Hiſpaniam ducitur; Ludouicus Hiſpaniae Rex fit gener Philippi Aureliani Ducis, per ſeptennium, Rege impubere, qui rexerat Galliam.

Philippi huius filius Ludouicus, Carnutenſium Dux, Auguſtam Mariam, Marchionis Badenſis, Ludouici illius victoris Turcarum, ſervatoris Hungariae filiam ducit vxorem, quae foecunda Aurelianae Domus futura genetrix filios atque nepotes progignet, in quibus Borbonii et Badenſis ſanguinis virtutes renitebunt coniunctae.

Gratulatur Alſatia, Badenſium vicina, ex cuius gremio florens illa Zaringo-Badenſium familia, nulli, niſi Borboniae antiquitate

ſecunda, communem cum Auſtriae et Lotharingiae Domibus traxit originem.

Otia haec ſunt adoleſcentis Monarchae, Auditores, qui pacem in deliciis habet, ſed non delicias in pace ſectatur; clementia, amore et cura ciuium ſuorum nulli Regum ſecundus; Sanctione de pauperibus, per vniuerſum Regnum alendis, nuper edita religioſus; quae humanitatis et prudentiae plena, Regnis, Principatibus, Vrbibus ſeruire poteſt exemplo.

His Tu gradibus ad immortalitatem nominis tui feſtinas, LVDOVICE, Principum decus et amor. Tu, qui puer vnica ſpes et Galliae expectatio fuiſti, nunc admiratio adoleſcens euadis. Illa ferox bellua, quae rapinis et caedibus tamdiu graſſata eſt; quae lacrymis et ſanguine mortalium paſcitur, quae in vrbium fumantium ruinis et cineribus regnat, potenti Tua dextra confecta nunc et moribunda conſpicitur.

In profunda pace Tu imperas felix et pax quoque Tecum regnabit aeterna. Sunt Tibi quidem ingentes terra marique bellorum apparatus; lectiſſimae per regnum diſtributae ſunt copiae; facilis ad victorias Tibi aditus patet. Sed praecipua, quam in Te miramur, illa victoria eſt, qua Tu in florida hac Tua aetate Te ipſum iam vincis, Te ipſum tranſcendis et non per Galliae modo Tuae fines, ſed per orbem Chriſtianum ſuper corda amicorum et foederatorum Regum Principumque Adoleſcens triumphas.

D I X I.

ORA-

ORATIO QVA NVPTIAS LVDOVICO XV. ET MARIAE PRAESENTE STANISLAO GRATVLATVS EST

A. MDCCXXV.

Nouum et inauditum dicendi argumentum exſurgit, Rex potentissime, ceterique Auditores ſuis quisque elogiis Condecoratiſſimi. Quod ardentibus vniuerſa Gallia votis pridem exoptauit; quod vniuerſae ſalutare futurum eſt poſteritati, iſtius rei finem et principium Orbis iam videt. Reſtabat hoc vnum ad Francici Regni ſummum decorem; reſtabat hoc vnum ad Francici Regis perfectam felicitatem; vt qui ſuam tot admirandis iuuentam ſignauit, qui in Maximi Herois exemplum adoleſcit, in tantae Maieſtatis conſortium donatam coelo Principem aſſumeret, et Auguſtis thalamis Auguſtam Reginam inferret. Rata ſunt haec Francicae Gentis deſideria, Auditores. Accendit LVDOVICO nuptiales taedas Gallia, et pro triumphali paeane dulces iam hymenaeos laeta decantat. Strepuit vbique publicae et Regalis ſolennitatis feſtiuitas; reſonabant paſſim non ad terrorem, ſed ad laetitiam comparata reboantia tormentorum tonitrua; micabant certatim aemuli meteororum coeleſtium ignes; extulit ſuperbum caput ſtupenda Alſatiae moles; illa ad ſidera ten-

dens et excelſa turris, ac ſublimi ſuo ſplendore noua gentibus laetandi argumenta annunciauit. Ille purpuratus in amabili Pieridum conſortio Phoebus, per amoeniſſima Parnaſſi iuga, inter plauſus et iubila acclamantium, feſtiuos Regi hymnos canere et noua Galliae deſtinare tempora videbatur. O felix et toto vix ſeculo viſum in Gallia ſpectaculum! O inuidendam Argentinae felicitatem! quae tanto ſpectaculo praebuerat theatrum, quae tantarum rerum praeſens et venerabunda teſtis erat; quae tam ſolennis, tam auguſtae ceremoniae peragendae deſtinata fuit ſacrarium; quae inſtar coeleſtis cuiusdam domicilii tot Sacris Numinibus hoſpitia pandit. Diceres Homericum illum Deorum in Olympo conſeſſum noſtris Argentinae repraeſentatum eſſe temporibus. Diceres illas tam decantatas Pelei cum Thetide nuptias, tot Deorum Dearumque praeſentia illuſtres, noſtro tandem celebratas eſſe ſeculo. Te quidem in ſublimi Tua Maieſtatis arce, tam rari ſpectaculi Auctorem, nonniſi e longinquo venerari datum erat, Excelſe Monarcha, Sacrate LVDOVICE. Tibi e remotis vaſtiſſimi Tui Regni confiniis exultans applauſit feliciſſima Alſatiae Metropolis, tot illuſtribus benignitatis Tuae documentis colluſtrata. Sed conceſſiſti, Rex Maxime, vt nos, deuotiſſimi Tibi ciuium Tuorum, illum quo in Te rapimur cultum, illam qua in Te flagramus pietatem, nouo, quod Tu nobis dediſti, Numini deferremus; atque adeo Te Iouem Statorem in Auguſta Tua adoraremus Iunone. Salue ergo, Sarmaticae Gentis Delicium, Noua Francorum Regina, Auguſta

MARIA.

MARIA: Salue diuina Septentrionis Progenies, Virago coeleſtis, Excelſi Parentis Excelſa Propago. Tu nimirum illa es Glorioſa Herois, quam potentiſſimus Regum Principumque Monarcha thalami ſui ſociam, imperii conſortem, ſolii, coronae, ſceptrorum et Maieſtatis ſuae participem facit. Tu illud es coeleſte Palladium, quod non in Gallicae modo felicitatis pignus, ſed in Orbis Chriſtiani praeſidium mortalibus conceſſum eſt. Te huc iam fata vocarunt, vt Maximi in terris Regis Maxima Regina dicaris; vt Liliatum Diadema in Sacrato Tuo capite reſplendeat; vt triumphales Gallorum Laureae inter frontis Tuae decora miſceantur. Sic Te vniuerſae nunc gentes reſpiciunt, Princeps potentiſſima; ſic in obſequium Tuum ruit Auſtralis plaga et Septentrio, ſic Tibi acclamat Oriens atque Occidens. Et nos, Auguſta Regina, qui primi ex omnibus Galliae ciuibus Tuo gratulabundi admoti ſumus ſolio, nunc demum miram quandam temporum futurorum ſpeciem mentibus noſtris agitamus; nunc demum florere, nunc in ſummo rerum faſtigio nos ſtare animoſa interpretatione reputamus. Quam ardua dicendi materia! Auditores; digna, quam maximus omnium ſeculorum Orator diuina exponeret facundia, ſed et quam Iuuenis et nondum ſatis confirmatus pertimeſcat Orator. Faciam tamen, quod pietas me publica iubet; ſequar faſtigia tam excelſi argumenti; ſequar volitantem per terras iam publicam famam, qua paſſim celebratur: FELIX AQVILAE POLONICAE CVM GALLICO SOLE CONIVNCTIO. Quos meos in maximis

rebus conatus Tv, Rex Avgvstissime, Vosque Veſtra, Auditores, vt probetis humanitate, ea qua decet reuerentia contendo.

Cum plena ſit rerum illuſtrium pace belloque geſtarum Franciae Gentis Hiſtoria, Auditores, non minus admiranda heroicae virtutis ſpecimina certatim Polonorum Annales producunt. Si Gallis Itali, Hiſpani, Britanni perpetua olim fuerunt exercendae virtutis materia; Poloni profecto Ruſſos, Tartaros, Turcas, Coſacos, aliasque notiſſimae ferociae gentes, vel aemulos pertinaces, vel acerbiſſimos hoſtes per longam ſeculorum ſeriem ſunt experti. Et hic ſane tot exemplis comprobatus vtriusque populi robuſtus vigor eosdem, magno licet terrarum interuallo ſeiunctos, in mutuum, quod virtutis opus eſt, amorem facile pertraxit. Exorta hinc vetus inter Franciae et Poloniae Regna neceſſitudo, quae iam olim, cum Gallia Regem Caſimirum e Cluniaco reddidiſſet, leges, ritus moresque Gallorum Poloniae intulit, nulla temporum iniuria vel rerum commutatione labefactandos. Sed longe euidentius poſterioris aeui haec comprobat hiſtoria, Auditores; quando Gallicae virtutis ſplendor adeo Heroicae iſtius nationis animos occupauit, vt Ludouicum Andegauenſem in Hungaria regnantem et Henricum Valeſium, ex Gallia Principes, vt de Contio taceam, Sarmatico Solio imponerent; ipſis quoque Reginis, magna cum Reipublicae gloria et felicitate, ex Francica gente deſumtis. Viderat ſuperiori ſeculo miram cataſtrophen Polonia, cum

poſtre-

poſtremus ex Iagellonica ſtirpe, Iohannes Caſimirus, multis aerumnis agitatus et funeri quaſi ſuo ſuperſtes, ſceptris Regnoque valediceret; nec illi, ex publico huius mundi theatro ad vmbras priuatas tendenti, praeſentius quam Gallia perfugium fuit. Reuocate vobis tandem in memoriam, Auditores, illam tot Regum et populorum interuentu illuſtrem pacis Oliuenſis hiſtoriam. Cicurauit tum Suecicos Leones Gallia, et quae ſeneſcere videbatur Aquila Polonica Ludouici Magni praeſidio, priſtino reſtituta fuit vigori. Quod redhoſtimentum pro tantis beneficiis Galliae rependit Polonia? Tibi hoc gloriae et felicitatis diuina deſtinauit prouidentia, STANISLAE Auguſte; haec tam illuſtria fata Tibi ſeruata ſunt, Sacrate Monarcha, vt vnico dono et vnico munere tot merita Gallicae Genti maximo cum foenore penſares. Te nimirum ex potentiſſima Comitum Leſciniorum familia, quae cum ipſis Chriſtianiſmi primordiis ſua quoque in Polonia primordia vidit, quae pridem ſceptra et coronas meruerat, oriundum, et propriis tot meritis ſublimem Polonico Solio Numen admouit, vt inter maxima togatae et heroicae virtutis exempla, quibus Ladislaos, Sigismundos, Batorios, Sobieskios aequaſti, tam ſanctum quoque, tam diuinum opus perficeres. Quam plenus miraculis fuit ille dies, cum Tu Martius Iuuenis in Centuriatis Varſauiae Comitiis, ad ſacras Diuorum immortalium aras, ſacro Diademate redimitus, omnium ora menteſque in Te conuerteres. Quam felicia pro regno Poloniae Optimatum praeſagia, cum Tu Sarmaticus Hercules, victricibus

Tuis armis exultans, non tam de hoſtibus, quam de ipſis ciuium Tuorum animis triumphares. Ab hoc orientis imperii Tui exordio noſtrorum haec temporum dependerunt auguria. Excelſi Herois divina progenies LVDOVICO deſtinatur, et Illa in Auguſtiſſima Tua Domo, ex ipſo Tuo ſanguine ad genii coeleſtis exemplar formata eſt. Haec vnica Tibi Princeps a coelo ſeruata, vt vnica huius Seculi Phoenix videretur; vt eo rarius eſſet quod Galliae donum transmittis; vt illam multorum Tibi Principum filiorum loco educares, quos in Auguſtis ex Filia Nepotibus Tibi aliquando datos, Tibi prognatos conſpicies. Eſt hoc profecto ſingulare diuini in Galliam fauoris documentum, Auditores, quod talis illi fatorum conſilio Regina contingit, quae in ſacris Regiorum Parentum penetralibus, inter venerandas Maiorum imagines educata, non iam ex Aula, ſed ex quodam ſanctimoniae delubro in illuſtriſſimam totius Galliae et vniuerſi lucem prodire videtur. Prodire ex Aula, ex qua luxus, libido, licentia, luxuria et faſtus, cum reliquo vitiorum huius ſeculi contagio, perpetuo proſcripti; in qua pietatis, modeſtiae, omniumque virtutum exempla ſunt Rex et Regina cum Regia Parente; rariſſima triga. Vidiſſes in hoc ſacro Palatio in exornanda Auguſta Adoleſcente iucundum Gratiarum Venerumque certamen; venientibus in conſortium Minerva et Muſis; ex quarum diſciplina magnanima haec proles, naturae miraculum, orbis prodigium proceſſit; tota virtutum comitante caterua; quae tantae iam Heroidi certatim applaudunt; quae potenti ipſius

ipſius praeſidio nunc glorioſae laetantur. Quid heic in tam multiplici dotium Regiarum concurſu potius admirer? Diuina Virago! Quid primum, quid poſtea, quid vltimo loco exponam? Regina Sanctiſſima. Num ſublimem et erectum illum viuidae Tuae mentis vigorem; num raram et maturam in flore iuuenili prudentiam; num in ſexu Tuo rariſſimam rerum diuinarum humanarumque cognitionem; num mitem illam erga quosuis benignitatem, clementiam, comitatem; num decorem aut verecundiam, humilitatem aut patientiam Tibi primum vindicabo? Excelſa Anima! Illa nimirum auguſtisſimarum virtutum Tuarum gloria Te vndique amabilem, Te vndique admirandam nobis proponit. Tibi intenſum diuinae ſapientiae amorem, magnam in rebus diiudicandis perſpicaciam, et generoſam ad quaeuis ſublimia indolem natura conceſſit. Nihil ſimulatum in vultu Tuo, nihil fallax in oculis Tuis apparet; omnium animos menteſque occulta quadam ratione blandoque Tuo nutu Tibi obſtringis. Quam facile Tua Maieſtas ſe ad quosque demittit; quam multis documentis iam ſumus conuicti: Te nihil agere poſſe, quin agas pie, quin agas magnanime, quin agas clementer. Macta ſis tam ſplendida virtutum Heroicarum corona, Chriſtianiſſimi Regis Coniux Chriſtianiſſima; qua multo auguſtius reſplendes, quam illa ex auro gemmisque Tuo nunc capiti impoſita Regia Gallorum corona. Macta ſis, inquam, et redde nobis illa Francica pietatis prodigia, Clotildes, Radegundes, Blancas, Batildes; quarum ſanctimonia hodieque

inter ſidera fulget; quarum nomen et gloria vigebit, quamdiu aliquod in terris pretium virtuti ſtatuetur, quamdiu potentiſſimi Galliarum imperii faſtigium durabit. Dedicabunt aliquando mortales in coelo, quod Tu, Francica Ariadna, nunc geſtas in terris; exclamabit nobiſcum orbis vniuerſus: Viue, MARIA, Deo dilecta! Viue, regna, perenna; Deus Te dedit, Deus Te ſeruet! O beatum et ſalutarem Polonis diem, quo coeleſtis haec Phoebe primum exorta. O beatiorem Galliae lucem, qua illa cum Francico Sole aeternum coniuncta. O longe beatiſſimum Regem, qui in conſortia Regni tam lucidum ſidus aſſumit; cui talis contingit Regina, a coelo formata, a coelo accepta, et eidem rurſus conſecrata coelo; in quam ſuas certatim dotes terra coelumque transfudit. Sic ludit in rebus humanis prouidentia diuina; ſic conuerſa plane facie rerum Poloniae nunc Gallia debet. Et quantum Tibi tam rarae felicitatis auctori Tua Gallia debet! Regum Principumque Deliciae, Magnanime LVDOVICE; Tibi, inquam, cuius ſacrato nomine omnes tituli laudesque continentur. In Te nimirum tam manifeſta Herois excelſi documenta apparent, vt illi remotiſſimae antiquitatis Semidei, Caſtores, Polluces Theſeique in Tuam remigraſſe adoleſcentiam, atque in Te invicto Principe rediuiui credantur. Illa Heroica et admiranda corporis Tui ſpecies; Hectoreus, ex quo prognatus es, ſanguis; Martia quam ſpiras indoles Magnum illum Galliarum Herculem nunc vere in terris creſcentem proponunt. Ridet in Tua fronte flos ille iuuentutis

tutis et gratia animorum conciliatrix. Viuit in oculis et in ore Tuo excellens quaedam et natiua venuſtas. Regnat in venuſtiſſimo corpore vegetus ardor et ardentiſſimus vigor. Relucet vbique Regalis Maieſtas, Regalis imago. Reſplendet in Te, Magne Borbonides, immortalis illa Proaui Tui Grandaeui gloria, benigna illa Ludouicorum lenitas et iuſtitia, ignea Henrici Magni alacritas, omnium denique Borboniorum coelo adſcripta virtus et prudentia. Quicquid Principem amabilem, ciuibus ſuis venerandum, et tanto, in quo collocatus es, faſtigio digniſſimum efficere poteſt, id in Te triumphali Monarcha feliciſſimo nexu et eminenti quadam ratione conſpicitur. Tu, qui omnes omnino voluptates auerſaris, qui omnis otii generoſus contemtor omniumque laborum tolerantiſſimus es, qui corporum coeleſtium inſtar in perpetuo motu et rerum agitatione verſaris, in Tua profecto iuuentute oſtendis, quod inuicti illius Macedonici Principis vix vidit iuuentus. Quis ergo Principum Te dignior foret, cui tam Pia, tam Sancta, tam Amabilis coelitus Regina contingeret? Sed et digniſſima eſt virtus Polonica, Auditores, vt ad Gallicae gloriae ſocietatem propius accedat. Illa libertatis et maſculae frugalitatis ſemper tenaciſſima; quae nihil in moribus, nihil in toto corporis habitu molle vel effoeminatum gerit; quae triumphalibus Romanorum aquilis olim fuit imperuia; quae Scythicum furorem armis ſuis toties repreſſit; quae nuda ciuium ſuorum pectora ſignis et aciebus Ottomannicis toties oppoſuit, verum Gentis Chriſtianae propugnaculum,

illa aeterno et arctiſſimo nunc foedere LVDOVICO ſe iungit, ſuisque trophaeis in media nunc Gallia ſuperbit. Reſpicite ex tumulis veſtris antiqui Sarmatiae Hectores. Surgite ex veſtris Mauſoleis Piaſti et Iagellonidae Principes, et iucundiſſimum iam cernite ſpectaculum. Aquila Polonica ad Francicum Solem ſe extollit; Aliti Sarmaticae Sol Gallicus in amoribus eſt; Viſtula et Sequana in foedera coeunt; in rigidos Sarmatiae montes Aurea iam tranſplantantur Galliae Lilia. Noua et feliciſſima rerum Polonicarum conuerſio! Auditores. Surget omnium florentiſſima totius Septentrionis periodus. Condet nouam Regum ex Francia ſeriem Polonia. Expandent aliquando alas ſuas Aquilae Polonicae in Principum Borboniorum occurſum; patebunt Regni portae Principi Liliato, ſed magis anhelantium corda ciuium; efflorefcet ipſis regnantibus antiquus Polonorum candor; redolebunt ibidem Gallici Sceptri Lilia. Quodſi Valeſios tam cupide olim excepit Polonia; quanta cum laetitia excipiet Borbonios, ex Polonico iam ſanguine prodituros; qui Henriciani imperii breuitatem ſua regnandi diuturnitate penſabunt; qui regna regnis, imperia imperiis cumulabunt. Quicquid a Carpathiis montibus ad Caſpium mare, quicquid a Glaciali Oceano ad Pontum Euxinum ſe extendit, id omne, quod ſub Vladislao miratus eſt orbis, ſceptra Borboniorum in Polonia Principum aliquando venerabitur. Frangentur cornua Turcicae Lunae, ſi olim ferociant, ad Gallici Solis radiorum ſplendorem, et cum illa Francico ac Polono cruore reſperſa toties iam

mutarit

mutarit colorem, expalleſcet nunc plane, vel ſereno pacis lumine truces aſpectus permutabit. Magna haec pro vniuerſo orbe Chriſtiano praeſagia! Auditores; quae praeſcia quaſi futuri et ſuae iam conſcia felicitatis effundit Gallia. Illa nimirum, quae de Regum ſuorum ſalute tantopere ſolet eſſe ſolicita; quae in Gentis Borboniae flore et incremento ſuas delicias ponit; quae de tenero ex Ludouici Magni proſapia ſurculo ſaepe tremebunda ſperauit, illa nunc ſuo ſe metu liberatam eſſe laeta perſentit. Reſtituta eſt priſtinae ſecuritati ſuae Gallia; praeludit feliciſſimis Proaui temporibus Pronepos LVDOVICVS; praeſentia iam quaſi ſiſtit innumera Regiae Domus praeſidia; finem curis et noſtrae anxietati impoſuit Regis anxia de Regno ſolicitudo. Non noſtris tantum, ſed omnibus futurorum ſeculorum temporibus proſpexit LVDOVICVS, vt Gallica res perpetuis Domus ſuae radicibus coaleſcat; vt tam immortale ſit Eius imperium, quam ſempiterna ſoboles Ludouicorum; vt in Gallico ſolio aeterna duret Magni Ludouici Magna Propago. Ridet ille verus olim Galliae ſuae Stator, in ſupremo immortalitatis Palatio, et inter tot venerandos Franciae Monarchas tantae laetitiae argumenta partitur. Applaudit feliciſſimis Pronepotis ſui ſucceſſibus, et Borboniae Genti, cuius immenſum aucta ab ipſo eſt gloria, nouum hoc vinculo acceſſiſſe decus laetatur. Oſtendit iam florentiſſimo Heroi longam poſteritatis ſeriem; quae ſplendore virtutum mortales praeſtringat; orbem terrarum imperio gubernet. Feſtinaſti ergo in occurſum Auguſtiſſimi

Regis, Glorioſa Regina. Feſtinaſti in dulces amplexus Eius, qui inter ſceptra et diademata adoleuit. Occupas geniales thoros, quos tot ſeculis tot Regum et Imperatorum Filiae Neptesque occuparunt: blandiris in purpureis thalamis Ioui Tuo Felix Saturnia. Militat iam in amoris caſtris LVDOVICVS Tuus; iacent Di nae artes; ſilent Bellonae tumultus. Miraris tecta centum trophaeis fulgentia, in quibus Tibi Riſus, Cupidines Veneresque ludibundi occurrunt. Ibi Te Diuam Diuinus Coniux fauſtiſſimo ſidere ſalutauit; ibi dextram, ibi cor et affectum Tibi iunxit Borbonius Heros. Stringit iam cygnos per Idalios colles placida Venus; nectit iugalia vincula pronuba Iuno; recludit atria ſua blanda Dione; accendit geniales taedas dulcis Hymenaeus; canit thalaſſium Francica pubes, et roſeis ſuis bigis Aurora Veſtros iam colluſtrat amores. Tu, quae virtute et pietate ſummas Galliae Heroinas aequabis, optata foecunditate cunctas tranſcendes, et quae Cybeles olim apud Gentiles gloria, Magna Mater Numinibus coelum terrasque complebis. Tu nonniſi Alexandros et gentium domitores produces, quae tot populorum viciſti Rectorem; qui non faſces tantum, non tiaram, non ſceptra, ſed Heroici Tibi pectoris ardorem ſubmittit. Sic viuite, Grandes Animae, Ciuium et Orbis Deliciae. Viuite ſemper Auguſti, aeternum felices; dumque noua iam gentibus otia parantur; dum perpetua populi ligantur concordia; dum aureis Rheae et Saturni ſeculis praeluditur, ſit nobis rerum tantarum coeleſte mox pignus, Galliarum Delphinus. D I X I.

PANE-

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXIX.

Sacra LVDOVICI renouamus, Auditores omnium Ordinum Splendidiſſimi; renouat Gallia; renouat orbis. Si vlli in terris nationi ſingularia diuinae prouidentiae teſtimonia iucunda commemoratione praedicare contingit, de illis profecto hodie prae omnibus gloriatur Francia. Illa nimirum publicae conſcia felicitatis nunc demum caram coelo ſuam eſſe ſalutem perſentit, quando LVDOVICI ſalus coelo tam cara reputatur. Floreſcit inuictus Monarcha et Herculeo animatus vigore glorioſus in pace triumphat. Quam felix cataſtrophe veſtris ſucceſſit terroribus, Auditores. Trepidauit Gallia ad primum de valetudine Regis periclitante rumorem, et repentinus ille motus vel remotiſſimas terras fulminis inſtar peruaſit. Trepidauit Britannia inprimis atque Batauia, caeterique populi cum Francica Gente arctiſſima ſocietate coniuncti; qui rerum ſuarum non amplius ſecuri cum dubia Regis ſalute de felici vaſtorum conſiliorum ſucceſſu dubitare coeperunt. Commoti ſunt denique vniuerſi per orbem Chriſtianum Principes, publicae tranquillitatis amantes, et fatali hoc nuntio turbati triſtiſſimam malorum illuuiem gentibus praeſagire videbantur,

tur. Non retractarem ſaeuum hoc vulnus, Auditores, niſi repetita praeteritorum memoria coeleſtis beneficii magnitudinem immenſum augeret. O expectatum illum diem! quo LVDOVICVS et Gallia priſtinum recuperauit vigorem. O celebrandam cunctis annalibus lucem! quae tam memorabilem in vaſtiſſimo regno animorum conuerſionem induxit. Vidiſſes Franciam poſt atrox ſilentium in plauſus et iubila reſolutam; altae quieti publica mo ſucceſſerunt tripudia; horridas tenebras ſplendor amoenus excepit, cum Francici Solis aſpectus orbi terrarum laetior redderetur. Exorta nimirum glorioſa illa potentiſſimo Regno periodus, qua Maximi Europae Rectores, publicae ſecuritatis fundamenta iacturi, tam ardui negotii praeſidium ſingulari concordia LVDOVICO detulerunt. Feſtinant remotiſſimae gentes ad ſacrum et commune Galliarum aſylum, et ex eius deſtinatis temporum futurorum fata et tranquillitatem metiuntur. Stupeſcit ad tanta miracula felix et in aurea pace exultans Tua Gallia, LVDOVICE, Regum et Principum Chriſtianiſſime. Stat attonita Sacroſancto Tuo Numini deuotiſſima Alſatia, et in Tuae magnitudinis contemplatione defixa, vel maxima ciuium Tuorum deſideria coelum ſuperaſſe miratur. Quis Te Deorum in terris mortalium feliciſſimum negaret? Fortunatus es foris; fortunatus es domi; fortunatus Regina; fortunatus es Regno ad immortalitatem nominis et gloriae Tuae ſtabilito. Quid ſupereſt, Regnator Excelſe, quam vt ſublimia quibus ſuperbis ornamenta Tibi propria, Tibi perpetua et ad omnium

ſeculo-

ſeculorum poſteritatem a coelo conſecrata ſeruentur. Accedite ergo in ſolenne laetitiae et votorum conſortium cuncti per varias terrae plagas Regno liliato ſociati. Veſtra omnium cauſa cum Franciae fatis coniuncta; nobis iubilantibus et Veſtra rumpantur ſilentia; vigente LVDOVICO, veſtra viget ſalus, vigebit tranquillitas; NON GALLIAE, SED ORBIS EST PARENS LVDOVICVS. Quod ipſum excellens dicendi argumentum inter feſtiuos populorum applauſus admiranda Maximi Regis gloria nobis praeſcribit; Veſtra dignum attentione, Auditores; modo rerum magnitudini et digna Oratoris reſponderet facundia.

Populare olim Parentis Patriae nomen inter praecipua Principum ſuorum decora Dea illa gentium Roma reputauit. Reputauit et ſuperioribus Seculis Francia, quando Ludouico, Regum iſtius nominis Duodecimo, memorabile illud benigniſſimi regiminis teſtimonium ſolennibus eiusdem elogiis adiicere decreuit. Borbonides, qui hodie regnat, LVDOVICVS neſcio quid auguſtius ſibi gentibusque praeparare videtur. Scilicet cum poſtremis his ſeculis vaſtiſſimi imperii potentia ſingulari rapiditate ad ſummum faſtigium conſcendere viſa ſit, quid mirum, ſi et poſtremi eiusdem Monarchae longe maiori prae veteribus fama et maieſtate reſplendent. Itaque non terrae ſolum et vicinae regiones, ſed maria quoque et orbis remoti Oriens atque Occidens iam pridem magnanimi LVDOVICI benignitatem experti ſunt.

Enimuero ſi ab indomito pelago recentiſſima huius rei documenta deſumere libeat; ecquis veſtrum eſt, Auditores, qui ab aliquot annis Barbarorum in Mediterraneo graſſantium non ſit deteſtatus furorem. Infeſtum praedonibus mare, et Gallica ora, opprimendis ſemper aſylum, iam nihil pacati, nihil amplius ſecuri habere videbatur. Italus, Belga, Hiſpanus Luſitanusque in ea ſine diſcrimine capti, et Salica terra, quae ſeruis vel tacta libertatem impertit, fugientibus ad ſe exteris a rabie Barbarorum in litoribus ſuis iugum ſeruitutis imponi indignabunda conſpexit. Quid ad haec in ſolio ſublimi tranquillitatis Europae LVDOVICVS aſſertor? Placido ille fluctuum dominatori Neptuno comparandus imperio potenti truculentos Tunetanorum repreſſit conatus, et minaci illos auctoritate eo redegit, vt ſolenni nuper legatione ſua deprecati peccata, clementiam Maximi Monarchae non vindictam experiri rebus ſuis opportunius arbitrati ſint. At impotens Tripolis, Regis indignabundi iam territa armis, et igniuomis nuper tormentis vaſtata, dum ſua in rabiem conſilia vertit, nonne veterem Gigantum armis ſuis Iouem petentium fabulam renouare videtur? Cadet Titania proles Francici Iouis vibranda fulminibus, et niſi reſipiſcat furibundos ſuos auſus tremendo tandem expiabit exitio. Reſpiciat ex arce coeleſti magnus ille Borbonidum ſator Diuus LVDOVICVS; cernat feroces Tunetanos ad auguſtum nepotis ſui ſolium proſtratos; quam miraturus eſt, ſolo illos Regis adoleſcentis terrore minisque ſubactos, quibus oppugnandis tantum Francici ſanguinis,

nis,

nis, imo quod maius eſt, ſanctam ipſe animam effuderat. Quam triſtis in mediterraneo ſine LVDOVICI vigilantia ſtatus et conditio foret. Loquimini ſpumantia Italiae litora, piratarum rapinis tam late patentia; vobis nonnniſi triumphalia Franciae lilia, quae veſtris nauigiis vt acroſtolia imponitis, commerciorum ſecuritatem praeſtare magna cum veſtra felicitate et Gallici nominis gloria agnoſcere debetis. Sed iam a pelago ad continentem, ab auſtro ad occiduas et boreales orbis habitabilis partes oculos mentesque conuertite, Auditores; illinc noua et ſtupenda rerum dicendarum exoritur ſeries. Anglia nimirum atque Hiſpania lamentabilem ſibi et foederatis ab aliquo tempore praeparabant tragoediam; funeſto plane populis portento; qui ſeculi praeſentis initio feruens illud bellorum incendium, per regna tam diu graſſatum, ex Heſperia quoque exortum viderunt. Ruituras iam cerneres in mutuam perniciem bellicoſas Britonum et Iberorum legiones. Minitabatur imperiis infandas ſtrages effrenus militantium furor, et ad immane nefas paſſim mortales vrgebat. Exaudiebantur iam in finibus Hiſpaniae fulminantia Martis ſaeuientis tonitrua; tremebant arces, quaſſabantur prouinciae, horrida paſſim agris vrbibusque iam imminebat barbaries. Iam atrox ſanguinis illuuies violento impetu terras inundatura credebatur. Iam centiceps illud monſtrum formidabili ſua mole et furentibus flammis trepidanti Europae metus et terrores incutiebat. O miſerandam lamentantium populorum per regna conditionem! O infelices terrigenas! quos Tartarea Bellona ſangui-

 neo

neo rurſus flagello exagitatura videbatur. Sed reſpiramus iterum, Auditores, et vigor primaeuus in noſtra praecordia redit. Regnat pacificus in Gallia LVDOVICVS; regnat in Francico orbe moderator excelſus, qui feruidos illos motus diuino ſuo nutu ſedauit; qui ne in priſtinum terra rediret chaos ſua maieſtate perfecit. Diſſipata ſunt fulmina mortalibus vndiquaque imminentia; ſaeua iam ingruens diſſipata tempeſtas; mitior gentibus rediit facies; ardor pugnandi in amica conuerſus eſt colloquia; qui hoſtiles modo gladios immani furore rotabant, placida nunc pacis conſilia fouent. Miraculum hoc LVDOVICI opus eſt, Auditores. Illo auctore, Illo promotore tam rara cernimus prodigia; quibus ipſe praepotens vindex iam dies noctesque inuigilat; ſtipatus Purpurato ſuo, cuius ore venerando iuſtitia et veritas oracula dictat. Quantus Is eſſe debet, quem tanti facit LVDOVICVS! Ita omnium populorum ſuffragiis Magnanimi Pacificatoris elogium reportat Rex Maximus. Praeſtitit quod omnibus victoriis maius eſt, vt vinci non queamus. Tam vaſti apparatus, tam vaſta conamina id vnum efficiunt, vt aeternum ad omnem ſeculorum memoriam Ludouicianae in orbem benignitatis extaret documentum. Enimuero ſi pacis et concordiae ſtudium Regis animo tam alte non eſſet infixum; ſi immoderata imperii et potentiae ſuae limites amplificandi arderet cupiditate, quam opportuna ipſi ad opimos triumphos et ambitioſa trophaea aperiretur occaſio. Conſternit ſuis claſſibus oceanum bellicoſa Britannia; venit in conſortium

opu-

opulenta Batauia; iungit opes viresque martius boreas, Suecia, Dania atque Boruſſia, imo ipſa quoque ex parte Germania. Tot ſociis atque foederibus aucta triumphalis et toti nuper Europae par Francia quos ſibi non ſponderet rerum gerendarum ſucceſſus. Et ſibi tamen et foederatis frena LVDOVICVS imponit; LVDOVICVS in Heroica iuuenta; LVDOVICVS in ſummo fortunae et felicitatis faſtigio conſtitutus. O excelſa anima! O Magno Macedone maior Francigena! Praedator ille gentium pacatarum, Tu bellantium Pacificator appellaris. Imbelles ille Orientis nationes deuicit; Tu ipſum Te vincis Heroem, cum nihil maius in terris quod vincas inuenias, et victoriam omnibus laureis atque coronis maiorem a Te ipſo reportas. Vince porro et triumpha de cordibus ciuium, de animis foederatorum Tuorum, et incomparabilem mentis Tuae lenitatem, quae Te mortalium genti tam amabilem reddit, omnibus Europae Proceribus porro inſpira. Diſcant illi Tuo exemplo, nunquam certius ſe triumphaturos, quam ſi poſt victorias bella non gerent; ſi amorem et gaudia, non mortes et calamitates in terris profundent; ſi fide et amicitia, non bellicis machinis ſe inuicem tuebuntur; ſi iucundos ſubditorum applauſus, non ſaeua tormentorum tonitrua excitabunt. Floreat Sueſſionum Auguſta perpetuum concordiae inter eos per Te reducendae monumentum; Sueſſiones, quos Tu ſublimis arbiter celebrando gentium Chriſtianarum concilio nuper deſtinaſti; magno Tui Ataui excitatus exemplo; qui legendum ex praecipuis Europae

nationibus ſenatum animo agitauerat, vt ferrea Iani limina clauderet, vt conſilia regnantium firmiſſima pace ligaret. Quam copioſa rerum illuſtrium materia exercendis ingeniis regnante LVDOVICO ſuccreſcit, Auditores. Caſtalides Muſae, otii et ſecuritatis amantes, ex immenſa illa Maximi Protectoris ſui felicitate et nouum ſeculi auguſtei ſplendorem expectare videntur. Et quidni maxima quaeuis a LVDOVICO expectent, qui dum florentiſſima pacis ornamenta certatim diffundit, errori et ignorantiae rudique barbariae ſaeua et immania bella indicit. Quis rerum Europae tam parum curioſus, quem exortum nuper in extremis borealibus oris literarum et artium iubar non mire perſtringat; quod inaudita rapiditate vniuerſi iam Heliconis admirationem excitauit. Exſtruxit ſublimia in frigidiſſimis zonis ſacraria praepotens Iouis alumna; habitant in excelſis palatiis ſacrae Camoenae; miteſcunt ingenia, feruent ſcientiae, molliuntur mores, cultior animis inducitur habitus; vbi ſaeua nuper et glacialis barbaries, ibi mitis et impauida nunc regnat Minerua; vbi ipſae Cimmeriae in terras menteſque dominatae ſunt tenebrae; ibi in glorioſa iam luce niteſcit Apollo. Cuinam immortale hoc beneficium debet Ruſſica Natio, niſi Galliae, niſi potenti Gallorum Monarchae LVDOVICO. Huius exempla imitatus, huius praeſidiis ſuffultus intrepidus ille ex borea Heros, ſuperatis quae vel natura poſuiſſe videbatur obſtaculis, domita natiua gentis ferocia, ipſi quaſi climati coeloque vim attulit, et tanquam nouus ex machina Deus inſperata rerum mu-

tatione

tatione venerandam imperio ſuo et Scythicis terris faciem induxit. Pernotuit iam vbique generoſa LVDOVICI ad perficiendum tam excellens inſtitutum alacritas. Miſſi ex Regia Francorum diuerſi ſcientiarum et artium principes, qui naſcentibus literis decus et glorioſa primordia conciliarent; qui machinas, obſeruatoria et alia Muſis neceſſaria praepararent habitacula, qui nouis de coelo et vaſta Imperii Sarmatici regione obſeruationibus nouam humanis ſcientiis affunderent lucem. Incitatus magnanima tantorum coeptorum aemulatione videtur Mahometicus orbis; cui neſcio quid noui interueniente LVDOVICO prouidentia parat. Vidit et miratus eſt florentem literarum in Gallia ſtatum poſtremus ex Turcia ad Regem legatus. Senſit emolumenta in vniuerſas Reipublicae partes ex artium progreſſu redundantia. Indignatus ergo plus quam Tartareas Ottomanici Imperii tenebras non fabuloſus ſed verus iam Graeciae Cadmus, literas barbaricae genti afferre decreuit; nullum illuſtrius ex legatione ſua donum ſuis ſe allaturum ciuibus, ſuo ſe reportaturum principi confiſus. Reſpondit conatibus tantis ex voto ſucceſſus, Auditores. Feruet opus magno cum animorum ardore et ſtudio. Feruent ſub prelis librorum volumina, inaudito in Turcia exemplo, et in ipſo quidem Imperatoris palatio publicis omnium vſibus praeparanda. Panduntur theſauri, in arcanis huc vſque ſacrariis, vt aureum quondam vellus, immani cura et ſolicitudine ſeruati. Non quieſcit in hoc reſurgentium in Eois regionibus motu literarum Muſageta LVDOVICVS. Suis

iam

iam auſpiciis Conſtantinopolin eruditos dimiſit, qui illuſtria antiquitatis monumenta in illis forſan partibus latentia excutiant; qui reportanda ex recluſis penetralibus ſpolia per vniuerſum Occidentem diffundant. Sic Turcica Phoebe Apollineis ex Gallia nunc radiis reſplendet. Sic Occidens, cui Byzantium olim literas transmiſit, tam memorabile beneficium ſub Franciae praeſidio Orienti rependit. O digni LVDOVICO triumphi! non hoſtium catenis, non gentium excidio, ſed pace ſuperbi. Accedat hoc vnum tam rarae felicitati, vt tot populorum et orbis in hac iuuentute iam parens Delphini quoque Parens celebretur Auguſtus. Veneramur felicia tantae natiuitatis praeludia in admiranda venuſtiſſimae Reginae foecunditate, quae ad immenſam futurorum fiduciam animos ciuium iam pridem erexit. Macta ſis frequentibus Tuis coeli pignoribus Excelſa Herois, Iunone beatior Francica Dea, trium Gratiarum partu anni vnius ſpatio felix; et quae tot Diuarum miraculo fere facta es parens; quae LVDOVICVM tertia iam vice parentem feciſti, nunc priſcas illas Franciae Heroinas, quas Tuis virtutibus ſemper aemularis, Diuorum quoque partu rediuiuas oſtende. Fruere ad perpetuam temporum felicitatem coeleſtibus donis, Magna Galliae Mater, Spes ciuium certiſſima, et inter Regias Principes dulces Tuos luſus et amores partire, donec blandus in cunis Tibi ludat Delphinus. Tu interea greſſu ſublimi ad immortalitatem feſtinas, Magnanime LVDOVICE; Tu fama perenni inter ſidera fulges, Monarcha glorioſus. Quam diuina Tua pompa Regalis,

Regalis, cum Tu adoranda virtutum decoratus corona coeleſte in terris ſpectaculum mortalibus praebes. Quae noua in fronte Tua et in oculis maieſtas apparet? Aſpicis vt ad Tuum ſolium populi certatim laetabundi feſtinant. Aſpicis vt illa Regum dominatrix Tibi ſeruit fortuna; coelum arridet; applaudit fama; vt omnium ciuium et exterorum Tibi corda ſacrantur. Tractat Tua dextera fulmineum enſem, ſed in ſcelerum perniciem et oppreſſorum ſolatium. Reſplendet Tecum in Regali ſolio ſacroſancta iuſtitia; quae Tuis ſub auſpiciis mox vbique regnabit; quae Tuo ſub praeſidio aurea mox ſecula condet. Nectunt Tibi Gratiae oleaginam ex frondibus Heliconis coronam; miſcet palmas cum liliis formoſus Apollo; cantant paeana Pierides Muſae, et auguſtum, quo in Franciae throno refulges diadema, nonniſi amoenos pacis radios per terras diffundit. Sic ciuibus, ſic exteris, ſic poſteritati admirandus occurres; ſic conſcia prodigiorum Tuorum fama aeternitátis Annalibus inſcribet: NON GALLIAE SED ORBI LVDOVICVS PRAESEDIT.

D I X I.

GENETHLIACVS
QVO
LVDOVICO XV.
DELPHINI NATALES
GRATVLATVS EST
ANNO MDCCXXIX.

Delphini Natales Francia decantat, Auditores ſuis quisque Elogiis Condecoratiſſimi, gratulante Europa; Orbe ob gaudii magnitudinem ſtupente. Quartus iam annus eſt, ex quo tam felix genialis laetitiae argumentum vniuerſis Regni huius vaſtiſſimi populis prouidentia parat. Superata ſunt hodie ardentia ciuium votis certantium deſideria, qui adoranda diuinae Maieſtatis arcana, et illuſtria rerum maximarum complementa deuotiſſimo animorum affectu venerantur. Stat in ſummo felicitatis faſtigio ſecura iam fatorum Gallia et grandiorum ſucceſſuum contemplatione attonita, mox in iubila plauſusque effuſos reſoluta, longiſſimam Regi, perpetuam Regno poſteritatem praeſagit. Natus eſt potentiſſimo orbis imperio Herculeus Heros. Natus eſt terrarum orbi nouus Principum ſplendor; mortalium deliciae; noua futurorum ſeculorum hiſtoria, et quo ſublimius dici nil poteſt, nata eſt auguſtiſſima LVODVICI regnantis imago. Apparet in terris noua aeternitatis progenies; refulget in Aula ſecundum Gallicae Maieſtatis et gloriae ſidus; ridet in cunis Auguſtus

Del-

Delphinus. O ſacrum coeli depoſitum! quo maius a Deo flagitare, maius accipere non potuerat Francica Natio; ad cuius exordia laetatur iuſtitia, deſperat diſcordia, gaudent foederati, vniuerſus denique Chriſtianorum populus gratulabundus exultat. O raram et ſaecularem fere Gallici Regni felicitatem, in quo per quatuordecim luſtra nullius Delphini ſunt celebrati Natales. Quis Tuus ad tanta felicitatis prodigia ſenſus eſt, partus excelſi diuino Parens, Magnanime LVDOVICE. Hoc ſolum ad rerum Tuarum magnitudinem deeſſe videbatur, Monarcha ſublimis, vt, qui Maieſtatis Tuae fulgorem tam longe lateque per gentes et regna diffundis; qui rerum Europae arbiter, Galliae Tuae nomen ad ſummum gloriae et potentiae faſtigium perducis; qui pridem ciuium Tuorum almus et benigniſſimus Parens vocaris, idem nunc quoque Auguſti Delphini Parens dicereris. Auctus es hoc dono coeleſti, Magne Borbonida, vt ſui in Te amoris nouum et immortale documentum diuina Tibi praeberet benignitas; vt ex omni parte iam felix omnem ceterorum Principum et vel Maiorum Tuorum maximam fortunam immenſum ſuperares; quorum nullus in hac iam aetate tam numeroſam ſobolem regnis oſtendit; nullus tam iuuenilibus annis ad tantam ſpem ciuium ſuorum animos erexit. Quae Tua vero inter feſtiuos populorum applauſus feſtiua ſunt gaudia, Turrita Alſatiae Mater, deuotiſſima Regi tuo Argentoratenſium Ciuitas. Tu, quae nuptias Regales, tot Numinum praeſentia conſpicuas, in templis atque palatiis tuis tanta cum pompa cele-

celebratus vidiſti; Tu, quae omnium ciuitatium prima ad Auguſtiſſimae Reginae ſolium pro naſcituro Delphino tam ſolennia vota, tam pias preces fudiſti; Tu poſt tam illuſtria votorum complementa felix et laetabunda triumphas. Erexiſti inter nubila ſublime et radiatum caput, vt noui in Gallia ſideris exortum diffuſo per terras ſidereo ſplendore gentibus nuntiares. Dedicaſti nouo Franciae Delphino alacres ciuium tripudiantium applauſus. Illi repetitis tormentorum fragoribus tellus reboauit; illi coelum ingenioſis flammarum iocis detonuit; illi ſoles rutilantes per aëra ſuſpenſi; illi per omnia vrbis compita rogi praeluxerunt; illi vniuerſos Ordines, Collegia, Corpora, Societates ad templa et Superorum aras effundi conſpeximus. Imo Tuis iam excita ſedibus ad ſacras illas Delphini cunas tua vota renovares, niſi flagranti pietati tuae immenſa locorum longinquitas frenum imponeret. Certas Tu ingenioſis laetitiae teſtimoniis cum ſuperbiſſimis Galliae Ciuitatibus, vt quae omnium poſtrema Regno Liliato acceſſiſti; quae ex omni illo tempore primum hunc Franciae ſalutas Delphinum, obſequio et votis omnium prima Regi Tuo viderere. Et ego rerum tantarum tantaeque felicitatis ſum conſtitutus interpres? Tu cunctarum mentis facultatum Largitor aeterne, nunc diuinae cuiusdam eloquentiae vbertatem Oratori affunde, vt inter ſolennia gratulantium auguria et votiuas populorum acclamationes ADMIRANDA NATIVITATIS DELPHINI conueniente verborum gravitate exponam.

Prin-

Principum recens natorum ſortem et fata futura curioſius indagare antiquiſſimi gentium moris fuiſſe priſcorum annalium memoria docet. Nonnulli ex fallaci Apollinis fatidici tripode; alii ex recondita veterum Hetruriae ſacerdotum haruſpicina; alii ex imaginariis planetarum dominiis certam de rerum ſecuturarum conditione coniecturam haurire ſe poſſe crediderunt. Nobis nec haruſpice vllo, nec Pythia, nec vanis Chaldaeorum praedictionibus ad auguranda Delphini prodigia opus eſt, Auditores. Vel ſolus ille Heroicus vigor, quo Borbonius, quo Capetingicus tam longa ſerie animatus eſt ſanguis; vel ſola illa Ludouicorum veneranda maieſtas, quae arcana quadam ratione magnis ſe animabus infundit, laetiſſimum Auguſto Principi horoſcopum ſiſtunt. Natus ille eſt Herculeo Parenti in florentiſſimo iuventutis vigore, quatuor annorum luſtra nondum complenti; raro et in vniuerſa Galliae Regum Hiſtoria vix audito exemplo. Naſcuntur heredes Regibus ea demum aetate, qua Tibi, LVDOVICE, Tuus iam adoleſcet Delphinus. Verſantur illi inter crepundia tenelli puſiones, dum igneus iam Tuus inter Maiorum trophaea ephebus efflorefcet. Anxiam illi de filio naſcituro fiduciam alunt, quando Tibi iam natus educabitur Nepos. Feſtinaſti tam excellens beneficium, Rex Maxime, vt Galliae Tuae Principes non dares modo, ſed et ipſe Tibi Regnoque in florida iuuenta formares; vt Tu aliquando grandaeuus in Delphino reuiuiſceres, atque in eo vitam Tuam, miraculis plenam, ad ſeculorum ſequentium tempora prorogares; quae vera demum ac

Te vnice digna eſt immortalitas. Trepidauit olim Gallia, Auditores, ad minorem Principum ſuorum regnantium aetatem; trepidauit cum, deficientibus Regis morientis poſteris, ad proximos ſanguine translata ſunt ſceptra. Quoties vtrumque fuit Regno luctuoſum; quoties vtrumque fuit Regno fatale! Praeuertit hos Galliae timores amantiſſimus ciuium ſuorum LVDOVICVS. Fruitur magnanimus Rex Iuuenis ea, quae Caeſari et Auguſto ſenibus defuit, domus felicitate. Ruentis illi familiae caſum ingenioſo at plerumque noxio ſupplemento fulcire, et quos liberos natura negauit, ſolertia parare coacti ſunt. LVDOVICVS ex ſuo iam thalamo heredem oſtentat, et populorum ſecuritati firmiſſima ponit praeſidia. Creſcit in numeroſam ſobolem auguſta proſapia; creſcunt fulcimina Barboniae ſtirpis; aeternitati gentis diuinae proſpexit LVDOVICVS. O ſalutare populis nomen! o cara gentibus progenies! non ſecula, ſed annorum miriadas Borbonia Domus explebit. Illa, quae Regias omnes ac Principales Europae familias ortus antiquitate tam longe praecellit; quae copia Heroum cum omnibus certat; cuius gloriae et potentiae orbis aſſurgit; illa ſuos ad ſeram temporum longinquitatem propagabit nepotes. Dabit Heroidas reliquis regnis; firmabit connubiis gentium foedera; vniuerſi concordiam amicitiae vinculis et ſacro ſuo ſanguine aeternum ligabit. Enimuero ſi ad praeterita vaſtiſſimae Monarchiae tempora reſpicimus Auditores, nullus vnquam Galliae Delphinus ad tantum magnitudinis et potentiae ſplendorem prognatus fuiſſe videtur. Circumſpicite Ludoui-

douicianum per aequora et terras, per remotiſſimas regiones imperium. Cernite triumphalia Franciae in praecipuis terrae habitabilis partibus inſignia; quam iucunda vobis erit ſuperiorum Principum, cum Delphini praeſentis felicitate, comparatio. Scilicet, vt per aliquot ſecula, circa matrem ſuam olim luctata eſt Dea illa gentium Roma; ita nec transmarina imperia ſibi quaeſiuerat Gallia; niſi religionis propagandae zelo ad viſendas barbararum gentium oras ſubinde permota. Seculum eſt, ex quo Francica vela altius aſſurgere, obſidere maria, et veterum Oceani dominorum aemulationem excitare coeperunt. Sed nonniſi poſt Magni illius Delphini exortum, Mediterraneum cum Oceano, Orientem cum Occidente coniungere et veluti aequoreum Neptuno ſceptrum excutere coepit Magnus ille maris dominator Ludouicus. Miratus eſt orbis liliatum tridentem; miratus Oceanus nouum Neptunum. Haec Te aliquando expectat potentia, Auguſte Delphine. Ad Tua incunabula ex maris profundo caput extollit longaeuus ille Nereus, cum caeruleo Nereidum, Nympharum Delphinorumque Tuorum exercitu. Tibi Principi nouo iam accinunt Tritones, et naualibus Tuis olim triumphis praeludunt. Tu parta potenter tueberis; Tu partis noua ſpolia adiicies; Tu nouum aliquod ſidus dominaberis mari, et adultam Galliae naualem gloriam ad ſummum faſtigium perduces. Trement ad nutum Tuum Africanae et Aſiaticae puppes. Trement monſtra illa marina, quae Chriſtianis Oceanum reddunt infeſtum; et cum ad Tua primordia ferox

illa

illa Barbaria iam arma deponat; cum ſupplex ſolium adoret Francicum; quae et quanta Tu olim Neptuni glorioſus imperio praeſtabis. Sed iam ad terreſtre nos conuertamus imperium, Auditores. Heic ſe rurſus immenſa futurae magnitudinis Delphini maniſeſtant auguria. Heic ſi ſuperiora cum praeſentibus componas, Galliam profecto in ipſa requires Gallia. Quis vnquam Franciae Delphinus, vel inter feruentiſſima bellorum incendia natus, vltra ducenta armatorum millia in armis et ad pugnas parata inuenit? Hic tantos apparatus inuenit in pace: pace, inquam, non ex recenti proeliorum conflictu ſurgente; non ex recentibus adhuc plagis ſanguinolenta; ſed quae multorum iam annorum tranquillitate erat firmata. Quis vnquam Franciae Delphinus Regnum in finibus tam bene munitum; tot ſociis atque foederibus ſtipatum; tot prouinciis locupletatum naſcens conſpexit? Non Rhenus Franciam a Germania ſeparauit: Bélgium et Comitatus Burgundiae Hiſpano ſeruiuit; Alſatia Germano, cum Magnus Ludouico Magno naſceretur Delphinus. Quanta iam in illis partibus, ſub noſtri Delphini primordiis, rerum apparet mutatio! Illae tum exterae, imo fere hoſtiles prouinciae, nunc omnium Galliae prouinciarum zelo et ardore praecipuae ad noui Principis incunabula feſtinant; illae rerum fere ſuarum oblitae, vniuerſa inſpectante Gallia demonſtrant, neminem ambitioſius tanta celebrare natalia, quam ad quos minus olim illa pertinebat gratulatio. O tanto Te imperio aliquando felicem, Delphine! O Te tanto iam alumno beatum, LVDOVICE! O Te praeſertim,

ſertim, mortalium natio, tanta natiuitate feliciſſimum! Intelligitis, quo haec tendat oratio, Auditores. Anxius de rerum ſuarum deſtinatione nuper fuit vniuerſus qua patet Europeus orbis. Ad arma denuo ruere videbantur bellico furore feruentes et immani quadam ferocia agitatae nationes; claſſicum iamiam praecinente Bellona. Anglica et Batauiae claſſis iam nil niſi ſtrages, incendia, vrbiumque ruinas minitabatur Hiſpaniae; oblatas pacis conditiones hactenus recuſanti: populis vbique trepidantibus, et fatorum imminentium terrore perculſis. Deſperatis heic rebus rurſus ſuccurrit magnus ille populorum Principumque pacator Ludouicus; ſine cuius auctoritate placidisque conſiliis pridem ſanguinis diluuium Europam inundaſſet. Cedit tandem arbitro tanto Hiſpania: ſpirat conſilia pacis, quae ab aliquo fere tempore detrectare credebatur. In hac tam memorabili rerum conuerſione coeleſte palladium in orbem deſcendit; apparet in terris ſiderea proles, Delphinus Auguſtus. Tam felici rerum Europaearum aſpectu illuſtria eius ſignantur primordia. Incomparabilis tanti partus et futuri Franciae Regis horoſcopus; quem ſuo ad mortales reditu Aſtraea, terras huc vsque dedignata, notauit; quem admirabundi reſpiciunt tot Regum Principumque praeſentes in Gallia legati; qui diuino nunc confirmati augurio, certam pacis fiduciam ab ipſo coelo ſe accepiſſe laetantur; et cum ipſo tantae natiuitatis nuntio virentes ſimul oliuas pacis, noua naſcentis Delphini munera, ad Principum ſuorum aulas transmittunt. Nunc demum florebit aeternum

Auguſta Sueſſionum; nunc demum comparabitur ſtupendo illi Romanae Veſpaſianorum magnificentiae aedificio, aureo illi Pacis Aeternae templo; in quo Ludouicus cum filio, Delphinus cum Patre, magnus vterque, vterque glorioſus, gentibus illud adituris iura dictabunt. Si ipſa pax olim mortalibus non ſatis fuit pacata; ſi praecipua olim Galliae fuit cura, vt ſuis modo finibus Martem expelleret, Ludouicus nunc Martem pellit ex orbe: ipſi ſcilicet potentiſſimo Septentrionis Monarchae ſublimi ſuo praelucens exemplo; qui Perſicis nuper turbis ad magna excitatus conamina, ſubactis iam mauult tranquillus gaudere prouinciis, quam nouas quaerendo flammis et ferro Orientem vaſtare, aut Turcarum in Chriſtianos prouocare furorem: memorabili iterum Ruſſicae et Ottomannicae Hiſtoriae periodo; quae naſcenti quoque Delphino nouum et memorabile omen affundit. Neque vero heic Tua leuis eſt gloria et felicitas, veneranda Heliconia cohors; ſacrae et geniales Camoenae; florentiſſima Virorum Literatorum corona. Vobis profecto felicia Sereniſſimi Delphini exordia nouum Aetatis Auguſteae ſplendorem nuntiare videntur. Quae vnquam temporum iniuria ex mentibus veſtris delebit Apollinaris illius ſeculi memoriam, quo Magni olim Delphini ad quaeuis ſublimia ardor, ſub Maximi Parentis praeſidio, nouum ſcientiis et artibus, ac toti praeſertim antiquitati conciliauit fulgorem. Numquid nos minora ſtudiorum aemulantium certamina videbimus, Auditores; cum ſua aliquando indolis excelſae prodigia pandet Delphinus; cum illuſtris ille

Ille Ephebus in amoeno muſarum choro, velut nouus Apollo, ſceptra Parnaſſi tenebit. Quae noua tum gloriae ſeges magnis ſuccreſcet ingeniis; quae tum ipſis deſcribenda tradentur publicae felicitatis praeconia; cum vel audaciſſima Oratorum et Poetarum praeſagia factis aequabit diuinus Adoleſcens; cum illuſtria veterum Heroum facinora ſuis facinoribus ſuperabit Delphinus. O dignum tantis Maioribus Nepotem! Renouatas per ipſum diceremus Nonas illas Ludouici Magni Septembres, quibus tantus Monarcha fuit orbi donatus, niſi vnico die noſter ipſum praecurriſſet Delphinus: memorabili iterum futurae magnitudinis documento: Erit Ludouico Magno vicinus, ſed illum praeuertet. Fortunata Regina! quae tantum mortalibus producis miraculum. Quibus Te ergo extollemus praeconiis, Regis Inuicti Auguſtiſſima Coniux; Excelſa Puerpera, Excelſa Herois; quae ex diuino cum Francico Ioue conſortio tantam felicitatem in gentes populosque deriuas. Quodſi heic immenſum illum cordis Tui exultantis affectum; ſi tenerum, quo recens Tibi natus a Te reſpicitur Delphinus, exprimere mihi daretur amorem, mortalis ego diuina verbis viderer aequaſſe. Patieris tamen, Magnanima Regina, vt cum ad Tuum genialem torum orbis vterque certatim feſtinet, ad illum quoque Tua praeſertim ſupplex et gratulabunda ſe proſternat Alſatia: illa Tibi olim tam cara, tam iucunda prouincia; quae numinis Tui praeſentia longo tempore felix fuit atqueglorioſa. Quis Te maiorem Anna Auſtriaca; quis feliciorem Maria Thereſia negaret?

 Si

Si illa nonniſi poſt quatuor luſtrorum ſterilitatem Galliae dedit Delphinum; ſi haec toto Regalis connubii tempore aliquot modo Principes regno produxit; quanta Tibi debentur elogia, quae quatuor annorum ſpatio Delphinum et tres Diuas Galliae Tuae dediſti. Quam immenſo nunc foenore penſaſti dilata hactenus populorum Delphinum exoptantium gaudia; qui arcanorum diuinae prouidentiae ignari quantus Princeps a coelo pararetur neſciebant. Tu, quae Tibi filium Heroem, Ciuibus Auguſtum Parentem, Galliae triumphalem olim Regem peperiſti, Ludouico iam Tuo peperiſti immortalitatem. Fruere aeternum coeleſti Tuo dono; fruere tam pretioſo pignore, Magna Puerpera, Francica Dea. Ita repetitis in poſterum foecunditatis tam rarae documentis, celebrabere gentium annalibus, non Genetrix Galliae, ſed Genetrix orbis. Cernis ex ardua Tua arce hanc Maximae Reginae maieſtatem, Stanislae Auguſte; cui tantam Principem grata debet Gallia. Quam cara coelo eſt Tua ſalus, quam cara gloria, Monarcha Excelſe, quod filio orbatus Principe, in tanto iam Auum Te vides Nepote; in Delphino olim adoraberis rediuiuus. Sic Tuus ille iunctus Borbonio Heroicus ſanguis potentiſſimo gentium dominabitur imperio: ſic Tua virtus immortalis in Gallia, immortalis vbique, in Chriſtianiſſimo Francorum ſolio ſublimis reſidebit. Ad Tuas ergo iam cunas orbis vniuerſus venerabundus ſe inclinat, Regalibus faſciis inuolute Puer; Sacroſancte Delphine. Salue adoranda Ludouici progenies, populorum expectatio, diuina Inuicti Mo-

narchae

narchae progago. Salue nouum Gentis Chriſtianae praeſidium; terror Barbariae; ſociorum defenſor; libertatis palladium; olim etiam future admiratio mundi. Tu ille es oſtro purpureo decorus Infans, pro cuius exortu tot cuncti vota ſuperis nuncupauimus; pro cuius ſalute toties coelum precibus fatigare conſueuimus. Reſpice vt in Tuis Natalibus ad noua ſpectacula eriguntur mortales. Criſtas deponit ferox Bellona; illa furibunda proeliorum Dea, quae indomita nuper et ex immenſo armorum aceruo minans, ad Tuas deinceps cunas vincta iacebit et alligata. Extollit caput ſuum placida et ſerena Concordia, ac amoeniore iam vultu Europaeas circumſpicit gentes; Tua natiuitate felix; Tuo ſub ortu iam ſceptra capeſſens; Tuis ſub auſpiciis per orbem regnatura. Quodſi nil niſi praeclarum e coelo deſcendit; ſi nihil Borboniae Genti contingit vulgare; ſi trium Gratiarum partus Tuae natiuitatis fuit praenuntius; ſi vita Ludouici eſt virtutum exemplar; Deum immortalem! quam auguſto Tu aliquando fulgebis habitu; quam diuina olim ſpecie renitebis; cum Tu Excelſus Adoleſcens in publicam Galliae et orbis terrarum lucem prodibis; vniuerſa comitatus virtutum corona. Quae Te tum excipient populorum admirantium iubila! Erumpent per ora et vultus exaggeratae mentis Tuae ignes: manifeſtabit ſe regalis ille ſanguis, quo teneri Tui artus in prima iam aetate animantur: reſidebit in Te omnis illa Principum Borboniorum maieſtas. Et ſi qui vnquam ad arma Te prouocaturi ſunt hoſtes, Tu armipotens et Martius Heros aurea

Tua vbique circumferes Lilia; praecedente victoria, ſequente triumpho. Vige, creſce et roborare annis in auguſtali Tua purpura, Divorum ſanguine prognate Borbonida, et Magnum Parentem, Auum vtrumque virtutibus aequa; Abauum trophaeis, gloria et magnanimitate tranſcende. Sic tantum nobis beneficium diuina prouidentia tuebitur; ſic per Te Francicum nomen ſempiternum florebit; ſic orbis imperio praeludes Delphine.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXI.

Quinquennalia ſuperiore anno celebrauit Gallia; Auditores ſuis quisque elogiis condecoratiſſimi, Ludouico vigente, Ludouico triumphante. Nouum Principi glorioſe regnanti gratulata eſt luſtrum, ac inter proſperos rerum maximarum ſucceſſus perpetuam Regi, immortalem regno praeſagiuit felicitatem. Annua hodie Sacra renouamus, Auditores. Propitium votis ardentibus fuit numen aeternum. Stat firma et inconcuſſa floret potentiſſimi Regis veneranda maieſtas. Creſcit Regius in purpura puſio, Delphinus Auguſtus. Superbit nouo coeli munere Regia Ludouici Domus, et alterum iam diuinae prouidentiae pignus, Sereniſſimum Andegauenſium Ducem, Franciae vel orbi gratulanti oſtentat. Sedet in excelſa Galliarum arce pacis bellique per Europam moderator, Monarcha glorioſus, et prouida ac imperterrita mente publicam populorum ſecuritatem ſolus in terris gubernat. Vel elinguis Orator in hac rerum copia et vbertate redderetur diſertus. Quid mirum ſi et ego in hanc ſplendidam Virorum illuſtrium concionem noua ſpe et fiducia confirmatus procedo. Viget eadem in mentibus veſtris alacritas, Lectiſſimi Proceres, generoſa

roſa ciuium Galliae devotorum pectora; inſcriptae ſunt gaudio ſerenae omnium frontes; defixi in Ludouiciana prodigia animi; cuncta ex omni parte ad gaudia et ad laetitiam comparata videntur. Sublevabo itaque veſtram pietatem, Auditores; veniam in partes ſolennium, quae pro tanti rectoris perennitate porro nuncupaturi eſtis, votorum; et cum otia Ille gentis humanae tanto cum ſucceſſu indies promoueat, cum orbis tranquillitatem ipſe hactenus conſtru rit otioſus, ego inter ciuium acclamantium ſtudia, et feſtiuos populorum gratulantium applauſus OTIA LVDOVICI breui ſum laudaturus oratione. Quae ſi non ea qua decet verborum maieſtate expo nam, iam hoc inter rariora Auguſtiſſimi Regis ornamenta reputabitis, quod vel in otio tantus eſt, vt Oratorum artificia longe tranſcendat.

Anceps dicendi argumentum videbitur, Auditores omnium Ordinum ſplendidiſſimi, quod illius ego Principis otium, cuius vivida et alacris indoles orbi notiſſima, in tam illuſtri Virorum praeſtantium corona praedicandum ſuſcepi. Verum ego heic vobis non marcidum luxu et inertia otium, non mollem deſidiam aut ignauam quietem ante oculos ſum poſiturus; non poſtremos illos ſtirpis Merouingicae vel Carolingorum in Francia Reges; ſed otium virtutibus plenum; otium heroicum; otium Galliae Monarcha digniſſimum. Neque tamen ab altera parte ex me percipietis cruentas iam hoſtium ſtrages, ſtupendos proeliorum euentus, vrbes atque prouincias euerſas,

regna

regna vaſtata. Non has ſibi gloriae palmas Ludouicus elegit; longe maiora, longe ſolidiora praeconia meritus. Vidimus quidem anno ſuperiore, in diuerſis vaſtiſſimi huius regni prouinciis, caſtra omnium rerum bellicarum apparatu referta; caſtra ad Ararim; phalanges ad Sabim; tentoria ad Moſam; ſed omnem hanc bellicam molem ſuſpexit Europa, vt Gallicae potentiae memor tanto magis immenſam Maximi Regis lenitatem admiraretur. Viuit profecto hodieque in Gallorum animis et in Auguſtiſſimo eorundem Monarcha igneus ille atque heroicus vigor; ſed compeſcit hic Martios ſuos ſpiritus, et amabile pacis otium funeſtis bellorum tumultibus praeponit; Galliae nimirum ſuae felicitatem ex totius Europae tranquillitate metitus. Fuit haud ita pridem ampliſſima tantae rei teſtis Hiſpania. Illa ex Britannia Belgioque hoſtilibus armis iam iam petenda videbatur. Saeua Martis furibundi incendia ex borealibus oris in extremum Occidentem migrare, et fatali quadam aſtrorum potentia Heſperiis terris vltima minitari viſa ſunt. Sed inuentus tum fuit in Gallia Sapiens, qui dominaretur aſtris. Euaginati iam gladii hoſtiles retuſi ſunt; repreſſus ad arma, ad arma clamitantium furor; ſalua imo intacta manſit Hiſpania, et ex hoſte ſubito foederata euaſit. Qua tandem ratione tam memorabilis ſucceſſit cataſtrophe? Auditores. Num ſigna conferendo; num obſidendo arces; num clypeatas perrumpendo acies; num per mille ſtrages pacem conciliauit Ludouicus? Minime vero: ſed mediis in turbis, ipſe ſine bello id praeſtitit He-

ros togatus. Mitigauit ruituros in proelia et in mutuam perniciem militantium animos; medium ſe furialibus interpoſuit flammis; imo, vt Virgilianus ille Neptunus, rebus vndiquaque agitatis placidam reuocauit quietem. Similem hodie rerum, at in alia terrae plaga, faciem reſurrexiſſe diceretis, Auditores. Atrox illa tempeſtas, quae ex ſeptentrione in Hiſpaniam ſaeuitura credebatur, ad alteram ſubito proceſſit Heſperiam; vt tonitrua atque fulmina ſua non in Atlanticum, ſed in Hetruſcum mare et vicinas regiones vibraret. Fertilis et pacata Italia, quae tragoediam in remotis a ſe partibus excitatam ſecura ſpectabat, inopinata rerum conuerſione, tantorum ſe caſuum deſtinari theatrum attonita intellexit. Reditura iam crederes immania illa ruentis Occidentalis Imperii tempora, quibus excitus ſedibus ſuis boreas confertis agminibus petierat Italiam; eo perieuloſiore iam iſtius regionis fato, quod non cum barbaris, ſed cum cultis et artium militarium peritiſſimis nationibus fuiſſet certandum; quod tot bellicoſae gentes in campis atque litoribus eius virtutis atque fortitudinis ſuae documenta fuerant editurae. Itaque iam terror et pallor in ciuium et matronarum tuarum vultibus regnaret, tellus Auſonia: iam improba bellorum peſtis amoenas tuas regiones vaſtaſſet; iam Padus et Arnus et Atheſis fortium Heroum cadauera voluerent; iam ſanguine ruberent ſpatioſi aequoris tui litora, ſi tam facilis ad victoriam, quam promptus ad pacem foret Ludouicus. Scilicet non de paucorum Procerum hoſtili iam agitur exercitu. Potentiſſimi terra marique

Prin-

Principes ſuas in Te bellicas opes conuerſuri ſunt; omnis Martiae Deae furor, tot annorum pace adauctus, in Te iamiam effundendus eſt. Sed reſpice Deum tutelarem; intuere Protectorem tuum, tremebunda Italia. Palladium tibi non ex remota iam adducitur Phrygia; reperiſti tuum in Gallia numen; Francicus Iupiter Stator eſt tuus. Hic claſſium in Te armatarum vela ſuſpendit; hic atram belli nubem, tot ſaeuis fulminibus grauidam, hactenus diſcuſſit. Tempus erat quo alpium tuarum iuga, hoſtilibus Gallorum armis concuſſa, tremuerunt; quo Roma Tua cum Gallis non de gloria vel imperio, ſed de ciuium ſalute certauit; quo incenſa Deorum palatia, ipſumque Capitolium, arx illa Romanorum inuicta, immenſo pretio redimendum cernebatur. Quanta in vrbibus tuis trepidatio! cum ſuperioribus ſeculis Caroli Octaui et triumphalia Ludouicorum vexilla campos tuos peruolitarent. Vnde tibi olim pericula et clades, hinc tibi iam ſpes atque ſecuritas; noſtri Ludouici ſanctimonia nil niſi tranquillum, nil niſi pacatum tibi promittit. Sic illa gentium domitrix Italia, quae ſub Caeſare ſuo bella ex bellis olim Galliae ſeuit, nunc ſuam ab hac ipſa expectat ſalutem! Quodſi quis veſtrum exiſtimauerit, Auditores, haec a me aut ſplendidius ad pompam, aut ingenioſius ad adulationem, quam appoſite ad veritatem praedicari, ille praeteritorum et praeſentium temporum fata vel leui quadam comparatione inter ſe componat. Quantos victoriarum ſucceſſus ſperare potuiſſet Ludouicus, cum Anglis, Batauis, Suecis, Danisque aduerſus Hiſpaniam

nuper foederatus; qui puer iam et ſine ſocio ſe longe Hiſpanis ſuperiorem oſtendit. Quantas nunc ſpes alere poſſet Francia, accedente et ipſa ad foedus Hiſpania; ſi Imperatorem vicinum, ſi Belgium Auſtriacum invadere Rex Maximus vellet. Vos heic omnes teſtor, Auditores, numquid Auguſtus Germaniae Caeſar, tot hoſtibus vbique diſtractus, cuius tam diuerſae, tam remotae diſſitaeque per Europam prouinciae, reſiſtere poſſet Ludouico, tot ſociis vndiquaque munito, et omnem virium ſuarum molem in Belgium vicinum effuſuro; in Belgium Franciae tam opportunum; Francicae dominationi ex parte iam ſaepius aſſuetum; Francici Imperii quam maxime patiens; dicam et amans. Quis veſtrum ignorat, Auditores, quid poſtremis Ludouici Magni temporibus in noſtra ſit peractum vicinia. Soli tum Franciae cum ſolo Imperatore Germanico res fuit; quam impares opes; quam felix ex parte noſtra ſucceſſus; quam ſubito ad pacem feſtinauerat Carolus. Numquid Gallia, tot annorum quiete non parum recreata, minores nunc habitura eſt vires, quam illis temporibus, quibus diuturno eluctata fuit bello, quo vniuerſae Europae arma per tot annos fere ſola ſuſtinuerat. Itaque dicam, et frendente inuidia dicam: moderatio Ludouici, paternus eius in Chriſtianorum Rempublicam animus, diuinumque pacis ſtudium ipſis Gallis et eorum foederatis frena imponit; illius ſalutari ſidere hucusque totus recreatus eſt orbis. Spirant vbique bella Procerum Aulae; ſtimulat Principes ferox Bellona; claſſicum canente

Gallia

Gallia in priſtinum quaſi chaos rediret Europa. Sed o Te inter Gentes Chriſtianas Chriſtianiſſimum Regem, Miraculum Regum, Excelſe Ludouice; qui publicae ſecuritatis praeſidium per omnes vbique terras et regiones admiranda magnanimitate ſuſcepiſti. Tu ille es Cumaeis carminibus celebratus Heros, qui tumentes iracundia et feruore animos mortalium demulces; qui maximas calamitates potenti Tua dextra depellis, et ſola auctoritate imminentia bella componis. Tu verus pacis ſequeſter rerumque arbiter ac moderator nutu quaſi Tuo fata iam temperas, et, vt nouus Apollo iuuenis, ex Regalis palatii adytis feſtinantibus ad Te populorum legatis oracula pandis. Tu merito Ibericus, Italicus, Belgicus, Germanicus, orbisque terrarum reſtaurator vocaris, qui tot nationes, imo genus humanum immortali beneficio Tibi hactenus deuinxiſti; qui non formidandus, ſed amabilis gentibus amas videri. Quid mirum, ſi nouae Tibi indies laureae germinant, ſi noua pacis tropaea Tuis veſtigiis ſuccreſcunt. Obſtupeſce magnitudinem Tuam, Monarcha ſublimis, et perge porro omnes Tuos auos et Galliae Reges his titulis, hac gloria ſuperare; quam nec Ludouicus Magnus, omnibus maior, toto imperii ſui tempore vnquam conſpexit. Ille p lmis onuſtus et grandaeuus Neſtor diuina ſua de pace praecepta Tibi Tibi aeternitati vicinus impreſſit; quorum Tu ſtrenuus huc vsque vindex et aſſertor fuiſti. Stat firmo hoc fundamine exterorum et regni Tui certiſſima felicitas. Hac aura coeleſti aurea Imperii Tui lilia nunquam marceſcent; nulla tem-

porum iniuria illa vnquam labefactabit. Enimuero ſi quae rerum Francicarum ante haec tria luſtra fuerit facies accuratius penſitemus, Auditores, quis Gallicae gloriae vel maximus praeco glorioſa, quae nunc videmus, tempora vel votis optare, nedum animo proſpicere potuiſſet. Recordabitur Gallia fatalis illius diei, quo inuicti Herois ad immortalitatem tranſitus florentiſſimo huic Imperio mortem attuliſſe credebatur. Recordabitur memorandi illius temporis, quo ipſa in triſtiſſimas effuſa lacrymas, vno eodemque die duos experta Reges, Rectorem tamen Regno quaerebat; quo ipſa inter triumphalis Monarchae ferales tedas atque nouos Regis pueri faſces anxia agitabat. Actum eſſe de potentiſſimi Principatus maieſtate iactauerant Gallicae felicitatis aemuli. Iam bella ex bellis, iam turbas ex turbis, externas atque inteſtinas, quibus teneri Francorum Reges plerumque obnoxii, ambitioſa fiducia praeſagiebant. Sed illi tum arcanorum prouidentiae diuinae fuerunt ignari; nouam nimirum Galliae populis praeparari hiſtoriam. Noua profecto Francicae hiſtoriae periodus, Auditores; cui ſimilem nulla ſuperiorum temporum aetas oſtentat. Plenae ſunt illae priores atrocium bellorum, per totas annorum centurias, cum Britannia et cum Hiſpania incredibili pertinacia geſtorum. Quoties ſingulae vltima Regno vicino minatae ſunt? quoties vtraque in exitium eius odio fatali coniurauit? Finem inueterato huic malo impoſuit tandem Ludouicus, cum Anglis ſimul et cum Hiſpanis, quod nunquam fere viſum eſt, arctiſſima ſocietate coniunctus. Non Pictavienſia,

viensia, non Ticinenſia reformidamus proelia: non Bretiniacenſibus, non Cameracenſibus opus eſt pactis; ſimultati ſucceſſit perpetuus amor; aemulationi concordia; non de imperio, ſed de amicitiae documentis in hac triga certatur. Reſurgeretis e tumulis veſtris, Heroes Valeſiadae, Philippi, Caroli atque Franciſci, tot Anglicis Hiſpanicisque bellis certatim agitati. Quis veſter futurus eſſet ſtupor, ſi hodierni Borbonidae vobis conſpiceretur maieſtas; quam laeta omnes voce exclamaturi eſſetis: O nimium dilecte Deo iuuenis! cui tanta otia coelum conceſſit. Regnum fortunatum! quod media inter arma miraculo exortum; armis per tot ſecula auctum et propagatum; armorum ſtudio ad ſummum potentiae culmen euectum, tam alta nunc pace ſub Ludouico floreſcit, vt illa Romae ſuperbientis delicia, Titos et Antoninos in Gallia reuiuiſcere putares. Imperium felix! quod deſperatis temporibus nihil vnquam deſperauit, quanta iam perfectae felicitatis exoritur ſpecies, quanta ſpes atque fiducia. Ludouicus aureo praeludit ſeculo; Bellonam exterminat, Pacem ſuſtentat, Themidem alit, Concordiam nutrit, Palladem fouet, Aſtraeam e coelo in terram reducit; Regni denique et Gentis Borboniae proſpicit aeternitati; nouus ſanctiſſimae ſtirpis inſtaurator futurus. Quo Te heic ego praeterirem piaculo, Auguſtiſſima Maximi Herois Coniux, Magnanima Regina, quae ex tam illuſtribus Regiae Domus incrementis praecipuam quoque laudem ſummo Tibi iure decerpis. Patieris, Veneranda Galliae Parens, vt et Tua iam laetus penetralia

ſubeam,

ſubeam, atque illa, quae Tu praeſertim cum Ioue Tuo partiris, otia admirabundus intuear. Vincis Tu gloria omnes Borbonias matres, et inter eas, vt inter caeteras olim Deas Magna illa coeleſtium Mater, tot Numinum partu felix atque triumphans incedis. Videt ex Te Ludouicus, vix quatuor iam luſtra egreſſus, numeroſam vnius luſtri ſpatio ſobolem; cum ſingulis ex Borbonia gente Regibus, per tota ſaepe decennia, vix vna imperii conſpiceretur propago. Securior nunc rerum ſuarum eſt Francia, Te Polonica regnante Maria, quam cum Italicae et Auſtriacae illae in eadem regnarent. In arduis Tuis et Ludouici ſacrariis Regii Tui mox ſedebunt Ephebi, illam ſublimiorem regnandi ſcientiam, illam Principum ſanctimoniam ex ſacroſancto Veſtro ore et exemplo diſcentes. Quanta Vos olim gentium expectat gratulatio, cum Vos, in longa Nepotum ſerie, Delphinum Veſtrum non Galliae ſed Orbis imperio dignum videbitis; cum Auguſtus, quem populis nuper dediſtis, Andegauenſium Dux, fratris virtutum aemulus, vel Boream vel Orientem ſuis illuſtrabit facinoribus. Quae Regna ego tanto Principi praeſagiam; quot gentium votis ille aliquando petendus erit, cum Britannia, Polonia, Neapolis, Sicilia, et ipſa ſeculi huius initio Hiſpania Andegauos ex Gallia Principes ad ſceptra iam ſua vocarint. Haec Tua ſunt, Ludouice, otia; haec Regis adoleſcentis oblectatio; haec ſenioris et grandaeui immortalia aliquando futura ſunt elogia. Sic Tu Regnator excelſus in amphictyonico pacis concilio perpetuum praeſidium tenebis.

Rumpa-

Rumpatur celebratus ille, et populis tantopere exoptatus, ad Sueſſiones Procerum Europae conuentus; omnia vbique turbida et tempeſtuoſa videantur. Acuat ſua fulmina Aquila Auſtriaca; ſpiret vindictam animoſa Hiſpania; Tua palatia ſemper erunt religioſa pacis delubra, et ſecura populorum trepidantium aſyla. Tu inter procellas medius, et Venerabili Tuo Purpurato ſtipatus, nunquam caliginem indues, nunquam feroces indues vultus, ſed laetum vniuerſi ſolem imitatus, amoeno radiorum ſplendore orbi Chriſtiano ſerenitatem ſervabis; vno Pacifici titulo cunctas mortalium laudes complexus. Effundatur porro omnis Tuus in Barbaros et in implacabiles Chriſti hoſtes, ſi inſoleſcere forte audeant, ardor: illi iuſtam Tuam nuper experti ſunt iram; illa Tu Francicus Hercules monſtra debellas. Quantus Annalibus Tuis accedet ſplendor et dignitas, cum perpetua in illis Halcedonia regnabunt; cum Tu in illis ſerena Te ſemper fronte et pacis corona ſublimis extolles; admirandus ciuibus, admirandus exteris, admirandus toti, quae ſecutura eſt, poſteritati. Salve ergo, Diuorum proles; digniſſima Sancti Ludouici progenies; glorioſe rerum humanarum ſtator. Salue, viue, regna et aeternum triumpha: triumphaſti iam pridem de cordibus omnium; perpetuum Tibi orbis decernet triumphum.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXII.

Nouam Borboniæ Gentis periodum Vobis annuntio, Auditores ſuis quisque elogiis Condecoratiſſimi. Quod vniuerſas Europæ nationes per tot annos in diuerſa diſtraxit; quod magnorum bellorum cauſa futurum credebatur atque materia, id hodierna die ſine cæde et ſanguine, ſumma Stirpis auguſtæ gloria perfectum conſpicimus. Nihil agere videbatur Gallia, et quantum eſt illud quod cernimus! Auditores. Quam felix et auſpicatus hic annus Borboniis; quam lætus et feſtiuus hinc Gallis illuxit. Tu mihi heic maximus teſtis es, omnium qui viuunt Borbonidarum princeps, Excelſe Ludouice; ad quem, quicquid diuinæ proſapiæ per omnes mundi partes fauſtum et glorioſum contingit, eminenti quadam ratione referimus. Tu quoque rerum tantarum præcipua mihi teſtis es, Fortunata Italia, quæ tam diu Francicum Sceptrum ſuperbe dedignata, Borbonium denique Principem in ſinum tuum læta atque triumphans recepiſti; quæ memorabilem florentiſſimi Principatus iam Epocham condis; et cum nouo potentiſſimæ Gentis trans Alpes imperio, nouam Hetruriæ Aemiliæque tuæ auſpicaris hiſtoriam. Itaque oculos per

per vniuerſum terrarum orbem circumferentes quid dignius Ludovico, quid illuſtrius, quam NOVA BORBONIAE GENTIS ADMIRANDA natalibus eius Sacris lætabundi gratularemur. Gratulabor ergo, Ciues Argentinenſes, publica id iubente pietate; Vos felicibus auguriis, ardentibus votis, feſtiuis acclamationibus Oratoris pietatem ex more veſtro ſubleuabitis.

Si in enarranda Borboniorum Principum maieſtate conſuetis Oratorum veſtigiis hodie inſiſterem, Auditores, ad remotiſſima antiquitatis penetralia ab ipſo ſtatim Orationis introitu deducendi eſſetis. Et heic ſane non confugiendum mihi foret ad incertum illud et lubricum fere monumentorum genus, quo plerarumque domuum origines, plerarumque familiarum primordia inniti videmus. Verum confidenter et ſine vlla audaciæ nota, in ſolenni omnium Principum conſeſſu, aſſerere non dubitarem, nullam eſſe totius Europæ proſapiam, quæ per maſculam tot Regum atque Heroum ſeriem, per nongentos annos, tam clara hiſtoriarum luce, tam euidentibus Annalium documentis eniteſcat. Demonſtrarem vobis, Auditores, qua ratione antiquiſſima hæc Stirps, per præcipuas terræ partes extenſa, effloruerit in coronas, pullularit in ſceptra, ſurrexerit in ſolia; qua ratione auguſtus hic ſanguis per vniuerſam quaſi manarit Europam, et in illuſtriſſimos quosuis orbis Chriſtiani populos aliquid ex eius gloria et felicitate redundarit. Si ſuos profecto enumeraret Impera-

tores Græcia, ſuos Cæſares Germania; ſi Britanni, Luſitani, Bohemi, Hungari atque Poloni ſuos certatim producerent Monarchas; ſi ſuos denique Neapolis, Sicilia, Cyprus atque Hieroſolyma commemorarent Reges, impreſſa liliorum vbique cerneretis veſtigia: Borboniorum Capetingicus vbique deprehenditur ſanguis. Auguſtior iſta ſane origo eſt, quam ſi a Ioue ſtirpis exordium peteres, aut in nobilitatis partem crimen Deorum vocares. Sed hæc cum omnibus gentis Capetingicæ Regibus communia habet veneranda Proſapia. Enimvero cum memorabile illud tempus appropinquaſſet, quo labaſcenti Galliarum regno nouam rerum faciem inducere diuina deſtinat erat prouidentia, quam illuſtris magnorum euentuum ſeries in Francica vbique hiſtoria ſe ſiſtit. Marceſcere paulatim cœperat infelix illa Valeſiorum familia; ſub quorum imperio illa imperiorum peſtis diſcordia regnauit; ſub quorum regimine mox Angli et Sabaudi, mox Itali et Hiſpani in media regnarunt Gallia. Exagitauerant vaſtiſſimam regni molem imm nes Henoticorum tumultuantium furiæ, qui indomita rabie in propria ſua viſcera ſæuientes vniuerſum ruentis Monarchiae compagem diſſoluere, imo liliatum Franciæ diadema ad exteros ſacrilego auſu transferre conati ſunt. Tam deſperata omnium rerum conditione, quis Galliam non in ipſa Gallia quæſiuiſſet, Auditores? At ecce nouus in terris Francorum gloriæ tum inſtaurator ſurrexit, Henricus Borbonius. Heros ille omnis memoriæ maximus; ille toti antiquitati comparandus imperator; quem peruicax fatum

ſatum auito regno ſpoliauerat, vt Chriſtianiſſimo imperio dignum oſtenderet; qui ab irato numine plus impetraſſe viſus eſt, quam a fauente vnquam ſperare auſus fuiſſet. Hic ergo, cum de fortuna prius quam de hoſtibus triumphaſſet, ſuperatis validiſſimis furibundæ factionis propugnaculis, ad ſublime Galliarum ſolium penetrauit, Borboniæ Domus prærogatiuæ et Francicæ maieſtatis vindex auguſtus. Veruinia denique pax, nobile illud libertatis palladium, inuidendam hanc Galliæ felicitatem omnino firmauit. Tum demum per ſingulas turbatiſſimi nuper regni prouincias otia ſecura vidiſſes; omnis inteſtini belli furor trans montes Pyrenæos et Alpes reiectus, et formidanda illa Auſtriacæ domus potentia repentino quaſi fulmine retardari viſa eſt. Tam illuſtria ſunt Borboniæ ſtirpis Gallorum imperio admotæ primordia; tantæ molis erat regio Francorum ſolio Borbonios imponere. Non concidit Henrico cadente tam rara felicitas, Auditores. Atra illa dies omnique execranda aeuo Galliæ et Borboniis videbatur ſuprema; niſi mundo caliganti nouum ſidus affulſiſſet, adoleſcens Ludouicus Heroica hic patris ſecutus veſtigia, Borboniorum potentiam, Auſtriaco Hiſpanis huc vsque fatalem, ipſis quoque in Germania Auſtriacis oſtentauit; Hiſpaniam ſuis conquaſſauit armis, peruagatus eſt victoriis, et illata denique regali ſuo thoro Anna Auſtriaca, nouæ maieſtati Domus ſuæ præluſit; fatis viam monſtrantibus, qua Gallorum Hiſpanorumque animi perpetua concordia vnirentur. Ita eſt, Auditores; coërcenda prius erat a Ludouicis Borboniis Hi-

ſpanica illa ſuperbia, quae a Caroli Quinti temporibus creuerat immenſum; delenda ex animis illius populi vana illa de obtinendo orbis imperio confidentia; auferendæ illis erant prouinciæ; inferendæ repetitis vicibus ſtrages, vt ad ſui agnitionem ferox rediret Hiſpania, et ſuum denique in ipſa Gallia præſidium quæreret. Perfecta hæc fuit Ludouico Magno regnante felicitas, Auditores. Hic ducta in matrimonium Maria Thereſia et duplici cum Hiſpanis hinc vinculo iunctus, extincta in illis partibus tota Auſtriacorum familia, immenſas illas Heſperiæ opes florentiſſimæ Borboniæ genti afferre viſus eſt. Intellexerat nimirum Hiſpania, nunquam ſe fore felicem, niſi tota fieret Borbonia; tollendam eſſe inueteratam vicinarum gentium aemulationem; non alium malis ſuis imponi poſſe finem, quam ſi duo maxima regna, quæ vicinia iungit, et ipſo regnantium ſanguine iungerentur. Et hæc ſane fatorum fuiſſe deſtinata docuit euentus. Sed O cœcæ mortalium mentes! O ignara arcanorum cœleſtium humana prudentia! Opponunt ſe deſtinationi diuinæ omnes fere exteræ nationes, et dignum Borbonio ſpectaculum vidit orbis, Ludovicum Magnum cum Europa compoſitum; dignum, cui Tu, Diue Ludouice, Stirpis diuinæ Parens, ex ſublimi Tua ſede Auguſtus ſpectator intereſſes. Indignabantur Germanorum Auſtriaci nuperum Gentis ſuæ in Hiſpania interitum, et limis oculis creſcentem Borboniorum potentiam intuiti, actum eſſe de libertate Europæ clamitabant, ſi in ipſa hi quoque Heſperia Indiisque extremis imperarent.

Quot

Quot prœliis, quot ſtragibus, quam vehementi animorum agitatione res fuerit peracta, nemo veſtrum facile ignorat, Auditores. Vidit hæc Chriſtianus orbis et cohorruit. Perdenda videbatur Gallia, vt felix redderetur Hiſpania. Ita Tibi viſum eſt, Deus Immortalis! regnorum arbiter, imperiorum moderator aeterne. Per infinitos cadauerum aceruos, quos fames, hoſtilis gladius, quos machinæ murales et tormenta congeſſerant, muniendus erat in Hiſpania Philippus. Quodſi non alia fatorum ordine fuit via; ſi tot myriadum Chriſtianorum ſanguine opus erat, vt Borbonii in Gallia et in Hiſpania regnarent, iam nihil querimur, O ſuperi! Tot mala, tot miſeriæ et calamitates tanta nobis mercede iam placent. Scilicet ſeria tandem, quanquam ſera ſatis pœnitentia belligerantis Europæ animos ſubiit. Teſtes ſunt Traiectum et Raſtadium; vtrumque memorabili et glorioſa Borboniis pace reſtitutam populis tam diu neg tam tranquillitatem conſpexit; vtrumque opus Ludouici Magni opus fuit, operumque poſtremum; cui inuictus ille Heros immortuus eſt; ſtabilito in Hiſpania nepote, debilitatis Auſtriæ ſuperbientis opibus, dilatata immenſum Stirpis Borboniorum magnitudine toti, quæ ſecutura eſt, poſteritati admirandus. Sic reparata tandem fuit iniuria priſcis Nauarræ Regibus et ſucceſſoribus eorundem Borboniis, Gallia tum indignante, illata. Erepta illis fuit a Ferdinando Catholico fere omnis Nauarra, vt vniuerſa, cum omnibus Indiæ vtriusque theſauris, iisdem aliquando traderetur Hiſpania. Exuti ſunt regno auito infelices Albre-

Albretani, vt eorundem nepotes Borbonii, poſt longam annorum ſeriem, immenſis Auſtriacorum in Heſperia opibus exornarentur. Sed quo provehor ego? Auditores; quem finem repertura eſt hæc Oratio, quæ nondum de Italia, nondum de nouiſſimis mentionem iniecit. Tibi vero poſtrema hæc ſeruata fuit periodus, Magnanime Ludouice, vt Te ſublimi Borbonida in vaſtiſſimo Galliarum regno imperante, nouus et perpetuus Genti Tuæ in Italia quoque deſtinaretur Principatus. Vergit ad finem ſuum auguſtiſſima Auſtriacorum proſapia: ſub Te et Proauo Tuo ad ſummum felicitatis et potentiæ culmen Borboniorum aſcendit maieſtas; ipſa iam velificante, ipſa promouente Auſtriaca Domo; quæ cum illis per tot annos aequo marte luctata Tibi, Tibi tandem Principatum et imperii aeternitatem vel inuita gratulatur: tam eminenti præ Maioribus Tuis gloria; quod genus humanum iam non reddatur infelix, cum Borbonii Tui redduntur feliciſſimi; quod ſanguini nunc humano parcatur, cuius Tu ab ineunte imperio parciſſimus ſemper extitiſti, parciſſimus ſemper futurus es. Inauditam profecto noſtris temporibus in præcipuis Europæ Aulis admiramur animorum cataſtrophen, Auditores. Qui nuper coniurauerant, ne Borbonius imperet in Hiſpania, illi ſe hodie iungunt, vt etiam regnet in Italia. Qui in Borboniorum perniciem per totum orbem claſſicum cecinerant, illi iam ad ſtabiliendum eorundem imperium Principes Europæ inuitant. Videt hæc et ſtupet Ludouicus, Britannos præſertim et Auſtriacos tam ſedulos, tam arden-

ardentes in propagandis potentiſſimæ Gentis opibus iam eſſe, qui ſuas fere opes nuper euerterant, vt euerterent Borbonias. Progrederetur in publicam hanc orbis habitabilis lucem impotens ille vniuerſalis Monarchiæ affectator et pertinaciſſimus Borboniorum hoſtis, Philippus Secundus; videret Henrici Magni abnepotem ipſis iam imperare Hiſpanis, et atnepotem Italis, indignabundus ab hac luminis aura ad ſuas vmbras feſtinaturus eſſet. Te vero fatorum quis neſcium fuiſſe crederet, Grandæue Ludouice, qui Vltraiectina pace in deſerendis Italiæ prouinciis, ad Nepotem Tuum ſpectantibus, tam facilis atque promptus fuiſti; quaſi Tuo mox Pronepoti nouum aliquod in illis ipſis partibus regnum parari ſortis ſecurus præuidiſſes. Numquid illuſtria huius Principatus primordia dicam? Auditores; qui iam veterum Hetruriæ Regum potentiam ſuperare, qui iunctis Aemiliæ Tuſciæque opibus florentis illius Longobardiæ Regni magnitudinem mox æquaturus videtur. Si hoc ad antiquos Franciæ Reges armorum iure aliquando deuenerat; nunc magna eius pars ad Borbonios pactis atque fœderibus redit. Si iſtud olim grauiſſimo bello Carolus ille Magnus deuicit; reſtaurabit mox Carolus Borbonius; ſtirpis ſuæ in Italia auctor et felix propagator futurus: gratulante iam ſibi hac ipſa Italia, quod non ex remota Septentrionis barbarie, immani ferocia Gothus aut Longobardus, ſed ex amica Heſperia manſuetus pacis alumnus amœniſſimas regiones occuparit. Nec ſuos iam Parma Farneſios aut Medicæos deſiderabit Florentia. Quicquid illi

de veneranda ſtemmatis antiquitate, quicquid hi de ſplendoris et dignitatis amplitudine iactant, id omne quantum ſuperabit Borbonius! Quam magnanimus fuit nuperus illius per Galliam tranſitus; quaſi Hiſpanici Herculis ab vltimis Gadibus ad Italiæ præſidium feſtinantis. Quot inſignia liberalitatis, clementiæ et Heroicarum dotium vbique monumenta erexit. Triumphalem fuiſſe pompam diceretis, Auditores, præcedente et comitante Regia omnium Borboniarum virtutum corona. Non inimica gens Tyrrhenum aequor nauigat: nil hoſtile iam timent pacata Hetruriæ litora: Borboniæ puppes frondentes vbique pacis oliuas oſtentant; auguſtus Ephebus Saturnia in Hetruſcis et Aboriginum regionibus ſecula reducet. Fruere diutiſſime admiranda hac Gentis Tuæ gloria, Triumphator Excelſe, Ludouice a cœlo donate princeps. Mirare ſtupenda eius, tam breui temporis ſpatio, per vaſtum terrarum orbem incrementa. Cerne populos in tam diuerſis mundi partibus ad cultum et obſequia Tuorum certatim ruentes. Reſpice hoc ferax Heroum plantarium, quod generoſos iuſtitiæ vindices, euerſores Barbariæ, nominis Chriſtiani ſtrenuos propagatores longe lateque mortalibus oſtentat. Quodſi ante Te nonniſi Proauus, Abauus Atauusque Tuus ex Borboniis Galliæ imperarunt; ſi duo ex illis Magni tertiusque Ivstvs orbis conſenſu appellati ſunt; quantam Tu præſertim in populo Tuo iam excitaſti rerum futurum fiduciam, Monarcha ſublimis, qui numeroſa Tua ſobole, quantam nullus ex Gente Tua Franciæ Regum vidit, nouum prorſus

ſus auguſtæ ſtirpi ſplendorem conciliaſti. Veniat aliquando tempus, quo Tu quartus Galliæ Rex Borbonida, Pacifici titulo glorioſus, Tuisque ſuperbus Borboniis, ſceptra, coronas atque diademata inter illos diſtribuas; dare Principes, ſeruare Reges, beatos reddere mortales longe maius quam vincere arbitratus. Salue ergo, Diuorum Sanguis, adoranda Sancti Ludouici poſteritas, fœcunda Heroum Proſapia. Te florente, Te triumphante, Francia, Hiſpania, Italia et Indici orbis Oriens atque Occidens triumphat; Tuo iam in Imperio ſol nunquam occidit; Tuo ſub Imperio nunquam mortalium occidet felicitas.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXIII.

Quam nouam Gentis Borboniæ gloriam vniuerſus nuper orbis miratus eſt, Auditores omnium Ordinum Splendidiſſimi, illam ad hunc vsque diem nobis illibatam ſeruauit firmauitque prouidentia diuina. Serenam populorum Europæ faciem ex omni adhuc parte lætabundi conſpicimus. Pacata eſt felix et opulenta Italia; quæ in profunda rerum ſuarum tranquillitate nouum iam, non Dardanidem ſed Borbonium in terris ſuis adorat Aſcanium; vaſtiſſimi Principatus futurum ſtatorem. Reconciliata cum populis cultioribus eſt omnis Hiſpania, quæ per turbidas tandem eluctata tempeſtates, recuperato poſt triſtem ſenectutem iuuentutis vigore, ſub Borbonio Principe mouet lacertos; at relegata ex orbe Chriſtiano truculenta diſcordia, ignes et fulmina vibrat in Barbaros. Pacata denique eſt ipſa armipotens, ſed a multis iam annis manſueta et mitis Gallia; quæ maxima pacis alumna, in ſuis et in omnium Fœderatorum regionibus ferreas Iani portas clauſit aeternum; indignante Bellona, ſe quoque cum Marte ſuo ex tota proſcriptam Europa in torrida iam exulare Africa: mirantibus ipſis animorum mutationem populis, quod priſcæ ferociæ imme-

immemores, exoriente bellorum materia, non iam ſubito ad arma, ſed ad pacta et fœdera feſtinare videantur; de reſtinguendis vbique bellorum incendiis vnice ſolliciti. Hæc Tui ſunt miracula imperii, Ludouice, Regum Principumque Chriſtianiſſime; qui ex eminenti Tuo maieſtatis faſtigio orbem vniuerſum lætus circumſpicis; Te quieſcente omnino quietum; Te quieſcente omnino felicem. Fortunatam ex Borboniis Tuis vtramque iam cernimus Heſperiam; fortunatas Indiæ Orientalis et Occiduæ remotiſſimas gentes; Tu tranquillo Tuo nutu omnium Galliarum moderaris felicitatem; cuius et Tua præſertim particeps eſt fidelis Alſatia. Hæc nouam nimirum beatiſſimi ſeculi periodum ab illis inchoare viſa eſt temporibus, a quibus Francica ſceptra et liliatum diadema, vt ciuis, vt ſubdita ſupplex veneratur. Quid mirum ergo, Auguſtiſſime Monarcha, ſi in communi hoc orbis Europæi otio, in Regia Natalium Tuorum feſtiuitate, noſtrorum quoque ciuium ora in plauſus et vota reſoluuntur; ſi et ego publicæ pietatis conſtitutus interpres triumphalia hæc verba lætus ingemino: FELIX BORBONIIS ALSATIA. O! ſi reſurgeret nonnemo ex priſcis Oratoribus tuis, Argentina Docta, Alſatia Literata, qui diuino animatus ardore tam pium, tam copioſum dicendi argumentum in tam ſplendida Magnatum Procerumque corona decenti ſermonis maieſtate tractaret. Sed in hac rerum copia et amplitudine, veſtra, Auditores, in Regem veneratio, in Ludouicos reuerentia, in patriam pietas minime dicentis facundia egent,

quæ vel maxima verborum et ſententiarum ornamenta tranſcendunt.

Si Alſatiam Germaniæ id aliquando fuiſſe dicam, quod Campania potenti olim fuerat Italiæ, neminem Veſtrum facile ſum reperturus diſſentientem, Auditores omnibus elogiis ornatiſſimi. Siue enim Regionis ſitum et amœnam fertilitatem, ſiue eius præſtantiam et raram pulchritudinem, ſiue ipſam denique cœli, ſub quo Alſatia floret, benignitatem reſpicias, ex omni ſane parte luxuriantis quaſi naturæ documenta miraris. Hæc inter præcipua priſcæ felicitatis decora omnibus reputabit temporibus, quod in vetuſtiſſimo primorum Franciæ Regum patrimonio Francica iam prouincia claruit. Hæc memorabilis ad omnium ſeculorum poſteritatem pugnæ Alemannicæ teſtis, in bellicoſa Clodouei Familia Chriſtianiſmi primordia felix conſpexit. Hæc a ceteris ſtirpis Merouingicæ Regibus in deliciis habita, illis auctum ſanctiſſimæ religionis ſplendorem, tot claros ſacrorum Antiſtites, tot extructas magnisque amplificatas opibus debet Baſilicas. Itaque iniurius in tantorum Principum manes viderer, Auditores, ſi Childeberti, Theodorici, Childerici, Dagobertorum, Clothariorumque memoriam imprudenti ſilentio præterirem; qui toties in hac prouincia liberaliter lauteque verſati, ardua in eadem erexerunt palatia atque Regales domos; qui veneranda imaginum ſuarum veſtigia in antiquiſſimis Alſatiæ tabulariis hodieque impreſſa reliquerunt; in excelſis Aedium ſacrarum monumentis haud minus

minus conſpicua; quæ ex edita illa turri, vel me tacente, Vos compellare videntur. Diſtraxit deinceps Alſatiam fatalis illa vaſtiſſimæ Monarchiæ in Occiduam et Orientalem ſub Carolingis Regibus diuiſio; plurimarum miſeriarum cauſa et origo; quibus atrox filiorum in Ludouicum Pium perfidia, quam inuita et cohorreſcens in campis ſuis vidit Alſatia, haud dubie præluſit. Tum vero ſqualida et deformis nobiliſſimæ prouinciæ exorta eſt facies, Auditores; cum illa omnium in viſcera ſæuientis Germaniæ malorum conſors tot peſtes, ſtrages, incendia et quicquid Mars impotens ferale habet, ex ſuo cum Germanis vinculo tremebunda ſenſiſſet. Heic torua et ferox Hungarorum natio florenti Alſatiæ excidium intentat. Heic rupta pacis publicæ fœdera et ipſi in mutuam perniciem ciues, in latrocinia et prædas armantur. Heic Anti Cæſares, citato curſu in ſcelus ruentes, et luctuoſa interregnorum tempora, rapinas, cædes et agrorum vaſtitatem anxius conſpicias. Heic Angli, immenſis agminibus ſtipati, veteres Alſatiæ incolas ex natiuis ſuis ſedibus fere pellere videntur. Heic furens libertatis affectator colonus frena mordet, armisque correptis dominorum ceruicibus minitabundus imminet. Heic ipſæ denique Imperatorum legiones, ad defenſionem regionis, vt ſperabatur, paratæ, plusquam hoſtili iniuria plectunt agreſtes. Infortunata prouincia! et in ſumma felicitate perpetuo infelix; quæ ſæuienti diſcordiæ ſemper obnoxia; cuius vt innocentis victimæ iugulum tot hoſtes vndique petiuere. Terra ferax et amœna! quantum ſanguinis huma-

humani, quaſi eius inſatiata hauſiſti; quoties Rhenus tuus et Ellus effuſo cruore rubuerunt; quot fortium Heroum ſuis vndis voluerunt corpora; quot Principum exterorum, in ſanguinolento hoc Martis theatro certantium, truncatos artus in tumulis et penetralibus tuis abſcondis. Contemplare noſtris adhuc temporibus disiecta oppidorum quorundam mœnia; reſpice ſtupenda in collibus Tuis arcium ſuperbientium cadauera; aeterna furoris bellici et publicæ ſecuritatis profligatæ monumenta. Hæc Tua fuit, Alſatia, libertas; duriſſima libertas, ſeruituti vicina. Tanto Tibi conſtitit pretio Galliæ veteris limes mutatus. Reſpirate paulisper, Auditores, et feliciora temporum ſequentium fata percipite. Diſſipauit denique ſæuientium per tot ſecula malorum tenebras reſurgentis in hac regione Gallici Solis adoranda imago. Borboniis enim immortalis hæc deſtinata fuit gloria, Auditores, vt Auguſtiſſimi ex illa proſapia Reges ſeruatæ Alſatiæ titulos in ſuis præſertim triumphis triumphalibusque monimentis collocarent. Præſenſit id fere ſagax et prudentiſſima Argentinatium Ciuitas, quando extra Francicum ſane orbem longo iam tempore conſtituta Henrico Nauarro, quem ſanguis, virtus et libertas Europæ ad Gallica ſceptra vocabant, præ omnibus aemulis fauere decreuit, cum frendente inuidia, indignantibus furiis Francicum conſcenſurus eſſet ſolium; conſcia quaſi futuri, orituros ex heroico hoc ſanguine Ludouicos, qui opem Patri, Auo Atauoque præſtitam immenſis mox beneficiis rependerent; ipſique adeo Alſatiæ reſtituerent

Alſa-

Alſatiam. Succreuit nimirum magna meritorum Borboniæ Domus in hanc prouinciam ſeges, cum, regnante in Gallia Ludouico Iuſto, vniuerſæ Germaniæ compedes iniectura crederetur Auſtria, Auſtriacorum in Hiſpania dominantium conſiliis opibusque ſuffulta. Quam lamentabiles ciuium in hac ora trepidantium auditæ ſunt voces, cum in patentibus vicinorum campis victricia Hiſpanicarum legionum vexilla volitarent; cum aquila Germanica in ipſam Germaniam ſua fulmina torqueret, et tutelaria regni illius numina hoſtilem in ipſos Germanos animum induiſſe viderentur. Actum erat de iactata toties libertate Teutonica, ſi ab ipſis tum Teutonibus defendenda fuiſſet. Actum omnino de Alſatiæ ſalute, in perpetuam Auſtriacæ Gentis ſeruitutem redigendæ, niſi ad reſtinguendum furens et commune incendium promptiſſimus ex Gallia accurriſſet Ludouicus; ex machina Deus. Quam inſperata mox rerum ſucceſſit mutatio! Germanus in Alſatia, Germanorum regione, hoſtis eſt, Gallus amicus; Cæſar perditam cupit Alſatiam; Ludouicus ſeruatam. Hic verus afflictæ vexatæque prouinciæ ſtator; Hic generoſus laborantis Germaniæ vindex, accedente ex borealibus oris ferociſſimo ſeptentrionis Leone Suecico, Gallicis profecto opibus Suecicas fortiter ſuſtentauit opes; toties perituras et ad extrema redactas, niſi nouum ipſis ſubinde vigorem vegetus ille Ludouicianus vigor conciliaſſet. Ne miremini ergo, Auditores, ſi ab illis iam temporibus aurea Francorum lilia in media refloreſcere cœperunt Alſatia; ſi dignum tot meritis paternis

propriisque præmium ipſam reportauit Alſatiam Magnus Ludouicus. O felicem tantarum calamitatum cataſtrophen! Tam iucunda poſt diuturnas tempeſtates Halcedonia Rhenus conſpexit. Hic cum Sequana, Ligeri Rhodanoque, poſt tot ſeculorum ſpatia, rurſum coniunctus ſuos ex tanto interuallo ſalutauit fratres atque ſorores; dignius gloria ſua reputans, ſi duo potentiſſima imperia medius ipſe vniret atque ſepararet, quam ſi ſolam vndis ſuis ditaret Germaniam. Sic renouata quaſi ex cineribus tuis reſurrexiſti, Tellus pulcherrima; lætam te lætior Ludouicus excepit, ac omnis Gallicæ gloriæ et maieſtatis participem fecit. Reuocata es ad vetus illud Francici Regni conſortium; cuius tu nobilis olim ipſa pars et excellens Ducatus floruiſti. Et tibi inſequentibus victoriis Gallia tua vicit; tibi triumphauit; tibi ſecura et noua otia Borbonius parauit. Enimuero ſi recentis Alſatiæ ſtatum cum turbulentis antiquioris aeui periodis conferre libeat, Auditores, quanta ſe nobis rerum et fatorum ex omni parte manifeſtat diuerſitas. Martiale profecto fuit nuperum Ludouici Bellatoris ſeculum, viris armisque incitatiſſimum; ingentibus auſis ad conciliandam imperio ſuo iuuentam et maſculam aetatem feſtinabat verus et inuictus ille Galliæ ſuperbientis Auguſtus. Sed annon in hoſtico conſtituta plerumque fuerat bellorum orientium arena, hoſtibusque omnis in Alſatiam aditus firmiſſimis repagulis vndiquaque præcluſus? Annon opulenta illis ipſis temporibus hæc noſtra prouincia fuit? quibus artes et opificia cum mercatura florere; vſus auri argentique frequentior;

omnium

omnium rerum abundantia maior; inſtitorum et negotiantium feliciores, quam in ipſa fere pace, ſucceſſus: innoxiusque adeo in Alſatia viſus eſt Bellonæ ludus, in qua perpetuum Bacchi Cererisque agitatur certamen. Quodſi quæ ſubita nobis illata eſt hoſtilis iniuria, num præſentius optari potuiſſet auxilium, quam quod ſuperiore bello inprimis mirata eſt vicina Heluetia. Tu tantæ mihi rei magnanimus teſtis es, triumphalis Alſatiæ Præſes, Illuſtriſſime de Burgo Comes, Franciæ Mareſchalle. Quam feſtinus Tu periclitanti prouinciæ ſuccurriſti, cum minax ille Mercii audacis exercitus, perruptis Heluetiæ clauſtris, torrentis inſtar in eam irruiſſet; cum hoſtis ferocientis arbitrio rura et mapalia ſua timidus reliquiſſet colonus; cum non hanc tantum, ſed et alias Galliæ regiones ſpe ſua præfidentes iam occupaſſent Fœderati. Vno a Te ictu, fortiſſime Heros, tam ſæua belli tempeſtas omnino fuit diſſipata. Signauit illuſtrem Rumershemium victoriam, Alſaticis Annalibus aeternum memorandam; qua vix nuntius tantæ cladis hoſti relictus; Ludouicianus integer a Te reductus exercitus; vniuerſa Gallorum imperio reſtituta Alſatia. Superuacaneum Vobis procul dubio videretur, Auditores, ſi quanto in pretio Borboniis ſemper Regibus hæc fuerit prouincia, multis iam Vobis argumentis exponere ſtuderem. Taceo Argentinam Friburgo et Briſaco, quantis vrbibus! pace Rysuicenſi redemptam. Taceo Barcinonem ſuperbam, cui et ſuam Ludouicus Magnus prætulit Argentoratum; vel ſola in tam modico regionis ſpatio munimenta, arces et fortalitia,

in ſingulis fere partibus obuia, quantam Borboniorum eius conſervandæ ornandæque curam demonſtrant. Clauſa eſt vel potentiſſimis hoſtibus omnis Alſatia, vt aureum olim Colchidis vellus, aut poma Heſperidum, ferreis quaſi portis foribusque vallata. Rhenus ſuis aggeribus et propugnaculis vel maximos exercitus audacter contemnit. Illic Huninga, Briſacum citerius et Seleſtadium Gallicis aemulis frena imponunt. Hic Ludouici Fortalitium, et tu hoſtilibus armis toties petita, toties reperita Landauia. Tu denique ſeculi recentis ſtupendum miraculum, veneranda Alſatiæ Dea, Argentoratus excelſa, quæ in meditullio regionis ſublime caput ad aſtra extollis, munitiſſimarum Europæ vrbium arciumque Regina; nullis adhuc tentata Ducibus inuiolata virago, quæ bellicis tuis ambitioſa Præfectis, ex præalta tua mole vel ipſam Herculis Theſeique prouocares audaciam; irritos minitantium eluſura conatus. Quot legiones ad tuam ceterarumque ciuitatium tutelam in armis Ludouicus ſuſtentat; quam numeroſus vbique miles excubat, ad tuam totiusque prouinciæ defenſionem paratus: miles nec iners aut ignauus, nec turpi effrenis licentia, ſed quod ex mœnibus tuis nuper vidiſti, martialibus ludis et velitationibus bellicis aſſidue exercitatus; diuina Ludouici Pacifici prudentia; qui inter innoxia arma armorum ſuorum potentiam populis regibusque vel e longinquo oſtentat. Nihil iam, opinor, ad omnimodam Alſatiæ tranquillitatem ſupereſſe putabitis, Auditores. Novimus heroica ſub Regis imperio imperantium pectora; qui generoſo ferui-

ferruidoque pro regionis huius ſalute zelo animantur. Regnat omnium inter nos ciuium in Regem ſanctiſſima fides. Viget Martius Equeſter ordo, priſca et intemerata nobilitate conſpicuus; pro Rege, Regno et patria vitam effundere dies noctesque cupidus; tot illuſtribus Regiæ Borboniorum beneuolentiæ documentis iam pridem ornatus; teſte Vobis validiſſima Legione, quæ Alſaticorum Equitum virtuti exercendæ conſcripta, et patriæ prouinciæ inſignis titulo, ad Ipras, ad Barcinonem, ad Friburgum toties pia, toties fidelis, ex claris facinoribus ſuis Legio Fulminatrix vocari mereretur. Exiſtimaverit fortaſſis nonnemo, Auditores, ad perficienda tam rara huius oræ decora, ipſos, qui in eadem Regi quotannis colliguntur, ſufficere vel prorſus abundare prouentus. Verum enimuero, quot centenis auri argentique talentis opus eſt, vt nihil ex Alſatia Ludouicus percipiat. Non ſuis Alſaticos reditus addit theſauris Rex Maximus, ſed ſuas potius iungit Alſaticis opes, vt vigeat, floreat, vt indies pulcrior potentiorque euadat Alſatia; vt vicinis remotioribus populis ſtuporem terroremque incutiat prouincia, cuius gloria et otium in vniuerſam vaſtiſſimi Regni compagem haud dubie redundant. Et iam quis veſtrum mirabitur, ſi regio tam excellens et ſecura longe maiori quam olim incolarum ciuiumque celebratur frequentia; ſi vrbes et oppida maiorem ornatum amplioraque ex variis artificum opificumque generibus incrementa accipiunt; ſi cum numero creſcit habitantium induſtria; ſi nullus hodie in Alſatia eſt angulus, a ſenti-

bus et dumetis non omnino purgatus; ſi agrorum cultura perfectior, atque ipſe hinc lautior cultiorque conuictus; ſi rerum exportandarum aucta ſunt pretia; in quarum maxima copia pauper ſæpe fuit ciuis, pauper colonus; mercium diues, pecunia inops. Si viæ per vniuerſam Alſatiam, per Vogeſi clauſtra ita ſtratæ ſunt, ita munitæ, vt militares Romanorum vias noſtris diebus reſtauratas eſſe crederes. Magna ſunt hæc et opportuna vitæ ciuilis cum otio tranſigendæ commoda, Auditores; at longe Vobis videbuntur maiora, ſi ſuam ſub Borboniis felicitatem quoque iactabunt Themis et Alſ tica Pallas. Illa nimirum ſacra, ſeuera et religioſa Aſtræa, impios mortalium indignata conatus, vbinam terrarum certius quam in Gallia inuenit aſylum? Exaudiantur alibi frequentiſſimæ de corrupta, vel dilata, aut in remotis partibus habitante iuſtitia querelæ. Sacroſanctum tribunal in gremio ſuo veneratur Alſatia; honeſtis amabile, improbis tremendum, temerariis et fraudulentis litigatoribus fatale. Non languet actor timidus incertum cauſæ exitum per longam annorum tricarumque ſeriem expectans; non ſedet aeternum reus infelix, ſortis et fortunæ ſuæ dubius, aut inter ſpem metumque anxius hærens. Librata inter nos lance iuſtitia regnat et rigida iura populis ſine mora, citra ambages, conſtanter et intrepide, calumnia frendente, diſpenſat. Perpetuus ille denique Themidis ſocius Apollo, quam lætus cum Minerua ſorore munifico Borboniorum gloriatur imperio! Decantavit iam pridem per vniuerſum orbem ſuam ſub Francico cælo felici-

tatem

ſtatem caſtiſſima illa doctarum Pieridum caterua. Sub Ludouicis Borboniis aureum illud Auguſti ſeculum, imo Pindum ex Græcia in Galliam translatum mirata eſt Pallas. Quæ maior ergo noſtris his humilibus Muſis contingere potuiſſet gloria, Auditores, quam felix earundem cum Gallicis, Ludouico præſide, coniunctio. Virentes Alſatiæ lauri inter fulgentia Franciæ lilia iam altius exſurgunt; et palmis triumphalibus Gallia ferax noſtris Apollinaribus palmis nouum ſubinde virorem vigoremque conciliat, et quod ſperamus, conciliabit aeternum. Vigeat perpetuo in Regia hac Academia, ſub Borboniis auſpiciis, incomparabilis literarum artiumque defenſor, et illuſtria Argentinenſium Parentis, Muſarumque Patroni encomia, inter tot rara decora, ad ſeram ſanguinis ſui poſteritatem propaget. Salue ergo exterorum delicium, naturæ miraculum, Alſatiæ tellus. Salue magna Rheni regnique cuſtos, præſentis et futurorum ſeculorum admiratio; florentiſſima Gallicarum regionum corona. Salue cara cœlo, cara Regi, Reginæ Tuæ dilectiſſima prouincia. Tu tantæ Heroidis terra nutricia, per plurium annorum ſeriem, cœleſte palladium in penetralibus Tuis læta fouiſti; ignara tum ſane fatorum, te tibi totique Galliæ Diuam tutelarem, Genti Borboniæ Genetricem fœcundam, Francico Ioui Auguſtam educare Iunonem. Quam repentina Tibi ſurrexit gaudiorum materia, cum Tu, Regalium nuptiarum deuotiſſima teſtis, ſublimem Tuam in Tuis palatiis Reginam adorares; cum Europæ gratulantis applauſus in templis, compitis ædibusque

Tuis

Tuis ouans conſpiceres. Quot pretioſa publicæ felicitatis pignora ab illis temporibus Regius Tibi thorus oſtentat; quando ſingulos auguſtiſſimi matrimonii annos ſacrato partu prouidentia diuina ſignare decreuit. Sic Tu, quæ felix Borboniis Alſatia vocaris, Borbonios Diva Tua reddidiſti felices. Sic Tu, quæ potenti Auſtriacorum familiæ primordia dediſti; quæ tot Archiducum, Cæſarum et Auguſtorum glorioſa mater es, Magnam huius ſeculi Borboniorum Matrem Chriſtianiſſimo Regno educaſti; tot Regum et Heroidum futuram parentem. Tu bellica et militaris Gallorum prouincia Ludouico Tuo non ſpolia opima, nec claras in hoſtes precaris victorias; aureos pacis acturo triumphos, omnibus cruentis potiores tropæis. Tu, Martis olim vltoris rigidiſſima ſedes, perennantis Concordiæ iam templum vocaberis: ex turrium Tuarum faſtigiis non rauca belli claſſica, ſed amicæ pacis tubæ perpetuo reſonabunt. Fruere per omnem ſeculorum profunditatem tam amabili Regum Borboniorum præſidio, Alma et Fidelis Alſatia. Fruere excelſis Tuis dotibus, prærogatiuis, iuribus et priuilegiis, quibus omnes potentiſſimæ Monarchiæ prouincias iam pridem ſuperaſti. Viue in dulci et illibata quiete florens, otioſa. Viue malorum bellique terroris et calamitatum ſecura. Erige Pacifico Heroi Tuo triumphales arcus et laureata inſignia; necte frondentes ex olea coronas; ſacrum pæana vbique decanta. Acclama ex remotis litoribus tuis diuino Principi: Regnet aeternum Galliarum Auguſtus; Regnet Ludouicus Alſatiæ Seruator.

D I X I.

PA-

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXIV.

Qui nouum Borboniæ Gentis in Italia imperium ex hoc loco nuper lætus nuntiaui, Auditores omnium Ordinum et Dignitatum ſplendidiſſimi, idem nouam Ludouicianæ Hiſtoriæ periodum nunc Vobis annuntio. Regnauit per longam annorum ſeriem in Procerum Europæ conſortio felix et inuiolata concordia. Serenos placidi Ludouici vultus et amœnam frontem hucusque venerati ſunt certatim populi, Regum Principumque Legati; tanta profecto fiducia, vt iracundiam a benigniſſimo Rege alienam putarent, qui tam mitem, tam amabilem gentibus ſe ſemper exhibuit. At quam mutata iam facie nonnullis ſe oſtentat Heros tremendus. Stat hodie in arce excelſa vindex indignabundus et minax. Stat Iouis inſtar et tempeſtates, nimbos ac tonitrua ciet, fulmina vibrat, et inter feralia Martis tormenta fatale hoſtibus ſuis exitium intentat. Horreſcit ad ſubitam hanc rerum cataſtrophen ſtupefacta Italia. Stat attonita, vicina nobis et nuper rerum ſuarum ſecura Germania. Vniuerſa expalleſcit Europa, oleas Ludouici in lauros mutatas; ferreas Iani portas ab illo recluſas eſſe Principe, qui illas aeternum clauſiſſe videbatur. Feruent operæ

per omnia vaſtiſſimi huius regni armamentaria; reſonant per vrbes et compita armorum ſtrepitus, bellicis claſſibus portus replentur; et ipſa per tot annos rerum militarium ignara, Militaris Alſatia, quæ numeroſam pacis ſobolem huic ſeculo educauit, ſuis iam quaſi ſedibus excita, et tantorum motuum præſentiſſima teſtis, inexpectatam hanc rerum conuerſionem cum ſtupore contuetur. Quæ res tantam animo Tuo mutationem induxit, Religioſiſſime Regum Principumque Ludouice? Ipſa Tua, Rex Maxime, pietas, Tua gloria et Francici Tui ſceptri veneranda maieſtas. Tu, qui virtute et lenitate es nulli ſecundus; qui rara ſanctimonia es orbi notiſſimus, Tu profecto pius eſſe deſiiſſes, niſi promtus feſtinaſſes ad arma. Feſtinare Te iuſſit magnanima Tua in Auguſtiſſimam Tuam Coniugem pietas; pietas in Socerum; pietas in Gentem fœderatam, tot ſacris amicitiæ vinculis Galliæ Tuæ per tot luſtra coniunctam. Tuum eſt, Rex Chriſtianiſſime, afflictas Regum et Magnatum opes potenti Tua dextra ſuſtinere; Tuum eſt regnis gentibusque iura, leges et duraturam ad poſteros tranquillitatem firmare; Tuum eſt, ſacroſancti diadematis Tui decus et dignitatem vel armorum terrore inuiolatam ſeruare. Reſpice ergo Principem Tuum, martiali iam ornatu et ſplendore fulgentem, deuotiſſima Regi Tuo, Bellatrix Alſatia. Venerare iam ſagatas Herois tui virtutes, Argentina pia, Argentina fidelis. Sit Tibi in Natalibus eius, quos hodie renouas, rarum et ſublime gratulandi argumentum, PIETAS ARMATI LVDOVICI.

Sed

Sed quid ego? ego togatas Ludouici laudes in hoc loco celebrare conſuetus, lituos, claſſica et arma reſonabo? Reſonabo, Auditores, Palladem, quæ belli artiumque Dea eſt, et Vos ipſos habiturus fauentes.

Bella; ſi tollas iuſtitiam, latrocinia appellauit vetus et recentior aetas. Reiicit Heroes illos ſcholi ſapientum, qui ſuperbi gentium domitores, euertere ciuitates, exſcindere populos, ſuis regna fundamentis euellere, præcipua gloriæ ſuæ documenta reputarunt. Quam diuerſos ab his, quam mites Principis Pacifici mores, per omnes imperii ſui annos, Ludouicus expreſſit; adeo vt illum, ſi quem vnquam, ſeculi noſtri Titum, verumque pacis inter Chriſtianos auctorem nec ipſa inuidia appellare detrectet. Meminerit Hannouerani illius fœderis, ante duo fere luſtra percuſſi, Germaniæ Cæſar. Meminerit formidandam illam Hiſpalenſium Fœderatorum ſocietatem, qua a præcipuis Europæ Proceribus deſertus ille Galliam cum Hiſpanis, Britannis Batauisque arctiſſimo vinculo coniunctam conſpexit. Temerarius Francorum gloriæ contemptor eſſet, qui publicæ tum quietis in orbe ſtatorem Ludouicum negaret. Hoc gladium ſtringente, Atheſis, Ticinus et Padus iam pridem humano cruore rubuiſſent, conquaſſatum fuiſſet Belgium Auſtriacum, et innumerabiles hoſtium exercitus Imperator vidiſſet, haud iniquas pacis conditiones recuſans. Quod hic pro tantis meritis Galliæ præmium, quod hoſtimentum Ludouico reponit? Ingemiſcit ſuffuſa lacrymis miſera et infelix Polo-

nia; indignatur vel barbarus Oriens, generoſus Occidens atque politus Septentrio. Reminiſcitur vidua Sarmatiæ Reſpublica omnium calamitatum, quas nuperis temporibus exterorum in patria dominatus produxit. Redit ad priſtinos mores martius ille populus, et in tanta Heroum apud ſe natorum copia, in centuriatis Varſauiæ comitiis, peregrinos ab ambitu regni, ſolemni ſanctione repellit. Aequa et ſanctiſſima lex, quæ vetus imperii renouauit arcanum, ciuem ciuibus imperare debere; quæ ſuam indigenis patriam reddit, quæ ipſam Poloniam reddit Polonis. Reuocatur ad ſolium Piaſtus ille, quem ante quinque hæc luſtra, pacis Ranſtadienſis violatores ex eodem deiecerant; quo ipſe tutelaris Poloniæ genius ſceptris digniorem nusquam inuenit; Princeps, in quo decorando vniuerſam Virtutum, Muſarum Gratiarumque coronam certaſſe diceretis; quem lenitas in proſperis, conſtantia in aduerſis, in vtrisque mira mentis magnitudo ſummis Sarmatiæ Piaſtis aequauit. Tam pulcra, tam perfecta imagine quis Chriſtianiſſimi Regis Socerum, quis Chriſtianiſſimæ Mariæ Parentem non pius agnoſcit? Agnoſcitis vos omnino, Auditores, amore et pietate in optimum Principem iam pridem accenſi. O plenum illud genialis lætitiæ tempus! quo omnis aetas, ſexus et ordo, quo turrita hæc Treboccorum Auguſta, ſuis exſurgens ſedibus, in maximi Regis feſtinauit occurſum. Oglorioſum huic Academiæ diem! quo diuinus ille Heros ex Regali faſtigio ad humiles has Muſas benignus deſcendit; quo omnis Heliconia cohors, tanti numinis

præ-

præſentia felix, veneratione, cultu et obſequio cum ſummis infimisque certauit. Patieris, Placidiſſime Regum, vt ego deuotiſſimus clientum Tuorum, publicus votorum tum conſtitutus interpres, et iam plenus in Te zelo et ardore, ad remotæ Sarmatiæ regiones Te proſequar, et immenſa fatorum Tuorum ac prouidentiæ diuinæ arcana non tacitus, at ſupplex admirer. Quid vero inter tot prodigia primum, quid deinceps, quid vltimo loco lætus timidusque ſuſpiciam? An periculoſum Tuum ex Gallia in Poloniam, per tot caſus et diſcrimina, tranſitum; an ipſam inopinati ad anxios populares adventus Tui opportunitatem; an improuiſa tot myriadum, Te, Te Regem vnanimi clamore poſcentium, gaudia. Cum ſæuis Neptuni fluctibus luctari credebaris, et ſubito Deus ex machina prodis, ciuiumque Tuorum metus et angores præſens depellis. Circumuolitabant Te ſtatim albæ et præpetes Polonorum Tuorum aquilæ; gratulabatur Senator, Eques, miles et ciuis; omnes ſub Te indigena Principe aurea ſe acturos tempora ſperauerant. Dignum, cui veteres illi ex Iagellonica et Piaſtea proſapia Reges intereſſent, ſpectaculum! At liuor interea et furens inuidia, ex ſpecula vicina, naſcenti huic Regni exultantis gloriæ et felicitati haud occulte inſidiantur. Ruſſia, ferox et pertinaciſſima Poloniæ hoſtis, tot ſpoliis, tot prouinciis eidem ereptis iam pridem ſuperba, ſub ſpecioſo libertatis defendendæ titulo, vi et armis Sarmatico ſolio peregrinum imponere decernit. Fit nouus Triumuiratus, Polonicæ Genti haud minus funeſtus,

quam impius ille Cæſareanus olim Romanorum libertati eſt viſus fatalis. Terror et pallor recenti ſuccedunt lætitiæ. Volitant per vaſtiſſimos Sarmatiæ campos fuſcæ et rapaces Moſcorum aquilæ; aduolat Saxonica; ſtat vicina Auſtriaca biceps, tot cauſſa malorum et læta ſpectatrix. Torvæ Ruſſorum legiones cædibus, ferro et flamma per totum fere Regnum impune graſſantur. Miſeranda Polonia! ſi tanto tibi pretio tua conſtat libertas; ſi tam diris legum tuarum defenſoribus tibi opus eſt, libertas profecto tua peior ipſa Moſcorum ſeruitute videtur. Veſtram heic ego fidem et arbitrium appello, Auditores; quid in hoc rerum articulo ipſa iuſtitia, ipſa pietas, ipſa ſanctiſſima decernat religio? Num Socerum, tam caris, tot pretioſis ſibi pignoribus iunctum; num ſocios, in præſentiſſimo ſeruitutis ſubeundæ periculo verſantes, et opi Gallorum conſtanter confiſos, timidus deſereret Ludouicus? Iniurius in maieſtatem imperantium es, quisquis hæc a pio, a magnanimo Rege vel votis expectas. At ipſum tamen, in hoc quoque negotio, Galliæ ſuæ expectationem ſuperauit in floridæ aetatis feruore conſtitutus Rex iuuenis, Rex promptus et alacer. Blande et benigne ſævos illos iurium Polonicorum violatores a ferocibus conſiliis dehortatus eſt; ipſis quoque fœderatis conciliatoribus vſus monuit, vt ſuo contenti abſtinerent alieno; arma et minaces vultus e longinquo oſtendit, nihilque adeo ex omni parte intentatum reliquit, vt ſanguini parceretur humano, vt dulcis et placida Europæ quies, illo auſpice tam diu ſeruata, hodieque duraret. Vicit denique

nique Ludouici patientiam obſtinata aemulorum pertinacia. Hoſtes humanitate eius vinci noluerunt; vincendi ſunt armis. Stringit Rex vltor fulmineum enſem; aequanimitati ſuccedit tarda, at grauis vindicta. Petitur hoſtilibus armis conſtans et fidus Ruſſorum fœderatus, Germaniæ Cæſar; componit ſuas opes vniuerſa Borbonia Domus, per florentiſſimas terræ habitabilis partes extenſa; accedit animoſus Sardorum Monarcha, Borboniis vinculo arctiſſimo iunctus. Triplici fœderi triplex opponitur fœdus. Fœdus ſanctiſſimum, vindicandæ libertati ſociorum oppreſſæ; repellendæ communibus armis atroci iniuriæ, Borboniorum Genti tam audacter illatæ. Fœdus glorioſum, quo potentiſſimæ Stirpis formidanda maieſtas, noua ſub ſpecie ſublimis refulget; concordiæ perpetuo duraturæ quam felix præſagium! cui ex cœleſti aeternitatis arce Magnus ille Borbonidum Sator, Diuus applaudit Ludouicus; pacis olim per orbem, ſed et Francicæ dignitatis, imo iniuriæ, gentibus vel remotis illatæ, vindex auguſtus. Tibi ergo, ex tam longo pacis interuallo, claſſicum canitur, martia Gallorum ſoboles; tu ex vaſto vndiquaque regno ab otio tuo ad arma, ad arma vocaris; tibi nouum bellicæ virtutis, in diverſis Europæ partibus, aperitur theatrum. Traiicis intrepida Rhenum et Alpes; flagras in media hyeme igneo pugnandi prœliandique ardore; nihil viribus tuis imperuium, nihil inuictum; munitiſſimæ arces, propugnacula et vrbes, imperterritæ tuæ mira celeritate ſuccumbunt virtuti. Ruunt, te appropinquante, Picceleonis, Cremonæ,

Me-

Mediolani, Nouariæ atque Dertonæ præcipites muri, quos inexpugnabiles paulo ante ambitio iactauerat. Properant in obſequium Mortaria, Laudum, Comum atque Ticinum, aliæque florentiſſimæ gentium ciſalpinarum ciuitates, et trimeſtri fere ſpatio vniuerſa Gallicis et Sabaudicis armis ſubiicitur Inſubria; nobili ſane regno haud impar prouincia. In Rhenanis vero partibus noſtraque vicinia, Kehlenſi propugnaculo per ludum expugnato; ponte non vno ſuper Rhenum confecto; nouis operib s hinc inde extructis, Gallico militi armisque noſtris iam patet Germania. I fama! et contumacibus Francorum aemulis nuntia, Francicam nullis temporibus degenerare virtutem; Francicam pubem in ipſa toga ſemper eſſe ſagatam, et in profunda pace martios ſuos ſpiritus alere; contumelias vero Regi ſuo illatas, inter ipſos hiemalium tempeſtatum rigores, hoſtium ſanguine et quouis pretio ociſſime vlciſci ſolere. Acuunt præſentia ſua militares animos temporum noſtrorum Theſei, Caſtores atque Polluces, Caroleſius, Contius, Dombenſis Augenſisque, Sereniſſimi ex ſanguine Borbonio Principes, et feruido ſuo pro Gallica gloria zelo dignos Herculeis ſatoribus ſuis ſe oſtendunt nepotes. Superſunt ex invicta illa Ludouici Magni militia, tot veterani multarumque palmarum Duces atque Heroes; vitam, quam Proauo generoſe obtulerant, pro auguſto iam Pronepote lubentes fuſuri. Superſunt duo illa fulmina belli, Villarſius atque Berwicius; nomina hoſtibus Francicis pridem fatalia; in quibus veteris aeui Martellos, Carolos atque Pipinos reui-

reuiuiſcere diceretis. Ille re et titulo fortiſſimus huius ſeculi Hector; niſi quod in viridi ſenectute viridem illius Troiani iuuentam ſuperare videatur. Hic ex ſublimi Guillelmi Conqueſtoris proſapia natus, antiquum ſanguinis ſui decus famamque conſtanter et glorioſe tuetur. Vterque Francici Poliorcetæ cognomento digniſſimus. Ille inter iocos militares munimenta et vrbes ludibundus expugnat. Hic morum et diſciplinæ tenax, inter gladios et armorum licentiam, Cretenſem illum in caſtris repræſentat Minoem; in vtroque mira humanitas, virtus et affabilis decor, cum imperatoria dignitate et magnanimitate coniunctus. Laureatas iſti plures, hac ipſa hieme, Ludouico in Galliam miſerunt litteras, quam diuturno imperii ſui tempore multi Reges Principesque acceperant. Et quis tandem eo dignior eſt, vt tam præſenti Numinis auxilio, fauore et beneuolentia fruatur? Ille proſperos armorum ſucceſſus, non Ducum ſagacitati, non opum ſuarum potentiæ, ſed illi ſupremo bellorum et victoriæ moderatori vnice adſcribit. Ille, repetita per vniuerſum Regnum ſupplicatione ſolenni, ex cœleſtibus illis benignitatis diuinæ radiis novum hunc felicitatis ſplendorem in ſe deriuatum eſſe deuotus agnoſcit. Ille pia bella ſuſcipit, ſuſcepta pie et ſanctiſſime gerit; hoſtium ſubditi ſub hoſtibus Gallis ſecurius ſane viuunt, quam ſub Germanis amicis. Ille tanta abſtinentia, tanta moderatione regnat, vt non ab augendis regni prouinciis, ceu Philippus ille Capetius, AVGVSTI elogium apud poſteros expectet; quicquid contra in vanum effingat hoſtilis invidia.

Intellexit profecto Germania, et pars eius amica porro intelliget, Regem pacis, fœderum, libertatis iuriumque Teutonicorum fidum cuſtodem. Intellexit Europa, eum nec vicinis, nec remotis gentibus vllas vnquam intuliſſe iniurias, ſed iam repuliſſe illatas. Sentiet porro orbis, ſolam in ſuos populumque ſœderatum ſanctimoniam Ludouico bellandi impoſuiſſe neceſſitatem. Non aeſtuat Ille inquies anguſtis regni limitibus; non cœco dominandi pruritu agitatur aut oeſtro, ſed ſuos imperio populos regere, ſublimes illas pacis artes a tenera aetate, ſub fidis ductoribus ſuis, tractare conſueuit. Altera ergo manu tremenda belli fulmina, altera lætam hoſtibus oſtendit pacis oliuam; ſi ad aequas illi conditiones animos flectere, ſi læſam eius patientiam placare ſatagent. O dignum magnanimo et Chriſtianiſſimo Rege bellum! O raram et inauditam victoriam; qua victi victoris clementiam vincunt; in qua tanta humanitas, tanta humani ſanguinis parſimonia regnat. Iactetur in fabuloſis veterum Annalibus pius ille Troianorum Aeneas; commemoretur inter Carolidas Francorum Reges Ludouicus ille Pius, at Principum dignitatis defenſor infelix. Hic, hic noſter Borbonius ſeuera pietate ſuos et ſceptri ſui decus, cœlo et terra plaudente, tuetur. Salue ergo in noua Tua bellicæ maieſtatis gloria, Potentiſſime Regum Principumque, Ludouice, Triumphator Auguſte. Salue Iouis tonantis diuina ſoboles; terror aemulorum; domitor hoſtium; oppreſſæ libertatis magnanime vindex; ſociorum periclitantium inuicte defenſor. Admiratur Chriſtianus orbis repen-

tinas

tinas armorum Tuorum primitias, quas Tu, Heros excelſus, Tu pius et felix Borbonida omnipotenti pacis bellique arbitro, in illuſtriſſima totius Europæ luce, ſupplex et gratus obtuliſti. Tremit iam ſub pedibus Tuis Italica tellus. Timet aemula potentiæ Tuæ Auſtria, fruſtra Tuos et Fœderatorum Tuorum indignata ſucceſſus. Sed quum Te, Tui ductorem exercitus, fida Tua aliquando cernet Alſatia; cum Tu ipſe præſens legionibus Tuis heroicum inſpirabis ardorem; Deum immortalem! quam Tu longe lateque per hoſtium regiones ſublimis et paludatus incedes, impauida virtutum comitatus caterua. Præcedet Te Fama et Victoria, ſequetur Triumphus. Sequentur victi populi victæque prouinciæ, Tibique clementiſſimo victori lætum pæana certatim cantabunt. Applaudent omnes Tuo et ſociorum imperio ſubiectæ vel remotiſſimæ gentes; applaudet orbis vtriusque Oriens atque Occidens. Te denique ex ſuperatis hoſtium terris reducem, laureis et victricibus palmis onuſtum, hymnis et ardentibus votis excipiet læta Tua et armipotens Francia. Hæc Tibi iam coronas et ſtatuas palmares, hæc triumphales currus et laureata inſignia, hæc clypeos votiuos et liliata tropæa, vrbium captarum ſpoliis ornata, iam parat; et ipſa Victoria, Tuæ perennis gloriæ velox prænuntia, ſacris ad poſteros monumentis inſcribet: Sic vincit, ſic regnat, ſic pius in armis Ludouicus triumphat.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXV.

Memorabilem magnis euentibus annum nuper emenſi ſumus; Auditores omnium dignitatum Ordinumque ſplendidiſſimi. Vix pacem bello commutauerat Gallia, cum vniuerſi Europæ populi, rerum futurarum expectatione ſuſpenſi, ſuos in eam oculos mentesque fixerunt; ab eius proſperis aduerſisue fatis ſua quaſi fata et ſucceſſus metientes. Secundat heroicos Principis bellatoris conatus illa ridens et placida cœli applaudentis fortuna, et liliatum eius diadema laureis ac victricibus palmis exornat. Stat hodie in Martis Vltoris et Victoriæ templo victor auguſtus, ac non modo de hoſtibus, ſed de ipſa quoque rerum natura felix et ſublimis triumphat, Gallicæ virtutis ſplendorem ad ſummum nuper gloriæ culmen perueniſſe lætatus. Tam illuſtria pietatis ſuæ præmia capit Regum Principumque ſanctiſſimus, diuinus Lodoix. Quem ipſa Religio ad bellum armauit, quem ipſa Moderatio comitatur in bello, hunc ipſa ex bello coronat Victoria. Feſtinat ad triumphalis huius pompæ ſpectaculum, deuotiſſima Regi ſuo Alſatia pia, Argentina bellatrix. Gratulatur hodie maximo Principi magnos Natales, proſperosque hos rerum

et armorum ſucceſſus, quæ inter feſtiua gaudia ſummas Galliæ ciuitates zelo ſemper et ardore ſuperauit. In hac publica ciuium felicitate ſolus ego inglorius et infelix Orator, cui tantis rebus digne narrandis eſt impar facundia. Faciam tamen, Auditores, quod Veſtra me pietas et auctoritas iubet; GLORIAM BELLIGERANTIS LVDOVICI pietate plenus prædicando mirabor. Summa tot rerum mirabilium faſtigia ſequar; ſi minus aſſequar, Veſtro fauore et beneuolentia fretum magnis ſaltem auſis excidiſſe iuuabit.

Ludouicorum Capetingicæ ſtirpis felicitati per longam ſeculorum ſeriem tot rara monumenta non Francia, ſed orbis erexit, vt paucos recens et antiqua hiſtoria Principes illis oſtentet æquales, nedum gloria et maieſtate ſuperiores. Salutare hoc Galliæ et vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ nomen tam auſpicatis hodie ſucceſſibus Ludouicus exornat, vt primigeniæ illi fortunæ longe auguſtius ſane templum extrueret, quam ille, de quo Roma olim dubitauit, fortiorne an felicior eſſet Sylla Dictator. Nonnullos ex deceſſoribus ſuis pietate, alios iuſtitia, alios lenitate et magnitudine mentis exæquat, fama et gloria, ſi expectatio noſtra et vota complentur, ſuperaturus omnes. Hanc ſibi longa pace firmam ſtabilemque reddiderat Gallia, publica regni, per tot annos, cum vicinis et remotis gentibus, terra marique tranquillitate ſeruata; ſed limis et liuentibus eam oculis adſpexit aemulorum inuidia, glorioſos noſtros ad boream remorata ſucceſſus;

quæ tandem vel inuitum ad arma pertraxit mitiſſimum Regem. Nec ipſa ſtrenuum hunc pacis cultorem militaris deinceps deſeruit gloria, Auditores. Regnat et vincit bellax Ludouicus; fortunæ manenti hodieque pia vota perſoluit, et iam fauſtum illud ſui nominis omen BELLO CLARVS adimplet. Enimvero ſi mirabiles eius et ſociorum in Italia orisque noſtris breui penicillo delineamus progreſſus, an non ambo florentiſſima Siciliæ Regna, cum Inſubriæ Ducatu, quem regnum appelles, duo inclyta ad Rhenum Germaniæ munimenta, tertiumque ad Moſellam, duodecim menſium ſpatiò, Germanorum Imperator amiſit; pluriumque annorum opus vno anno Ludovicus confecit? Magna profecto proſperorum ſucceſſuum celeritas, Auditores; maxima in celeritate fortitudo, in fortitudine gloria et rara felicitas! Superbit in alta ſua rupe minax illud, et publicis annalibus tantopere celebratum Trarbacenſe caſtellum; belligerantibus populis longe lateque incutit terrorem; at fulminantis Inſulani, Aiacis illius Francici, manu ita percutitur, ita quaſſatur, vt vile et proiectum iam iaceat cadauer, nec vlla priſtinæ dignitatis veſtigia conſeruet. Maioris hæc auſi præludia diceretis, Auditores. Noua temporum noſtrorum Numantia Gallicis armis oppugnanda decernitur. Conſilio obſtare viſa eſt Etlingenſis illa foſſa vallata, quam munitiſſimo propugnaculo parem hoſtilis prædicauerat iactantia. Vidit vaſtum hoc Sueuiæ repagulum miles noſter et momento perrupit, ad maius et altius exercendæ virtutis feſtinans theatrum. Philippopolis ergo,

illud

illud bellicæ artis et naturæ miraculum, illa vrbium ad Rhenum munitarum regina, et loci ingenio, et omnium rerum apparatu terribilis, obſidetur a Gallis. Ad hanc, veluti ad alteram Troiam, confluxerant non vnus vel alter Menelaus et Aiax, ſed innumerabilis heroum exercitus, inaudita virtutis prodigia, in illuſtriſſima totius Europæ luce, certatim editurus; quaſi vniuerſa in ſola hac vrbe vincenda Germania. Vix cœpta obſidio, cum ferox ille et pertinax Teutoniæ cuſtos, ſua indignatus litora, tumentibus et rapidiſſimis vndis, ceu tutelaris vrbis genius, ad eam ſeruandam accurrere viſus eſt; priſcam inter duo potentiſſima regna Dei Termini gloriam a Gallis dubiam ſibi reddi iratus. Neptunum cum aequoreo Nereidum Tritonumque comitatu Regiam ibi ſuam ſtabiliuiſſe crederes, vbi Aetnæus ille cum Marte Vulcanus ſuas quoque nuper officinas erexerant. Omnes operum bellicorum fructus fere noſtris perierunt; nulli iam aggeres aut obſidionales acceſſus; nulli cuniculi aut vineæ, nullæ vinearum aggerumue loricæ; nihil erat, quo contra inſultus hoſtiles corpus tegeres; militaribus foſſis in profundas voragines et charybdim mutatis. Quid inter has Rheni exundantis iniurias, inter tanta pericula, fortitudo Gallorum? Illas paludes, illos gurgites nudus, audax et intrepidus mira conſtantia miles ingreditur; penetrat per illud nouum et turbidum pelagus; ſtat firmus, immobilis, ad pectus vsque; aquis immerſus, et ſua iam ſola virtute ſuffultus; ſtat dies noctesque, Ioue imbribus, hoſte miſſilibus ac omni tormentorum genere ex alto

mœni-

mœnibusque ingruente. Noſter contra, aperto marte, ex inferiore loco furens intonat miles. Grandines ignitorum globorum flammeosque imbres mediis ex aquis in obſeſſos immittit; irruit in propugnacula; cædit, fugat, proiicit hôſtem, vrbemque, oppugnantibus olim Suecis nondum a Ludouico Magno munitam et totius tamen anni obſidio vix expugnabilem, quadraginta dierum ſpatio, terra et cœlo inuitis, expugnat: expugnat, inſpectante ipſo hoſtium Duce; at quanto Duce! ad cuius vel ſolum nomen, tanquam ad certam victoriæ teſſeram, accurrit Germania; inſpectante Principum, et Ordinis Equeſtris Germanici flore, centumque millium hoſtili armatorum exercitu; vegeto ſane et belli laboribus nondum fatigato; qui tanto ſpectaculo attonitus ſuum in Gallos ruendi ardorem in admirationem denique et ſtuporem conuertit. Superat fidem, Auditores, quod inter tam multiplices caſus, in hac lerna malorum, ne vox quidem refragantis, ſortem vel vulnera dolentis vnquam audita eſt: primus et infimus vnice graſſabantur ad gloriam, de vita et fortuna ſua parum ſolliciti; nouitius et ſubitarius miles cum audaciſſimis veteranis fortitudine et pertinacia pro impetranda obſidionali corona certauit. His Tu, Pyrrhe, commilitonibus orbem terrarum facile Te domiturum iactaſſes. His vos, vrbium domitores, Marcelli, Mummii, Scipiones, Syracuſas, Corinthum atque Carthaginem breuiori temporis ſpatio expugnaſſetis. Prodigioſa hæc ſi non omnis prædicabit poſteritas, veſtram, ſecula futura, fidem! quid tandem in numerum pro-

prodigiorum reponetis? noſtræ profecto incredibilia aetati, niſi miraculis nos pridem aſſueuiſſet Ludouici felicitas, cui tantis rebus decantandis nouus in hanc lucem merito iam prodiret Homerus. Tantæ molis erat hoc Teutonicæ ſecuritatis palladium eripere; hæc Pergama, hanc Troiam extorquere Germanis. Occidis ad eam, Inuulnerate Gallorum Achilles, Inuicte Berwici; occidis eheu! viduumque Tuum relinquis exercitum, Te Duce inſuperabilem, Te imperatore ſecurum. Terror et pallor, inde fletus et gemitus certatim oborti. Ipſe durus ingemuit hoſtis, Te pium et magnanimum hoſtem, iuſtiſſimo proſecutus dolore. Actum eſſe de Francica ad Rhenum felicitate iam exultans clamitauit inuidia; at ſuperſtes Tibi fuit ſagax conſilio Burgius, Alſatiæ Neſtor; ſuperſtes Diomedes, ſuperſtes Vlyſſes, Asfeldius atque Noallius, cara Marti et Bellonæ nomina; in quibus excelſus ille genius et imperatoria Tua virtus adhuc viuit et regnat. Et quantam in Vobis Gallia reponit fiduciam, Sereniſſimi ex ſanguine Borbonio Principes, Aulæ Martisque deliciæ; ſiue Te reſpiciam, militiæ decus, bellicoſe Claramonti, Magni Condæi digniſſime Pronepos; in quo erecta et heroica Maiorum Tuorum refulget imago; ſiue Te, militum amor, Contide, ſeculi præſentis impauide Hector, qui inter victricia Galliæ arma tam felix adoleſcis, et in omnibus belli periculis herculeam imperterriti illius Contii ſpeciem Tecum lætus circumfers. O beatum illum candidumque ſolem! qui Vos in florentiſſima tot Franciæ Heroum Procerumque co-

rona, pro Ludouici gloria tanto ardore tantaque audacia pugnantes aſpexit. Reſpiremus pauliſper, Auditores, obruit me rerum magnitudo et copia. Sed laſſum licet imparemque labori ad ſua quoque portenta me rapit Martialis Italia. Illic exoriens nouum in Campania ſidus conſpicio: Borbonium ſidus, quod vtraque Sicilia ſupplex adorat. Fortunate Carole, quo vsque Te tandem Tua fata extollent? Vix Tibi Ducatus aſſignauerat orbis, et Regna iam aſſignat prouidentia diuina; vix Inſubricum diadema audacibus Tibi votis precati ſumus, et duplici Regia redimitus iam ſuperbis corona. Aduolat Tibi nouus ex Hiſpania Hannibal, Montemarius Tuus, Germanis Romanorum inſtar ad internecionem deletis, veteres Cannas ad hodiernum renouaturus Bitontum. Ruunt in obſequium Tuum munitiſſimæ Neapoleos vrbes, Caieta, Gallipolis, Aquila, Peſcara, Brunduſium et non illa mollis olim, ſed bellax iam Capua. Ruunt trans Pharum Himera, Catana, Mylæ, Meſſana et Regia Panormus. Sic Tu ex maiorum oſſibus ortus es vltor, qui regna Andegauis olim et Valeſiadis violenter erepta, vindicas Borboniis; poſt Normannos, Andios, Aragonios, atque Auſtriacos, nouæ Borboniorum in vtraque Sicilia periodi conditor, atque diuinæ proſapiæ in florentibus illis regnis primus ſator et, quod ſperamus, propagator auguſtus; dignus, qui ſublimia Tancredi, Roberti, Rogeriorum Alphonſorumque veſtigia legas; dignus, qui regnum, quod Diui Ludouici frater, Carolorum primus, armis acquiſiuerat, Tu ſerus Diui Ludouici nepos, Carolorum

rum ſeptimus, ad ſanctiſſimam huius gentem armis reducas. Sed Vos heic Veſtro a me iure poſtulabitis, Auditores, vt Vobis præcipuos tantorum ſucceſſuum tantæque felicitatis promotores expromam. Horreſcens et trepidus Inſubricas anni præteriti Gallorum victorias Vobis mente reuoluo. Loquantur pro me Ollius, Padus, Nicia atque Gabellus, humano nuper toties cruore rubentes. Sua Vobis narrent portenta Colornus; Parma, Nuceria aut vicina Vaſtalla; tot funerum teſtes, tot Franciæ heroum oſtentantes ſepulcra, quos præclara illic nobilitauit pugna; quos præceps illic abſtulit fatum. Vix prœlia legas, vbi plus laudis a victore victi reportauerint hoſtes; vbi victores, vt reportarent victoriam, indomito ſuo robore magis meruerint. Nihil heic prorſus ſorti vel caſui, nihil indulgenti aut ambiguæ debetur fortunæ. Quid equitatu Francia polleat, loricatus Cæſaris eques, terribilis illa turma, in fugam proiecta, ad perpetuam temporum memoriam vel inuita docebit. At noſter peditatus, vt Marpeſia rupes, cedere neſcius, et fortiter aggredi, et nunquam regredi, veras militis Francici dotes eſſe, immortalibus iam exemplis dubias Europæ nationes edocuit. Cecidiſtis in acie innumerabiles omnium ordinum et omnis aetatis bellatores inuicti, ſed haud cecidiſtis inulti. Ferociſſimos hoſtium Duces primo Nemeſi immolaſtis furore; immolaſtis totos Germanorum prœliantium ordines; Conium Broliumque ſtrenuos ſeruaſtis victores. Fruamini per omnia ſecula veſtro pro patria zelo, fortiſſima pectora; veſtris apud inferos

manibus læta bis iam parentauit victoria et, donec virtuti pretium ſtatuetur, fama parentabit aeterna. Nihil profuit hoſtibus, quod nos in diuturna pace viximus, vt iactabant, imbelles; quod integer eorum exercitus, nullis hyemalibus vrbium obſidiis, vt noſter, fatigatus; nihil, quod nos ad Gabellum doloſe imparatos adorti ſunt. Breuiſſimi hæc temporis lætitia fuit, triſtiori mox ſorte vel fato penſata; vt vniuerſus intelligeret orbis, Gallos dolo vinci poſſe, virtute non poſſe; vt inſecuta Gallorum eo illuſtrior acerbiorque Germanis videretur victoria; quæ vaſtiſſima eorum conſilia et ſpes nimium auidas vno mox ictu, fulminis inſtar, ad Vaſtallam euertit. Salua ergo res eſt, Auditores; ſeruata fuit ſocio Parma, ſeruata Placentia; tutus in vtraque Sicilia regnat Carolus, in Inſubria debellata Sabaudus. Tam felicia potentiæ augmenta meretur auguſtus hic Franciæ Commilito, Sardorum Monarcha; de quo nihil non magnum et affine prodigio conſtans nuper fama prædicauit per orbem. Ille in pace profunda amœnis illis artibus pacis innutritus, Princeps togatus, ad vicinos Inſubrum fines heros ſubito ſagatus appellit, qui militiæ rudis profectus credebatur Taurino. Imminet cum transalpinis ſuis in omnem expromendæ virtutis occaſionem; iam læuus, iam dexter, iam per veſtigia ſua recurrens; penetrat per conferta hoſtium irruentium agmina; conſilio et audacia nulli ſecundus; vbique ſimilis exercitato militi et veterano heroi; qualem eſſe decebat, quem Borbonius cum Sabaudico ſanguine iunctus, quem Francica mater herois produxit,

duxit. Cerneret iam felix Auſtriacæ potentiæ ſtator Carolus ille Quintus florentem hanc Regum Auſtriam debellantium trigam, nunc demum, fortunam iuuenum amicam eſſe, ira et indignatione plenus fateretur. Quis Tuus ad tanta prodigia ſenſus eſt, bellica Tua gloria felix et triumphalis Ludouice? quam fortibus, quam fortunatis et conſtantibus Sociis in iuſtiſſimo Tuo bello gloriaris, Heros excelſus. Militat Tibi omnis cum vaſto ſuo orbe bellicoſa Hiſpania. Militat vtraque feruens Infera et Suprema Italia. Media ſtat prudens et propoſiti ſui tenax, opulenta Batauia. Quieſcit Britannia, et ipſa ex parte Tibi fauet, ſucceſſuum Tuorum haud triſtis ſpectatrix, populoſa Germania. Quid maius et ad laudem Tuam illuſtrius ingenioſa de Te fama iactaret, quam quod Tu Regna et Ducatus, Tuis præſertim armis opibusque ſubactos, tanta Sociis magnanimitate relinquis, ſola generoſi et largiſſimi victoris contentus gloria. Hæc Galliæ, hæc Alſatiæ Tuæ tam cara eſt, vt opes illæ ſuas, vitam et ſanguinem Tibi pio, Tibi magnanimo bellatori promtæ lubentesque profundant, qui amore et lenitate cordibus noſtris iam pridem imperare ſueuiſti; qui in medio victoriæ curſu aequas pacis conditiones admittis. Deſiſtat tandem a violentis conſiliis ferox et implacatus Septentrio. Regnet in ſuo Regno quietus Tuus Socer Auguſtus. Redeat ad Sarmatas priſtinus ille ſplendor et læta tranquillitas. Ruant in mutuos amplexus Auſter, Oriens et Occiduus Orbis, ac ſublimia Tua Galliæque triumphantis tropæa inter aureas dulcis et perpetuæ pacis delicias admirentur aeternum.

D I X I.

PA-

PANEGYRICVS
LVDOVICO XV.
REGIIS NATALIBVS DICTVS
ANNO MDCCXXXVI.

Qui anno ſuperiore Franciæ bellatricis gloriam plenus ardore ex hoc loco celebraui, Auditores omnium Ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi, idem tranquilliore iam animo verba ad Vos facturus exſurgo. Reſonabant tum adhuc in auribus noſtris reboantia Philippopolis expugnatæ tonitrua. Obuerſabantur oculis horrentia Martis Italici prœlia; viri certatim in arma ruentes; heroës atro hoſtium cruore reſperſi. Immutata eſt, ita decernentibus fatis, rerum Chriſtianarum facies, Auditores. Bellum paci vicinum pacisque prænuntium hodierna dies lætæ et reuireſcenti manifeſtat Europæ. Nupera Gallici exercitus ad Rhenum expeditio, mole licet ſua terribilis, inſtantem nobis rerum temporumque conuerſionem haud dubie præſagiuit. Miteſcunt exacerbati Principum belligerantium animi, de vera in orbem reducenda concordia nunc vere ſolliciti. In hac noua tranquillitatis exorientis aurora ſedatior eſt quoque Oratoris animus, ad nouam ſeculi feliciſſimi fiduciam nunc prorſus erectus. Plenus eſt admiratione Auguſtiſſimi Regis, cui anniuerſaria vota ſupplex Argentoratus hoc die perſoluit; quæ gratus mox orbis vniuerſus perſoluet.

Tu

Tu interea Principi Tuo hymnos et pæana decantas, Alſatiæ Dea, et quæ PIETATEM, quæ GLORIAM Inuictiſſimi Regis nuperis mecum annis iam admirata fuiſti, nunc MAGNANIMITATEM BELLIGERANTIS LVDOVICI pleno mecum ore plauſibusque celebrabis.

Magnanimitas omnium, quæ mortales ornare poſſunt, virtutum compendium, geniisque connata cœleſtibus, in eorum præſertim palatiis fixam habere ſedem meretur, qui vicariam Dei in terris poteſtatem ſublimes exercent. Hæc omnia Patriæ Patris, Felicis, Augusti, Victoris complectitur elogia; hæc ſola fere Procerum indolem a ceterorum mortalium ſtatu et conditione diſtinguit. Enimuero quodnam maius illuſtriusue populis beneficium præſtare poteſt magnanimus Princeps, quam ſi eos longa pace reddat felices, ſine qua omnis lubrica eſt et incerta felicitas. Placidam hanc rerum regnorumque quietem ſub Rege molli, aut voluptatis amante, non Principis ſed ſocordiæ donum appellares. Ludouicus, in feruido aetatis conſtitutus vigore, immenſis præpollens opibus, ad arma capienda toties opportune inuitatus, et martios ſuos ſpiritus, et bellicos aliorum pruritus mira ſemper cum magnanimitate repreſſit. Hinc tot fœdera, Hagæ Comitum, Londini, Madriti, Hannoueræ, Hafniæ, Hiſpali aliisque in locis eo conciliante inita, quot integris vix ſeculis noſtri conſpexere maiores. Intellexerat hoc Regis beneficium orbis, ſed haud intellexerat ſatis. Turbanda fuit gentium quies, vt magnanimitas

nimitas eius nouo et illuſtriori colluceret ſplendore. Venerat ergo tempus illud, Auditores, quo minax incolis Europæ tempeſtas ex horrido Sarmatiæ cœlo ſurrexit; quo præceps mortalium violentia immani quodam ſanguinis eluenda videbatur diluuio. Non appetiit bella ferox Ludouicus, ſed nec timidus iuſta reformidauit. Prodit e ſacro Chriſtianiſſimi Regis conſilio in publicam orbis Chriſtiani lucem ſacroſanctum decretum: Quisquis Sarmatiæ libertatem violaſſit, hoſtis reputator Gallorum. Digna vox, quam magnanimus temporum noſtrorum Antoninus emitteret; quæ belli iuſtiſſimi a Ludouico gerendi foret prænuntia; quæ in Franciæ Poloniæque Annalibus aeternum perennet. Mactus ſis Tua in bello decernendo magnitudine mentis, Regum Principumque ſanctiſſime, Heros auguſte. Inaudiuit hæc oracula Tua attonitus orbis, eorumque complementa mox ſtupens conſpexit. Alii pro euertendis vicinorum iuribus arma capeſſant, Tu pro remotiſſimæ gentis libertate tuenda tam promtus accurris. O celebrandas omnibus ſeculis illas Idus Octobres! quibus Tu, ob violatas Poloniæ leges, ducenta armatorum millia in aciem vindex libertatis oppreſſæ produxiſti. His Te facinoribus digniſſimum Sancti Ludouici veneramur nepotem. Huc, huc Francicæ famæ obtrectatores perpetui, qui alias belli cauſas ſub his coloribus occultatis inuidioſe iactitatis. Si hæc modo ſpecies obtenta eſt bello; ſi procax dominandi libido ſola Gallos armauit, cur illi, omnibus rebus iam pridem inſtructi, non aliquot ante menſes, non media iam

aeſtate

aeſtate feſtinarunt ad arma. Satis iam offenſarum, ſatis iam belli cauſæ in Polonia præceſſerat. Corruiſſent præcipites ſuperbi illi Briſacenſium, Friburgenſium aut Moguntiæ muri, ſi vel primo belli iam indicti impetu imparatos adortus eſſet Gallorum exercitus. Sed frena ardori ſuo Rex Optimus impoſuit, et omne reſipiſcendi tempus ſuis aemulis conceſſit; ſolum Kehlenſe propugnaculum expugnare contentus; vt arma ſe tandem induiſſe ſerio hoſtes præfractos armatus doceret. Inſequente mox vere, an non audacibus turmis et legionibus ſuis nudam adhuc defenſore exercitu inundaſſet Germaniam, ſi ſecundis fortunæ ſuæ velis vti, quam ad duros illos Philippopolis aggeres hærere maluiſſet. Sic rarum victoriæ genus ad Rhenum didiciſtis, Auditores. Abſtinendo a victoria tutiſſimum ad ipſam victoriam ſibi iter Ludouicus parauit; erigendis præcipuis belli trophæis deſtinata Italia. Illic horriſonis fragoribus intonuit armipotens illa Francorum Bellona. Illic Atheſis, Ticinus et Padus repetitis toties tremuere fulminibus. Illic longe lateque per Auſoniæ campos victricia Gallorum lilia volitauere. Inſuber, Appulus, Campanus, Calaber, vterque Siculus Borboniæ genti ſua colla ſubmittunt. Stupet Heſperius orbis, quod tam ſubito Borbonius factus ſit. In Rhenanis vero his partibus quot vrbes et caſtra in vno Philippopolis expugnauimus caſtro! illud quaſi obſidionis tempus eligentibus Gallis, quo cum omni apparatu et exercitu ſuo vincendus erat ipſe Neptunus. Quieuerant tamen in hac rerum agitatione Luſitanus, Suecus,

Danus atque Boruſſus; quieuit Batauus præſertim et acer Britannus. Veteres hi Galliæ aemuli, qui ad quosuis olim noſtros in Germaniam motus, ſuos ſtatim enſes rotabant, hi, hi profecto iuſtam nunc Francici Iouis iram fatentur, et de placanda ea præ omnibus populis ſunt præſertim ſolliciti. Tanta eſt eorum in Ludouici bellatoris magnanimitate fiducia! Extorſit ergo Rex Maximus hoſtibus ſuis arces, ciuitates, ducatus et regna; at eo ipſo, quo extorſit, momento placidas et pacales præ ſe tulit oliuas; arma poſiturum ſe toties profeſſus, ſi aequas pacis conditiones obtulerint hoſtes. Neque vero contra hos ipſos omnem illum martis rigorem exercuit Mitiſſimus Regum. Quam auſtera et aſpera fuerat, ſub Gallicis vbique Ducibus, diſciplina militaris; qualem vix vlla ſuperiorum temporum aetas conſpexit. Seueriſſimis edictis repreſſus eſt in hoſtilibus oris graſſatorum militumque deprædantium furor; quanta in victos captiuosque clementia! quanta cura! vt pacatis, iniuriam paſſis, damna reſarcirentur illata; vt illis parceretur, quos vel inuitos ad arma capienda bellicus abripuit torrens. Loquatur ipſa vobis Lotharingia Barrique Ducatus, indulgenter profecto et amice tractati. Loquantur præcipuarum Germaniæ ciuitatum negotiatores, quibus perpetuum durante bello cum Gallis commercium haud obſcure conceſſum. Loquantur dulces illæ et amabiles Muſæ, quarum cultoribus, vel ex hoſtium terris, plenam in hac præſertim Academia, inter medias belli flammas, ſecuritatem peculiari Reſcripto Rex Maximus promiſit. Qui

bellum

bellum Muſis indiceret Francia? in cuius Regia totis iam ſeculis regnat Apollo. Sed et vnanimi denique voce loquuntur omnes hoſtilium regionum incolæ, ſub hoſtibus ſane Francis mitius habiti, quam ſub Germanis amicis. Ad ſeruandam Germaniam Gallos adueniſſe crederes, ad perdendam Germanos. Quis tuus inter tanta vicinorum pericula ſenſus erat, fidiſſima Regi tuo, militaris Alſatia. Te, Te, Francici Regni inuictam cuſtodem, innumerabilis hoſtium, qualem per tot ſecula Rhenus haud viderat, petiuit exercitus. Quantus ferociſſimarum legionum vndiquaque concurſus! quas concitus ſedibus ſuis Eurus et Boreas ex remotiſſimis angulis contra te certatim emiſerant. Memorabilem illam gentium migrationem noſtris temporibus reuixiſſe putaſſes, qua Hunnus, Vandalus, Gothus, Alanus funeſta Rhenanis litoribus arma intulerant. At quanto et quam magnanimo vindice tu illæſa ſemper, incolumis et inuulnerata ſtetiſti. Centum millia fortium virorum in præſidium tuum Ludouicus transmiſit. His tu veris fidisque defenſoribus tuis, inter medios Martis furores intacta, omnium rerum abundantia felix, ipſisque, qui a bello abſtinuerant, populis vicinis felicior agitaſti: Burgio quoque Præſide tuo tuta et felix. Hoc tu cuſtodita Palladio validiſſimos ſemper hoſtium minitantium ſpernes conatus. Reſurgeretis e tumulis veſtris, decantati vos veteris et recentis Franciæ Hectores, oræ Rhenenſis fulmina; vidiſſetis Germanicianos hos Ludouici belligerantis exercitus, veſtri profecto aeui tam celebrata militia ipſis fatentibus vobis velitatio dice-

U 2 retur.

retur. Magna hæc mentis excelſæ documenta procul dubio reputatis, Auditores. Rarum eſt Principis præpotentis elogium: ſancte et religioſe ſua bella ſuſcepit, pie et amice ſuos hoſtes tractauit; at ſi in ipſa victoria opimas pacis conditiones obtulerit, quas ipſe hoſtis detrectare erubeſcat; ſi omnium obſtaculorum moras tricasque remouerit; ſi ipſe ſucceſſibus ſuis præſcripſerit metas, id ſummum profecto magnanimitatis faſtigium ipſa frendens admiretur inuidia. Et in hoc ſane belli ſuſpendendi negotio vel ipſa ciuium ſuorum ardentiſſima vota maximus animo Ludouicus præuertit. Num quis veſtrum, Auditores, in tam turbida cœli iraſcentis facie, tam ſubitam temporum ſerenitatem ſperaſſet. Pulſus erat ex tota Italia Cæſarianorum exercitus; Mantua ſuperba iam criſtas demiſit; omnes Alpini aditus et clauſtra hoſtibus redituris vbique præcluſi; orbis vniuerſus oculos ad Rhenum et ad Moſellam conuertit. Heic duo immenſi, igneo ardore pleni, ſub herculeis Ducibus ſe reſpiciebant exercitus; vtrinque iam enſes euaginati micabant; horrendi conflictus nuntios trepidæ iam expectauerant gentes; nuntios pacis, Ludouice, transmittis. O dignum magnanimitate Tua ſpectaculum! Placidiſſime Regum. Sic Tu belligerantium primus belli ardentiſſimi faces in Moſella extinguis. Sacer ille Nympharum tripudiantium chorus lætas pacis refloreſcentis Tibi nectit coronas. Tu, qui in vegeto iuuentutis feruore modum vindictæ et victoriæ ponere ipſa maius victoria cenſes, qui gladiis iugulo hoſtium hærentibus imperas, admiſſis in Italiam

hoſti-

hoſtibus maior quam expulſis videris. Obſtupeſcit cum Batauis audax Britannus, pacificatoris gloriam, tanto illis cum ardore quæſitam, ad priſtinas in Galliam ſedes tam ſubito rediiſſe. Sed quid illam rediiſſe dico? quæ inter ipſos belli triumphos animo ſemper Tuo alte inſederat; quæ Tecum in Francico ſolio regnabit aeternum. Serus ad cœlum tranſeat Grandæuus ille Atlas, qui orbis Tecum Gallici molem tam fortiter conſtanterque ſuſtentat. Dignus eſt, vt inter Gentium Chriſtianarum applauſus ferreas Iani portas mox claudat, qui illas inuitus renitensque reſerauit; dignus, cui ob ciues ſeruatos et hoſtes nouum coronæ genus Europa decernat. Legat veſtigia Tua bellax Hiſpania, ſuumque in Barbaros bellicum effundat ardorem. Legat prudens ſagaxque Sabaudia, et communibus ſuffragiis communem populo Europæo gratulentur quietem. Et qui tandem illæ Tibi tam amabili et aequo pacificatori reſiſtent, cuius iuſtitiam principes terrarum populi tam generoſo nuper tamque vnanimi probauere conſenſu. Redeat ſub auſpiciis Tuis ad Sarmatiæ gentes illa priſca libertas et blanda tranquillitas. Regnet in Auſtraſiæ regno Tuus Socer Auguſtus et vetus hoc Franciæ patrimonium Tibi tardus relinquat. Regnet in vtraque Sicilia Borbonius, in Magna Hetruria Lotharingicus ſanguis. Vigeat et dulcibus hymenæis immortalis perennet Teutonici diadematis gloria, Auſtriaca Domus. Innumeros ex Generi thalamo poſteros cernat Carolus Cæſar nepotumque nepotes. Floreant in omnibus Europæ palatiis aurea paciferi Tui ſceptri et Franciæ lilia.

Mutuis e longinquo oſculis ſe excipiant Sequana, Padus, Iberus, Viſtula, rapidusque Danubius. Erecta illa Vogeſi et Hercyniæ iuga lætis amœnisque vultibus ſe ſemper reſpiciant eminusque ſalutent. Sic Tu, Rex Magnanime, inter tot ſublimes Franciæ triumphantis Monarchas toti poſteritati admirandus occurres, qui primus ſolidæ inter Borbonios et Auſtriacos amicitiæ fundamenta iecisti; qui duo potentiſſima imperia fide et amicitia inuiolata coniunges, qui noua populo Chriſtiano Halcedonia paras. Dulcia tantæ felicitatis prælu-
dia iam Europæ dediſti; operis perfecti gloriam
a Te orbis expectat.

D I X I.

PANE-

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXVII.

Satis humani ſanguinis Viſtula, Padus, Rhenus et Moſella hauſerunt; Auditores omnium Ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi. Satis in miſeros mortales impius Bellonæ graſſatus eſt furor. Aurea pacis lilia victricibus belli palmis ſuccedunt; ardentes Diſcordia faces ad Sequanæ et Danubii ripas tremens et indignabunda extinxit. Stupet Mars ſæuus et impotens, proiicit haſtas et clypeos, rebusque deſperatis in alium ſe orbem fugitiuus recepit. Redit a biennali reuocata exilio hilaris triumphansque Concordia, et priſtinum inter populos chriſtianos ſolium ſublimis conſcendit. Feliciſſima rerum humanarum commutatio, Auditores; digna, quæ magnanimum Franciæ Antoninum agnoſcat auctorem. Tuum opus eſt hoc opus diuinum, Ludouice regum principumque ſanctiſſime. Tu numinis in terris vices mortalis exerces, et ſummum, quod mortalibus diuina potentia largitur, beneficium impertiris Europæ. Supergrederis tam auguſto facinore Tuam ipſius gloriam, Maxime Heros, et nihil ſequentibus annis relinquis, quo maiorem apud poſteros Tibi famam parares. Gratulati Tibi ſumus victorias et proſperos armorum ſucceſſus, ſed omnes

omnes illos feſtiuos applauſus immenſa auſpicatiſſimæ pacis tranſcendit lætitia. Quas Tibi, magno ſeruatori ſuo, ſtatuas pia et fidelis dedicaret Alſatia, Tuo ſub præſidio minaces innumerabilis hoſtis aſpernata conatus; quam illuſtria Tibi pacis trophæa erigeret deuota ſolio Tuo Tribocorum Auguſta, ſi tantæ pietati pares ſuppeterent opes. Huc, huc ergo, facundiſſimi orbis literati Oratores: vobis ſublime oſtentandis ingeniis argumentum exoritur. Reſpicite Ludouicum renouata pacis gloria et maieſtate fulgentem; extollite ſummis certatim præconiis placidiſſimum ſeculi præſentis Monarcham. Omnium linguis et vocibus vbique reſonet: LVDOVICVS EVROPAE PACATOR; veſtra ego impari paſſu pius et audax veſtigia ſequar.

Magnificum eſt Principis victorioſi elogium, gentium pacatoris laus prope diuina; ſupremi illius regnantium regnatoris gloriæ et maieſtatis aemula. Ludouicum a primis imperandi exordiis ſemper conſpexiſtis pacificum, Auditores; pacificatorem ſuſpenſa et rerum ſuarum dubia per ſeſquiannum ſuſpexit Europa; pacatori iam felix et redditus ſibi orbis gratulaturus applaudit. Illi profecto, quam hodie celebramus, fauſtiſſimæ paci, non illa oratoribus frequentata, quantumuis illuſtria, tribuemus encomia: reſtituta eſt regno rerum temporumque tranquillitas, cultura agris, muſis amœnitas, amicitia exteris, commercio ſplendor. Maius eſt, quod Magnus Lodoix populis beneficium præſtitit, in quo prudentiam, magnanimitatem, an pacifi-

pacificatoris gloriam magis extollas, hæſitabis incertus. Arduum et perdiſſicile eſt, pugnantes diuerſorum Principum, in fœdus coëuntium, conciliare rationes et commoda; difficilius animos, ſæua vindictæ cupiditate ardentes, delinire reddereque manſuetos. Vtrumque tamen, præter omnium expectationem, præſtitit ſapientiſſimus Europæ pacator. Enimuero num quis belligerantium, quod vulgo fit, hac pace mulctatus eſt? an non ſingulos ex bello cruentiſſimo hoſtes, haud minus quam ſocios, incredibile dictu, ditiores potentioresque dimiſit? Regnat in vtroque Siciliæ regno duplici iam redimitus corona Carolus Borbonius, florentesque Ducatus cum florentiſſimis Regnis mira fatorum felicitate commutat. Sabaudus cum opportunis Liguriæ terris reportata Tortona, reportata Nouaria, diuitis Pedemontii limites in mediam vsque felix promouit Inſubriam. Auſtria Mantuano et Mediolanenſi Principatui Parma et Placentia iunctis, contiguas in vnum corpus regnique Longobardici ſpeciem redigendo prouincias, cum fœnore recuperauit, quas in infera Italia, durante bello, ditiones amiſerat. Sarmaticum diadema nouus in Saxoniæ partibus reportat Elector, titulis et regia dignitate magnum aequaturus Parentem. In excelſis Hetruriæ palatiis ille Auſtriaco ſanguine et connubio clarus imperabit Lotharingiæ Princeps, acquiſito ſane, quam eo quem relinquit, Florentiæ Ducatu haud paulo potentior. In peruetuſto Auſtraſiæ ſolio reſideat indole genioque ſublimis Stanislaus Auguſtus, abdicata Sarmatiæ corona maior, quam occupata

reputandus; Generum ſuum, nouæ vindicem et aſſertorem coronæ relicturus hæredem. Ita comprobantibus populis, Auſtriaque promouente, Borbonias ad eurum et auſtrum Ludouicus longe lateque extendit opes, cum ad leuiſſima quæuis Franciæ incrementa totus olim orbis commotus trepidaſſet. Magnum conſummatæ in ordinandis rerum publicarum fatis prudentiæ documentum! Auditores, quod omnes vnanimi et communi laude extulerunt Principes; quod nonnulli vehementer optaſſe viſi ſunt, vt ſanctioris conſilii ſui partus alibi potius, quam in Gallia, natus crederetur. Quam diu cum Batauis laborauit Britannus, vt aulas Principum, mutua inter ſe ira et indignatione feruentes, ad priſtinam lenitatem et amicitiam reduceret; reduxit Ludouicus, atque deſperatum opus haud longo temporis ſpatio, absque ſolenni legatorum concilio, rariſſimo in hiſtoria exemplo, ita confecit, vt inter Borboniam præſertim et Auſtriacam Domos a ducentis iam annis flagrans diſcordia, hæc tam mirabili tandem et inſperata pace penitus extincta videatur. Excellens quoque Ludouicianæ magnanimitatis ſpecimen, Auditores. Extorruit ſub ipſo ſeculi præſentis exordio illa, plurimis olim populis formidanda Auſtriaca Hiſpanorum regnatrix proſapia; altera, quam Germanicam vocant, ſuperſtite et ad hunc vsque diem conſtanter florente. Potentiæ huius interitum vt Carolus auerteret Cæſar, memorabilem nuper gentilibus ſuis promulgauit Sanctionem, vt deficientibus maſculis indiuiduæ ad filiam Auſtriacæ opes vniuerſæ tranſirent; gentis

ſuæ

ſuæ gloriæ et immortalitati proſpecturus prudenter. Quotusquisque dominandi auidus tam altæ propaginis, tot regna obumbrantis, imminente non lætaretur excidio et de imperii ſui limite opportune prolatando non feruens agitaret conſilia? At in alia omnia pius animoque excelſus diſceſſit Ludouicus. Carolinam placido conſenſu ſuo facilis roborauit Sanctionem et potentiſſimæ illius Domus perennitati ſuccurrit, quam Francis, quam Borboniis toties infeſtam et nos et noſtri conſpexere maiores. Inuiſum ſpectaculum! cui poſteritas vix adiiciet fidem; quod fortiſſimus ille Auſtriacæ potentiæ obex, Magnus Henricus, ex cœleſti aeternitatis arce cum ſtupore contuetur. Quas impiger atauus, cum abauo proauus ſummis conatibus ſollicitauerant opes, has Maximus Atnepos, admirantibus populis, ruituras ſuſtentat. Tam rarum Galliæ beneficium non minore Carolus beneficio compenſat, qui plurimis et inſignibus Franciæ regnum adauget prouinciis. Tibi enimuero, Heros Auguſte, decus hoc immortale ſeruauerat ille regnorum imperiorumque diſpenſator aeternus, vt Tu antiquiſſimum Franciæ patrimonium, temporum iniuria et infelicitate diſtractum, non marte diuturno, non effuſa per longam annorum ſeriem ſanguinis humani copia, ſed biennali bello ad lilia Tua felix reduceres. Quot ſeculis de recuperando hoc Auſtraſiæ vel Lotharingiæ regno immani armorum animorumque motu ad Moſam, Rhenum Moſellamque, ſed fruſtra certatum. Tu primus Capetingorum ad Franciam reuocaſti, quod vltimi Carolingi tam infauſte per-

X 2 dide-

diderant. Tu melioribus auſpiciis nouam in Galliæ monumentis et annalibus recuperatæ Lotharingiæ Epocham condes, quam Carolus ille Simplex, recepta non magis, quam amiſſa Lotharingia notus. Hinc Te iam vnanimes Lotharingici titulo Tui ciues ornaſſent, niſi Italicum potius Germanicumue Te orbis appellaret, qui nouos Italis Reges Principesque dediſti; qui maiore cum Germanis amicitiæ fœdere, quam vllus ſuperiorum Galliæ Regum, coniunctus videris. Sic tandem Moſellam Sequanæ Rhenique fidam ſalutamus ſororem: ſic demum tricornis ille et impotens Rhenus futuris præſentique ſeculis appellandus erit Franciæ limes: ſic Lotharingos et Alſatas non ardua iam Vogeſi iuga ſeparabunt, ſed nouo et firmiſſimo vinculo cònſtringent aeternum. Fortunata Alſatia!. Auſtriacæ et Lotharingicæ Domus feliciſſima genetrix, quæ per illam ex ſinu tuo tot Imperatores, Reges, Archiduces Regnis Imperioque miſiſti, mirabiles et alterius prolis Tuæ iam venerare ſucceſſus. Feliciter feliciterque! ingemina excelſo Heroi, Lotharingicas opes in Hetruriam portanti; portaturo in Auſtriam, ſi in hac maſcula forte olim defecerit pubes. Non perit Auſtriacus, donec maſculus ſupereſt Lotharingicus ſanguis, communi parente Alſata ſatoreque prognatus. Fortunata Auſtraſia! fortis Alſaticæ comes et ſocia; quæ ſine præuiis bellorum incendiis, direptionibus, obſidiis in Gallicæ potentiæ, magnitudinis, ſplendorisque communionem ſalua et illibata tranſibis; fortunatiſſima, quæ diuinis virtutibus fulgentem in ſolio tuo Principem adorabis, in quo for-

formando omnis ille Deorum Dearumque cœleſtium chorus conſenſit; quem Muſæ, Gratiæ, Themis, Apollo amico ſibi pridem vindicarunt certamine. Tam plena miraculis eſt meta laborum Tuorum, Sarmatice Hercules; tot monſtra domuiſti, vt in ſecuro Auſtraſiæ gremio tandem glorioſus quieſceres. Ergo arcani illi prouidentiæ meatus eo ſpectabant, vt Tu noui, quod Franciæ Ludouicus acquirit, regni gubernacula primus tractares; vt Tu ſocer cum genero Gallicum tandem orbem regeretis concordes; Hic occiduis, Tu orientalibus eius oris magnus moderator præeſſes. Tu apud remotos Sarmatas dubiam Piaſtorum Tibi quæris coronam, quum in vicina Lotharingia ſplendidiorem et ſtabilem Tibi fata præparaſſent. Videt hæc et lacrymis lætatur obortis deuota Tibi pridem animis cordibusque Alſatia, et ex tantis ſucceſſibus aurea Saturni cum Iano regnantis ſecula ſibi, Lotharingiæ et Galliæ promittit. Et quid ſibi tandem ex læto hoc Gallici Solis aſpectu fortis et bellicoſa promittet Germania? Stabit reddita nuper Kehla et Treueris, ſtabit reddita inprimis Philippopolis, Francicæ fortitudinis et perpetuæ Germanos inter Galloſque amicitiæ immortale monumentum. Reſidebit in eminente Imperii ſolio Carolus Cæſar, orbis Teutonici lucidiſſimum ſidus, et nonniſi amœnos pacis radios in gentes non barbaras ſerenus emittet; vt Titus olim, Alexander et Gordianus templa aeternæ paci conditurus et aras. Retundat martios ſuos ſpiritus gloriæ cupiditate exæſtuans Franciæ et Alemanniæ pubes. Vtraque ſatis laurorum tam

 bre-

breui ſpatio, in horridis Bellonæ caſtris collegit. Obruunt tot fortium virorum cadauera tumuli, arcium vrbiumque expugnatarum ruinæ; at encomia et laudes eorum bellica pridem fama ad cœlum ſuperosque euexit. Compeſcite heroicos ignes Condæi, Contii, Asfeldii, Noallii, Conii, Nangii, Inſulani, Balincurtii: Vos palmas et caſſides veſtras Marti Vltori ſuſpendetis inuicti. Palleat ad micantes Teutonum et Hungarorum gladios Ottomannica Turciæ Luna, murique Byzantii impetu et terrore Chriſtianorum tremiſcant. Vaſtiſſimos Andegaui Caroli Carolus Borbonius in Barbaros exequatur conatus, Borboniisque ex Gallia Hiſpaniaque ſubnixus opibus perfidos Africæ prædones debellet; aut nouus ſeculi noſtri Godofredus Bullionius ſacra Solymorum reſtauret mœnia; aut alter Fridericus Imperator inſignia eorum vtrique Siciliæ potenter reſtituat. Salue ergo in amabili Tuo pacis habitu, progenies cœli, Ludouice, Rex Regum Chriſtianiſſime. Salue hoſtium Gallicorum terror, triumphator aemulorum, Europæ delicium, Borboniæ maieſtatis vindex potentiſſime. Tu bellica obſecundante glorioſus fortuna, non exhauſtis pecuniarum theſauris, non fractis ciuium Tuorum animis, non regno fatigato, ſed inter illuſtria belli conſtitutus tropæa pacem, quæ buſtis fumantibus videbatur ſepulta, populo Chriſtiano, reluctantibus ſociis, rediuiuam dediſti, vt ille Tibi, Tibi ſoli incomparabile et cœleſte hoc munus deberet. Cedit conſiliis Tuis bellax Hiſpania; cuius ſenem Monarcham Tu iuuenis et mitiſſimus Regum ad amplectendam pacem

pacem tanta cum dignitate hortatus es, vt bellicum ille fulmen cum pacifero tandem commutaret caduceo. Exultat ad tam auguſtum pacis Tuæ ſpectaculum aureis iam diues fructibus, beatiſſima Gallia; reſtaurato cum populis nuper hoſtibus libero terra marique commercio; tertia copiarum militarium parte exauctorata; indictionibus quoque bellicis per vniuerſum Franciæ regnum a Te nuper remiſſis, qui gloriam Tuam a ciuium et exterorum felicitate nunquam reputaſti ſeiunctam. Exultat ex bellica calamitate reſurgens et veteri libertati reſtitura Polonia; quæ non interrupta tandem publicæ firmandæ pacis celebrauit comitia; tot luſtris ignorata! Exultat purpureo heroum ſanguine conſperſa adhuc et cruentata Italia, amœna temporum ſerenitate reducta, priſtino quoque ſuo reſtituenda nitori. Exultat armis virisque potens et inuicta Germania, cuius florentiſſima ſoboles, ex vltimis patriæ finibus ad regale palatium Tuum, Te nouum ſeculi huius Numam in reſerato Tuo pacis et concordiæ templo veneratura, feſtinat. Exultat denique fidiſſima regni Tui cuſtos, Militaris Alſatia; Neſtor i Herois Burgii virtute et conſilio, a multo iam tempore ſeruata, defenſa. Qui inter ipſos martis indomiti furores tam dulcia muſis et popularibus noſtris otia procuraſti, quanta nobis inter ipſas pacis præparabis delicias. Vigeat modo et rebus humanis vtinam! immortalis interſit magnus annis animoque maximus Purpuratus Tuus, ſapientiſſimus ille Franciæ Chiron et genius tutelaris Europæ, Tuisque ſub auſpiciis Britanniam et Luſitaniam cum

Hiſpa-

Hiſpanis, cum Chriſtianis Turciam renouata ſtabilique amicitia com
ponat, ceteroſque diſcordiæ ſurculos ex reliquis Principum auli
euellat. Ita vbique terrarum placida et ſecura gentium halcedoni
regnabunt: ferreæ Iani Borbonidum portæ firmiſſimis repagulis clau
dentur æternum: ſacroſanctis tuis artibus adoleſcet Delphinus Tuus
perpetuum pacis Tecum agitaturus triumphum; in quo ex omnibu
mundi partibus triumphalis applauſus et vox vna reſonabit: Regne

Ludouice Pacifice, Ludouice Pacifer, Ludouice non Europæ ſed Orbis Pacator.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXVIII.

Europæ Pacatoris munus Ludouicus deponit, Auditores omnium Ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi, et nondum populi expectata pace ac tranquillitate lætantur. Mars pulſus ab auſtro properavit ad boream, terribilius ibi furoris ſui erecturus theatrum, et Phaëthonteum aliquod orbis comminatus incendium. Trepidaret ad hunc nuntium Europa attonita, Francico nuper rerum ſuarum reſtauratore ſecura. Trepidaret Alſatia, otio reſtituto et muſis ſuis refloreſcentibus felix; quæ anno ſuperiore tam ſublimem Principis paciferi laudem ſolenni ceremonia in hoc loco celebrauit, niſi maiora hodie gratulandi argumenta feliciſſimo Galliarum Regno naſcerentur. Ita eſt, Auditores; inexpectata Francicæ maieſtatis et gloriæ incrementa conſpicimus: Ludouicus ſplendidiore habitu inter Principes hoc anno condecoratus refulget, famæque immortalis præconiis et omnium populorum linguis celebratur ORBIS PACATOR. Ergo ingeminato pietatis ardore tanti Herois venerare Natales, deuotiſſima Regi tuo Tribocorum Auguſta. Venerare ſolium eius, tot aureæ pacis exornatum coronis, et in hac Galliæ exultantis ſolennitate lætos ei ac

triumphales modulare concentus. Indulgebit Ille ardentibus et feſtivis acclamationibus tuis; tu pio at infacundo tuo indulgebis oratori.

Orbis pacatorum encomio Principes olim ſuos Roma ornauerat, publicæ tranquillitatis imperii compotes, de interna exterorum pace parum licet eſſent ſolliciti. Celebrata eſt annalibus priſcis admiranda illa Antonini felicitas, orbem Romanum ſola auctoritate ſine bello regentis, ſed omnis hæc intra imperii ſui limites terminata eſt gloria. Quid de pacifica Francici Monarchæ prouidentia ſtatuetis, Auditores. Regnat Ille in regno ſpatioſo alta et profunda pace, opibus ac potentia felix; ſed ſuam hanc felicitatem imperfectam reputaret, niſi vicinos et remotiſſimos populos tanti quoque boni participes redderet. Enimuero vix ad meridiem et ad ſolis occaſum Iani obſeruerat templum, cum eurus et boreas horriſono ſtridore in prœlia ruentes omnium populorum animos mentesque perculerunt. Eridano, Moſellæ et Rheno Boryſthenes, Tanais Danubiusque ſucceſſit, qui non ſua tantum, ſed et fratrum vicinorum litora bellicis terroribus iam cernunt infeſta. Stupet ille Pontus Euxinus, limpidas et tranquillas nuper fluuiorum aduentantium aquas, nunc ſanguine et iracundia turgentes, rapidiore curſu per oſtia deuolui. Concutitur magnis tremoribus Bosphorus Cimmerius, et numeroſas Ruſſorum, ſub Tartarico olim iugo gementium, nunc Tartaris dominantium, claſſes accolis ſuis funeſtas indignabundus adſpectat. Fremit Sarmata, Scytha,

Scytha, Bulgarus, Thrax, Mœſus et Dacus. Frendet acinace ſtricto Gennizarus ardens, Albanus, Dardanus, omnis Africana et Aſiatica ora; qui piæ Chriſtianorum genti nonniſi flammas, latrocinia, ſtrages et tormenta minitantur. Horret has furias conſternata religio, quæ ſacros ſuos ignes humano paſſim cruore pollui, quæ totas fidelium ſuorum cateruas ad crudele ſeruitutis iugum et ad diriſſima ſupplicia violenter abduci non ſine lacrymis effuſis contuetur. Inuoluitur bellicis turbinibus Auſtria, pacata nuper, at Ruſſico torrente vel renitens abrepta. Videt hæc ab excelſa Galliarum arce magnus tranquillitatis mortalium arbiter, et ad ſedandos orbis Eoi Arctoique motus feſtinus accurrit; Aſiæ agitatæ futurus, qui Europæ nuper fuerat, glorioſus Pacator. Generoſis quoque conatibus ſubito aduolauerant Bataui, aduolauerunt Britanni, Paſſarouicenſis ante quatuor hæc luſtra pacis ſtrenui conciliatores. At vetus illa Orientalium in Merovingicos olim Franciæ Reges veneratio, nec ſub bellacibus Saracenis, nec ſub ſucceſſoribus Turcis imminuta, per Principes Capetingos ad aeuum vsque noſtrum illibata perdurat; ſub Borboniis adaucta immenſum. Ludouico pacis remedia e longinquo monſtrante reſtinguitur ſtatim Ottomannicus furor, delinitur ferocia et Turcica cidaris ſuperbas illico ſuas criſtas demittit. Neque vero intra hos modo Aſiæ Europæque limites placida Ludouici continetur prouidentia, Auditores. Indiæ barbaricæ occiduus orbis, orientibus belli turbis et ipſe perterritus, præſens Francici quoque Iouis auxilium noſtro

hoc tempore expertus eſt felix. Hiſpani, indagatores Americæ primi, ab ipſo ſtatim ſeculi tam diuitis exordio, in illa aurifera terrarum parte ſuis regnis adiecta, præ omnibus populis commerciorum exercuere primatum. Britanni magnis et ipſi conatibus pridem eo contendunt, vt coloniarum portuumque frequentia neminem in illis regionibus ſuperiorem agnoſcant. Hinc aemulatio, hinc iræ ad arma iam pronæ; adeo vt vaſtum illud Neptuni imperium ſæua iam Martis marini certamina vidiſſet, niſi tumidos eius fluctus Ludouicus mulceret ac ſtrictos vtrinque gladios mira conſiliorum lenitate compeſceret: qui Luſitanos quoque nuper, iura legationis violata conqueſtos, in gratiam cum Hiſpanis reduxit, quum regni vtriusque limes, armorum ſtrepitus horreſcens, fatale ad prœlia vocantis ſignum expectaſſet Bellonæ; quum claſſiarii apud Indos imbelles infeſta nauium ſuarum roſtra acuentes, expanſis iam hoſtilibus velis, tormenta minacia oppoſuiſſent tormentis. Ergo ad vltima mortalium habitacula Tua quoque cura et prouidentia pertingit, Placidiſſime Regum. Ergo quos Tu nuper ad torridam terræ zonam dimiſeras, ſagaces corporum cœleſtium contemplatores, apud feros illos populos læti pacis nuntii appulerunt, pacisque Te auſpice duraturæ ſponſores. Hi amœnos maieſtatis Tuæ radios inter obſcuras et aſperas illas gentes circumquaque diſpergunt, dum Tuam benigniſſimi muſarum ſtatoris famam barbarico quoque cœlo perennantem adſcribunt; Tuque adeo quietis, in extrema illa plaga regnantis, auctor glorioſus, vel apud antipo-

antipodas lucidum pacis ſidus perpetuo renidebis. Digna immortalitate facinora, Auditores, quæ magnis Ludouicus auſpiciis ſuſcepit, quæ maioribus perduxit ad finem, et ſuo tempore perducturus videtur. Proſpera huius rei auguria vel ex eo deducitis, quod ſacrum Europæ palladium, nuperam illam auream pacem ferreis fundamentis ſubſtructam, ad hunc usque diem, contra quosuis inſultus intemeratam defendit defenſamque confirmat. Ferventibus belli turbis miſera denuo iactaretur Italia, de appellando Hetruriæ poſſeſſore ſollicita, niſi quem eiusdem pacis ſanctiones ad ſceptrum illud rite vocauerant, rigida ſponſoris ſuſtentaret iuſtitia. Sic auguſtus ille gloria et antiquitate maiorum Lotharingicus ſanguis, qui ex omnibus Principum gentibus virtute et imaginum præſtantia nulli concedit, poſt ſeptem Principatus Lotharingici ſecula, in illa veteri orbis dominatrice Italia nouum ſibi ſolium rariſſimo exemplo erexit; nouum Tuſciæ et uniuerſæ Heſperiæ allaturus decorem. Quantis hic alter Porſenna miraculis regni ſui illuſtrabit primordia! quanto ardore avita Caroli Leopoldi veſtigia, Turcico adhuc ſanguine madentia, leget! Lotharingicas ille aquilas cum aquila Romanorum Teutonica iunget; ille Nicopolin, Varnam, Mohazium, chriſtianis olim cladibus notiſſimas urbes, ſuis victoriis ſuisque triumphis ſignabit ad poſteros. Gratulare tibi de tanto Heroe, Magna et Regalis Hetruria, et de publica tua quiete tantis auſpicibus firmanda gloriare. Sed non minus glorietur illa opibus commerciisque diues et portuoſa Liguria, quæ contra ſub-

iectos frena mordentes nullum præſentius quam in Gallia inuenit auxilium. Sentiet tandem inconſtans ille Corſicæ populus, iura regnante Ludouico non impune violari, et perſonatus ille rebellium regulus, aduentantibus Franciæ vexillis, ex imaginario ſuo regno faceſſet. Tu vero, peruetus Geneuenſium Ciuitas, veteris Maſſiliæ imago pulcherrima, quæ ciuium tuorum cultu et politiæ ſanctimonia florentiſſimæ Reipublicæ repræſentas exemplar: Tu tuis iam confecta vulneribus tuoque ſanguine ſuffocata iaceres, plebeii furoris cruentum ſpectaculum, niſi ſubita Francici Pacatoris tibi adfuiſſent præſidia, ſine cuius generoſo et potente arbitrio Geneuam in ipſa Geneua fruſtra quæreremus. Videt hæc amantiſſima eius ſoror, vicina nobis Rauracorum Auguſta, et ipſa illuſtri Regiæ amicitiæ documento decorata; quæ viuam tanti pignoris memoriam ad ſuos nepotes poſterosque nepotum grata, hilaris et fronte ſerena transmittet, Apage! callida verſuti illius Græciæ imperatoris conſilia. Philippus ex alta Macedoniæ ſpecula vicinorum libertati inſidiatus diſcordias urbium in auitæ dominationis ſuæ augmenta convertit. Ludouicus ex Regia ſublimi omnium mortalium ſaluti conſtanter inuigilat, eorumque ſecuritati iam pridem proſpexit. Loquatur impauidum et conſtans Gedanum, cuius in Auguſtiſſimum Socerum amorem et interritam fidem regalibus ille nuper remuneratus theſauris docuit: Galliæ, meritorum memoris amicitiam vel diſſitis ſociis haud eſſe inutilem, haud fore damnoſam. Prodeat Aſiatica et maritima Moccenſium ciuitas, omnium Europæ-

crum

orum frequentata commerciis; cuius auaros in Gallicam mercatorum ſocietatem conatus tormentis, ex Francica claſſe e longinquo oſtenſis et vixdum emiſſis, mitiſſimus Regum vindicare decreuit; ſeria quamuis ſera incolarum pœnitentia contentus. O Principem magnanimum! o Monarcham clementem! Quis talem non exoptet rerum maximarum iudicem; quis tanto moderatori cauſſarum inter Proceres arbitria non lætus deferret. Delata ei ambigua illa, tot annis iam feruens, de Iuliacenſi et Montana ſucceſſione contentio. In illa difficili de Belgicis commerciis cum Batauis cauſſa, Antuerpiæ agitata, Gallicum præſidium iam pridem expetiit Auguſtiſſimus Cæſar. Arduas ſuas pacis bellique rationes et Ruſſia et Auſtriaca præſertim Domus Ludouico committit. Inſperata concordia, prodigio ſimilis; Galliæ Auſtriæque ignorata annalibus; nouam in utrisque conditura periodum, noſtro ſeculisque admirandam futuris. Sic tandem feralis illa, Germanos inter et Gallos diſcordiæ flamma, quæ tot ſeculis orbis uniuerſi regiones peruaſerat, Te Francis imperante reſtinguitur, Feliciſſime Regum. Sic tandem illi ſanguinis humani torrentes, quos perpetua Borbonios inter et Auſtriacos bella concitauerant, quos Tua toties cum horrore et gemitu conſpexit Alſatia, placido Tuo lumine caloreque ſiccantur. Commutent in poſterum ſua pacta et arcana conſilia Nationes Europæ; felices, quod illis hæc tempora adſpicere contingit, quibus tam ſanctus, tam inuiolabilis et, quod optamus, æternus inter duas potentiſſimas Domos regnat amicitiæ nexus; non ad

poten-

potentiæ ſuæ opes augendas; non ad turbandam exterorum quietem, ſed ut vera et ſtabilis inter eos fides concilietur et amor; vt proſcripta penitus exulet truculenta Bellona. Huc renouata Tua cum Suecico Danicoque Regnis; huc illa, quæ cum aliis populis Regibusque fœdera pepigiſti, collimant. O terris et cœlo adprobata concordia! cuius Tu omnium Franciæ Regum ſolida et duratura primus fundamenta iecisti; quæ florentiſſima illa mundi imperia, quibus communes olim Principes et communis origo, poſt tanta temporum intervalla redintegrato amoris retinaculo coniungit. Hoc nuperus ille Tuus ad Cæſarem legatus, hoc mutuus Cæſaris ad Te miſſus Orator ad poſteros quoque Tuos et ad omnem ſeculorum profunditatem roborabunt; hoc proſperis cum Polonica, ex Cæſarum proſapia, Principe Carolus Borbonius firmabit hymenæis. Sed iam oculos præſertim Tuos conuertas ad ortum. Illic reſpice minitantia Muſulmannicæ Gentis ferocientis vexilla; illic periclitantibus Chriſti Tui ſacris præſentanea Tua ope et auxilio ſuccurre. Exoriare Franciæ ſidus ſolare et turgentia Ottomannicæ Lunæ cornua fulgido Tuo iubare ſerenus diſpelle. Orat et implorat Te ſupplex ſacroſancta Religio: hæc Te, Chriſtianiſſimum in terris Regem, per omnia ſua iura et veneranda oracula, per ſublimia illa crucis ſuæ myſteria precatur, ut eam in templis et in altaribus ſuis ſartam et inuiolatam conſerues, vt triumphale Seruatoris Tui labarum contra impios Mahometici furoris inſultus defendas. Affert iam lugenti ſolatia Purpuratum illud

illud eccleſiæ decus, regni Tui et exterorum delicium, ille ſtator Europæ, cuius religioſa conſilia Chriſtianus certatim orbis veneratur et Barbarus. Quod maius diuinis eius laudibus iam accreſcet elogium, quam quod ipſo adminiſtro oracula pacis e Gallia expectat Byzantium; expectat omnis mortalium populus, cuius mentes et oculi in aurea ſceptri Tui lilia vnice iam videntur defixi. Tu ſacra omnium ancora, Tu ſecurum aſylum. Exulta temporum futurorum fiducia, Auſtriæ Germaniæque confinis Alſatia, bellatricis nuper Palladis, nunc pacatæ prouincia. Vigeat tuus Heros reuireſcens, Alſatiæ Minos; imperterritus ille quietis et ſalutis tuæ publicæ cuſtos, rebusque tam proſperis teſtis grandæuus et immortalis interſit. Iunge tua vota cum Francis Germania, et quem Roma olim Magno illi Galliæ Teutonumque Rectori acclamauit, animis ac vocibus iunctis iam decanta pæanem: Carolo et Ludouico, Ludouico et Carolo, coronatis a Deo, Pacatoribus orbis vita et victoria!

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXXXIX.

Tenax eſt gloriæ ſuæ Ludouicus orbis Pacator, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi. Quartus iam annus decurrit, ex quo pace glorioſa refulget Gallia; pace, qualem nulla ſuperiorum temporum ætas conſpexit. Quod conſcia præteritorum vix credit Germania; quod memor calamitatum ſuarum iam ſtupet Europa, eius illuſtria documenta temporum præſentium ſtatus, magna cum noſtra felicitate, oſtentat. Arma priſcis Germanos inter et Gallos tractatibus pacis poſita ſunt, iræ ſeruatæ; nunc ipſa cum armis iracundia ſepulta; amor et amicitia æmulationi ſucceſſit; ſimultati indies maior creſcensque ſuccedit animorum concordia. Inauditum dicendi argumentum! quod maximus Regum, tanti prodigii artifex, nobis hodie ſubminiſtrat; quod nulli unquam publico priuatoue oratori, in ſolenni auditorum corona, celebrare conceſſum. Fortunatum oratorem! qui in hæc ſeruatus ſum tempora, quibus tam auſpicata Ludouico gratulandi exorta materia: qua AVGVSTALES huius anni NATALES in tam ſplendida Principum et Magnatum panegyri debita pietate et cæremonia ſignemus, FRANCIAE AVSTRIAEQVE FORTVNATA CONCORDIA.

No-

Nonum iam vertitur ſeculum, cum fatalis illius inter duo florentiſſima Francorum Imperia æmulationis fundamenta iacta reperimus. Tempus erat, Auditores, quo Francia Orientem verſus et Occaſum extenſa, vniuerſam fere Germaniam cum omni, qua patet, Gallia vaſto ſuo ambitu complexa videbatur. Communis utriusque Regni ad Rhenum exortus; populi a communi Principe Merouingico recti; Sequanæ, Rheni, Albis et Danubii accolæ regium Caroli Magni et Ludouici Pii ſolium communi ardore venerati ſunt; Francisque adeo ſuis in Gallia dominantibus vetus Germania debuit, quod ex tam multis, diſcordantibus inter ſe, populis ipſa in unum reipublicæ coaluerit corpus: quod vicinas inter nationes vetus illa fuerit renouata fraternitas; Germanis inde nomen trahentibus, quod germani olim fratres extitiſſent Gallorum. Haud temporis diuturni hæc fuit felicitas, Auditores. Incauta prouinciarum regnorumque diviſio, a Carolingicis Regibus filios inter principes haud prudenter ſuſcepta, ipſos Optimatium et Procerum animos paulatim diuiſit, rupta populorum concordia; Francici Imperii diſſoluta compages, frequente inter conterminas gentes litium turbarumque prognata materia. Lotharingia fuerat, quæ inter fraterna hæc Galliæ et Teutoniæ regna primas irarum et diſcordiæ flammas conciuit: cum Ludouicus Germanicus et Carolus Caluus, extincto ſine prole Lothario, de Regni Lotharingici corona certarent: lite mox ad tempus ſopita, mox acrius recrudeſcente; cum Saxonici præſertim Cæſares quicquid Rhenum Moſamque terrarum

interiacet, ſuo pertinaciter vindicarent imperio. Admiranda fatorum induſtria; ut, quam litem ex omni retro antiquitate tot Reges et Principes diuturnis et ardentiſſimis bellis terminare haud poterant; quam ante tot ſecula Germaniæ Ludouicum Galliæque Carolum infelicibus auſpiciis excitaſſe cognouimus, hanc noſtris temporibus Carolus Auſtriacus cum Franciæ Ludouico amica tandem compoſitione finiret. Vnde tanta olim malorum ilias, tot exorta tonitrua, inde amœna iam pacis duraturæ ſurrexit aurora. Aucta immenſum hæc fuerant odia, Auditores, cum ſuperioribus ſeculis potenti Germaniæ ſceptro illa magnis euentibus felix Principum Auſtriacorum admoueretur proſapia. Matrimoniis hæc ſuis glorioſa Domus a Maximiliani primi temporibus tam proſperos, tam mirabiles rerum ſuarum experta ſucceſſus, quinquaginta annorum ſpatio, vniuerſas Burgundionum, Aragonum et Caſtellanorum, per Belgium, Hiſpaniam, Italiam, per Indiam vtramque dominantium opes, additis Hungariæ Bohemiæque opibus, ſplendido Germaniæ diademati Imperioque Germanorum Romano mira fortunæ celeritate coniunxit. Stupuit Francia, ſtupuere bini illorum temporum Ludouici, medius inter eos Carolus et horum virtute maximus, at infelix Franciſcus, cum Auſtriacis prouinciis tam ſubito ex omni parte ſe cinctos circumdatosque vidiſſent. Præcipui Galliæ vicinæ tum hoſtes extitere Hiſpano-Auſtriaci; Borbonios ſolio Capetingorum impoſitos animo indignante intuiti. Tum vero internecina et cruentiſſima bella ex omnibus terrarum angulis prorupere certatim.

Miſce-

Miſera in partes diſtracta Germania; vocati in conſortium belli Suecus, Danus, Sarmata, Bohemus et Italus: Anglis Batavisque claſſicum haud raro canentibus; Europa gemente, quod ex paucorum arbitrio quies et regnorum ſuorum fortuna penderet; quod inter perpetuas Principum diſcordias Turcica Luna indies creſcens vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ videretur fatalis. Tentata quidem ſæpius reducendæ connubiis belligerantes inter pacis et concordiæ via. Auſtriaca Margaretha Carolo iuueni, Franciſco Eleonora, Ludouicis poſtremis Anna et Maria Thereſia ex ipſo reconciliatæ, ut credebatur, Auſtriæ gremio pignora pacis perpetuæ futura transmiſſæ. At verſa ſunt ſemper in peius remedia, Auditores. Vnde mali ingraueſcentis ſperabatur leuatio, inde vehementius malum maiorque animorum exorta acerbitas. Horreſco commemorare duriſſimas leges, decreta, ſanctiones, quas in ſolennibus regni comitiis fremens Amphictyonum Germaniæ in Franciam iracundia non ſemel dictauerat. Vos ipſi cohorreſcitis, Auditores, cum ferales illas arcium vrbiumque obſidiones, litora Rheni tormentis onuſta, myriades hominum bellico immolatas furori, regna flammis, cadaueribus, fame et cruore fœdata ex maiorum noſtrorum noſtrisque annalibus in memoriam reuocatis. Tranſierunt hae tempeſtates, quæ noſtram hanc toties conquaſſarunt Alſatiam, quarum ipſam ex mentibus noſtris eiiceremus memoriam, ſi tam in noſtra poteſtate eſſet obliuiſci malorum, quam proſperitatis meminiſſe. Quanta ergo temporum præſentium et quam rara felici-

 tas,

tas, quibus bellici furoris et periculorum ignari non finem modo tantarum calamitatum, ſed et pacatioris ævi dulces ac duraturos iam fructus quotidie conſpicimus lætique deguſtamus. Tuis ſub auſpiciis inexpectatam hanc rerum converſionem iam cernit Europa, Chriſtianiſſime Regum Principumque LVDOVICE, qui ex reconditis regalis palatii penetralibus tuis nouum et inauditum regnatricis prudentiæ reſeraſti arcanum. Tuo haec gloria eſt ſeruata imperio, ut ſimultatem, a maioribus per tot ſecula exercitam, diuina mentis magnitudine Tu primus deponeres, nouamque in Francica et Auſtriaca hiſtoria iam conderes epocham. Tu nomen Galliæ tuæ, Germanis olim inuiſum, reddidiſti amabile, reddidiſti iucundum; adeo vt Auſtria, amoris in Te et amicitiae plena, Te omnium fœderatorum ſanctiſſimum reputet, Te conſiliorum ſuorum iam reddat participem, ſuasque in ſinum tuum et ſocii amiciſſimi pectus iam curas deponat. Inſperata fatorum temporumpue mutatio, quam ciues tui ante triennium hoc vel audacibus votis exoptare non auſi; quam nos dubiis rumoribus ſparſam hodieque crederemus, niſi totus regiminis tui curſus nos pridem aſſueſeciſſet miraculis. Ita eſt, Auditores; Roma et Carthago amicitia iunguntur; Perſia cum Græcis in fœdus coiuit. Quæ ſtrictos olim gladios omnium belligerantium poſuere poſtremæ, Francia et Auſtriaca Domus, quod Neomagenſis, quod Riswicenſis, quod Vltraiectinæ et Badenſis pacis nos docet hiſtoria; hae nunc tandem omnium primæ ſuos enſes recondunt, ceterisque ſociis belli protrahendi facultate adem-

ademta, felicem illis accipiendæ pacis neceſſitatem imponunt. Iuſtum et prudentiſſimum fœdus! quod duo ſumma orbis Imperia, non montium iugis, non rupibus aſperis, non procelloſo diremta oceano, ſed origine et limitibus iuncta veteri reſtaurato percuſſerunt amore: fœdus glorioſum! cui patrando tot Imperatores et Reges laborarunt incaſſum: fœdus ſalutare! quod ceterorum Europæ Magnatum bellicos reprimet ac reſtinguet conatus: ſanctiſſimum fœdus! ſacræ Religioni in Turcas militanti et cœlo probatum. Quid ſupereſt, quam ut paci tam auſpicatæ, tam Chriſtianis proficuæ conſcia ſanctitatis eius accedat æternitas. Accedet, Auditores. Ceſſant quæ ab Hiſpania, Auſtriæ ſubiecta, Gallico olim regno imminebant pericula; regnat tandem Borbonius in Italia ſanguis; Pragmaticam Caroli Sanctionem ſuo quoque ſuffragio roborauit Gallia; Lotharingia Francici iuris iam facta prouincia; vtriusque Imperii in Belgica limites communi conſilio et auctoritate ponuntur; omnis litium diſcordiarumque ad poſteros reſecatur materia. At maximum longe fœderis duraturi præſidium in ipſis Principum fœderatorum moribus, indole et æquanimitate reperimus. Excelſis pacis artibus altus et innutritus uterque, veræ ſolidæque amantiſſimus gloriæ, imperii ſe ſui Numam potius et Antoninum, quam Romulum aut Alexandrum appellari contendit. Te ſane cum reſpicio, Teutonici Imperii AVGVSTISSIME CÆSAR, tot gentium et nationum Regnator excelſe; in Te placido et moderato Monarcha magnanimus ille ſanguinis Auſtriaci genius, illa victrix

animo-

animorum et inuicta clementia, illa omnium virtutum gratiarumque corona et apparatus refulget. Reſulget paternus in ciues tuos amor, publicæ quietis ardentiſſimum ſtudium, togata illa maiorum tuorum gloria et religioſa maieſtas. Tu ex ſacrato pectore, tot rerum ſublimium cognitione referto, in quo omnes ſapientiæ theſauros cumulauit Apollo, nonniſi aurea pacis oracula effundis, dum hoſtium Chriſti furor tua adhuc arma ad orientem arceſſit. Sunt Tibi ſagaces et incorrupti rerum ac conſiliorum Adminiſtri, veræ populorum tranquillitatis amantes, in quibus veteres illos gentis Romuleæ Curios atque Fabricios noſtris temporibus reuixiſſe crederemus. Terruit Europam olim heroicum illud et audax *plus ultra* Carolinum effatum; Tu fauſtiore formula ipſa imperii tui primordia ſignaſti, *conſtaǹtia et amore:* hac Tu Tibi poſita lege imperaſti iuvenilibus annis; hac lege perpetua imperaturus es ſenex. Te vero inuictum pacatorem orbis cum erecti adſpicimus, MAGNE BORBONIDA, quanta perennaturæ cum Auſtria pacis in mentibus ciuium tuorum ſe prodit fiducia. Stat attonita magnis euentibus Gallia, et in venerabili Procerum Europæ concilio Te iuuenem publicæ mortalium ſecuritatis ſtatorem cum ſtupore contuetur. Hac Tu pietate tua et ſedato regimine inſuperabiles illos Franciæ hoſtes omnium Borbonidum primus ſuperaſti, pallidam inuidiam et toruum liuorem; adeo ut Galliam, a Te nuper Principatibus auctam, non iratis Europa iam adſpiciat oculis, quæ ad leuiſſima eius augmenta, ad unius olim urbis acceſſionem commota trepidauerat.

Perge

Perge cum pacifico Carolo turbidos adhuc Maris Mediterranei fluctus valido tuo tridente mulcere, Corſosque Liguribus redde pacatos; qui Geneuam nuper Geneuæ pacatam reddidiſti. Perge dubiam Iuliacenſis et Montani Ducatuum cauſam amica et ſtabili pactione componere, latentesque ſub cineribus compeſcere ignes; ſine Vobis pacis præſidibus erupturos in flammam. Perge Arctoum orbem ſacris tuis innodare vinculis; qui perantiquum illud Franciæ cum Suecia fœdus renouaſti, vt bellicoſos illos ad boream populos, veterem illam gentium vaginam, florentiſſimo olim orbis Imperio fatalem, contineres in pace. Imitentur magnum exemplum Ruſſus et Danus, Tecumque in mutuos amplexus et in fœdera ruant. Tuis tandem ſuccumbat conſiliis ferox Byzantium et æquas cum Auſtria pacis conditiones, Te auſpice, Te placido conciliatore admittat. Ita cum exteros turbis relinqui politicæ regnantium rationes expoſcant, Tu moderationis tuæ famam, non regni tui limites ampliare decernis; veræ Francici nominis gloriæ amplificator deſtinatus a cœlo. Quam blanda de amabili Purpurato tuo fama per omnes longe lateque circumuolitat gentes. Ad quemuis uitæ eius periclitantis rumorem terretur Germania, Belgium tremit, Itali, Britanni, Bataui, Oriens Occidensque commouentur: qui aureas ei ſtatuas certatim erigerent, niſi auguſtiora ipſe ſibi pridem in ciuium Europæ cordibus erexiſſet monumenta; verum ipſe publicæ tranquillitatis palladium et delicium orbis. O ſalutarem tot gentibus Principum diſcordantium ſinceram concordiam! quam

lætam Germaniæ; quam tibi præ omnibus, Alſatia, iucundam. Tu, quæ lacrymas, quas grandæui Herois, Rectoris tui funus tibi nuper expreſſit, nunc rurſus abſtergis; quæ heroicos eius ſpiritus in nouis Præſidibus et ſtatoribus tuis Conio Brolioque rediuiuos ueneraris, ad nouam quoque rerum tuarum iam exſurgis fiduciam. Tuque tandem, Alſatiæ Dea, Argentoratus inuicta, quæ Carolingicis temporibus in Francici Imperii meditullio ſita, antiquiſſimæ Germanos inter Galloſque pactioni præbuiſti theatrum; quæ Ludouici Germanici et Caroli Calui fœdus, utroque adſpectante exercitu, ſolenni ceremonia ſancitum vidiſti, nunc Caroli Auſtriaci et Ludouici Borbonii firmiſſimum fœderis et amicitiæ vinculum præ omnibus Europæ urbibus te fore gloriaris, et ab excelſa pyramide tua orientali et occiduæ plagæ tempora tranquilla iam felix annuntias. Tu Rheni ancipitis olim formidanda cuſtos, ſublime reſtaurati amoris iam perſtas monumentum. Perſtabis ara Palladi, ara Muſis Herculique Muſagetæ et Phœbo ſacrata: ad quam nobilis aduolans Germaniæ pubes votiuas per templa et per compita voces effundat, hymnumque omni bellico pæane dulciorem, cum Alſatiæ ciuibus certatim ingeminet: Sit firma, ſit ſtabilis, ſit immortalis, æterna Franciæ Auſtriæque fortunata concordia.

D I X I.

PANE-

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXL.

Tertium vitæ ſuæ decennium ſaluus et felix Ludouicus transegit, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi. Ad ſacra Decennalia ciues ſuos inuitat Gallia; ceremoniam, quæ non vnius regni circumſcripta limitibus, ſed Europæ communis, cuius tranquillitas ab Optimi Monarchæ vita et perennitate dependet. Religioſa ceremonia! qua ſuum Principi obſequium Roma vetus renouauit; ſolennibus votis obſignans præterita, firmansque futura, et ambitioſa pietatis ſuæ monumenta poſteritati ſacrauit. Tam præclara antiquitatis veſtigia tu premis et ſequeris, deuotiſſima Regi tuo ciuitas, Argentoratus fidelis. Confluis ad Feſti Auguſtalis ſpectaculum, et in extremis Galliæ finibus zelo et feruore cum ardentiſſimis certas; hoc ſolo infelix, quod tantæ pietatis tuæ nec par nec dignus eſt inuentus interpres. At cœpta tua perficies ſacra, et quæ publicam LVDOVICI FELICITATEM in hoc loco toties inter gratulationes et plauſus me præeunte celebraſti, hodierna feſtiuitate celebrabis DOMESTICAM.

Verum inſolito hanc Panegyrin ſplendore colluſtratam eſſe ſentio. Tu nimirum in ea primum refulges, lucidiſſimum Alſatiæ ſidus, Illu-

ſtriſſime Brogli, Franciæ Mareſchalle; cuius curæ et prouidentiæ orientalis hic Rheni limes a Ludouico commiſſus. Tua, Heros Inuicte, gloria pace belloque parta, nouum in me accendit dicendi ardorem; tua modeſtia de te dicturis dictat ſilentium. At non ſilet Bellona, non ſilebit Alſatia, leni tuo moderamine felix et læta, tuarumque virtutum perpetua futura teſtis et præco.

Domeſticam Ludouico fortunam gratulaturus exſurgo, Auditores. Fortunam, quam dicerem publicam, quia Ludouici priuata. Habet hoc cum priuatorum ſorte ſors principum commune; ſimulacrum felicitatis eſt, non vera felicitas, cui deeſt domeſtica. Ille imperii Romani Auguſtus conditor, quo Roma, rerum domina, nihil auguſtius vidit, quam felix poſteritati dicendus fuiſſet, niſi cui in omnibus belli pacisque artibus tam indulgens, tam facilis arriſit fortuna, is ipſe in domo ſua eandem expertus eſſet nouercam. Floreant longe lateque per terras, per maria, per orbem diffuſæ Regis potentiſſimi opes immenſæ. Stent phalanges eius inuictæ, fœderati fideles, propugnacula valida, limes firmatus. Sit ſolers, ſagax, docilis, et ad obſequia ciuis paratus; niſi tantis his opibus Regiæ domus præſidia et munimenta accedant, niſi floreat Auguſtæa proſapia, unde exteris fœderum et pacis mittantur pignora, dubio fere cardine ciuium ſalus, robur et maieſtas imperii innixa videbitur. Fortunatum Ludouicum! qui utriusque felicitatis compos, felix Monarcha, felix maritus

tus et pater, quam carus ex omni parte ſit cœlo, euidentibus pridem documentis Galliæ orbique oſtendit. Enimuero, ſi a ſeculi præſentis exordio, mirabiles Borboniæ gentis ſucceſſus reuoluamus animo, quantus in ea augenda, ornanda, promouenda ſe manifeſtat fauor fatorum. Illi meridies, ortus et occidens diademata, coronas et regna obtulerunt. Illa, quæ ante luſtra triginta ex bellicoſa Cantabria ad debitum ſibi Franciæ ſceptrum, conſilio, armis et virtute proceſſit; illa, inquam, ſeculo reuoluto potens Hiſpaniæ ſolium, tot populorum votis exoptata, conſcendit; illam ad Italica et Inſularia nuper regna prouidentia vocauit. Adeo vt in venerabili illo decem Europæ Regum concilio, tres ſoli Borbonii ceteris coniunctis omnibus auctoritate, magnitudine, potentiaque præcellant.

Proſperitas hæc Domus diuinæ, quæ Diuum Ludouicum veneratur ſatorem, domeſticæ Ludouici noſtri felicitatis origo eſt, Auditores. Huc ſane referimus florentiſſimam ſobolem, quæ in Francica purpura educatur et creſcit; illam, qua Aula noſtra præ multis ſuperbit, charitum gratiarumque coronam. Arduus et ſublimis inter omnes incedit Regalis Adoleſcens, quem multorum Principum loco nobis cœlum conceſſit, Sereniſſimus Delphinus. In te, magno Ephebo, quid omnium primum, quid deinceps, quid poſtremum admiretur Gallia? Ille oculorum Tuorum igneus et ardentiſſimus vigor; illa ſerenæ et exporrectæ frontis tuæ gloria; illa, quæ in ore iuuenili iam

 ſedet,

ſedet, comitate et clementia temperata maieſtas; illa denique corporis totius imago pulcherrima, excelſæ habitaculum animæ, iam pridem in venerationem tui et ciues et exteros certatim rapuerunt. Tu præclaris conatibus, inter palmas et oleas, inter belli pacisque artes, ad ſumma rerum faſtigia eniteris; te Pallas et Muſæ liberaliter inſtituunt; in te formando, inſtruendo, docendo non unus occupatus eſt Chiron. Contemplaris illuſtria veteris Græciæ et Romæ dominantis heroum facinora, æmularis legendo, æmulando ſuperabis; animi alacritate et ſolertia mentis præcurrens ætatem. Sed quid exterorum exemplis tibi opus eſt, qui abundas domeſticis; qui Monarchæ toga ſagoque triumphantis exemplar in Ludouico miraris; ſub quo Gallia ſummum maieſtatis et potentiæ culmen conſcendit, verum ſecuritatis et concordiæ delubrum; qui paratiſſimos exercitus non in gentium perniciem alit, ſed ut monſtra perdomet, oppreſſis ſuccurrat, ciues aliorum rebelles ad obſequium reducat. Has ſibi perpetuas regnandi leges Ludouicus dictauit; has tibi, Galliam olim tuam feliciter recturo, pius Parens commendat. Nec alio profecto tendit ludicrum illud, quod tibi nuper datum eſt, martis ſpectaculum. Scilicet quod ad Compendium, ſeculi ſuperioris fine, Sereniſſimo Burgundiæ Duci, Nepoti ſuo, Ludouicus abauus tuus dederat militare certamen, hoc tibi filio Delphino iam reddidit felix Pater auguſtus; at quam diſpari rerum temporumque periodo. Illud funeſtorum bellorum finis et principium fuerat; hoc pacis duraturæ reputamus præludium. Illo

abauus

abauus tuus terrere æmulos, et potentiæ ſuæ documenta dare ſategit; hoc tibi magnus Genitor nonniſi ludum velitarem eſſe voluit, Gallis exterisque delicio. Quodſi te tamen ex umbratica hac martis ſchola ad arma fatalia Nemeſis aliquando vocaret, Deum immortalem! quanta tui futura eſt ſpecies, cum tu in patenti illo gloriæ campo iuuenis et martius heros paludatus videberis; cum tu valla, munimenta et aggeres audax perrumpes, cumulabis hoſtium cadaveribus foſſas, euertes mœnia, et nouus Poliorcetes magni Imperatoris munus, ipſa ſtupente Bellona, implebis. Dent tibi ſuperi, ut et tum tibi ſit ludus victoria; ut hoſtes ad accipiendas victoris leges tu ludendo reducas. Quam facile tum heroem tu indues, qui puer iam pueritiam exueras, induiſti iuuentam. Quantis te tum plauſibus reducem, ſanguine hoſtili et triumphali puluere reſperſum, ouans recepturus eſt Pater; receptura Gallia; in te Clodoueos illos, Martellos et Carolos viſura rediuiuos. At lætior ea, paludamento depoſito, ad paternas te pacis artes redeuntem aſpiciet; aſpiciet togatum, populis pacatis iura daturum, exteris exempla, poſteritati miracula; aſpiciet te artium ac litterarum ſtatorem et protectoremglorioſum. Sed, quo mea me rapit in Delphinum pietas? Auditores. Ille enimuero præcipuam Ludouicianæ Domus felicitatis partem componit; ab eius indole genioque publica olim tot gentium pendebit felicitas.

Arcet a Francico ſceptro Regum filias lex Franciæ Salica, ab ipſo Merouingicæ ſtirpis ſtabilita exordio. Regii Principes, in ſpem

galli-

gallici regni educantur; Principes feminæ in ſpem regum exterorum. Quot Heroides ex auguſtali Franciæ gynæceo ad Angliæ, Luſitaniæ, Lotharingiæ, Sabaudiæ ſolia ſine fructu transmiſimus. Tertia Iſabella Francica, tertio Hiſpaniarum Philippo e Gallia coniux transmittitur. Henricorum ſecundi quartique filiæ, ſecundo quartoque Philippis, Hiſpaniæ Regibus, nullo in publicam tranquillitatem commodo, deſponſatæ fuerunt; ardentibus inter regnum vtrumque bellis pertinaciter continuatis. Illud tandem attigimus tempus, Auditores, quo Iſabella Borbonio - Francica, Philippo Borbonio - Hiſpanico nupta, arctiſſimum amoris et amicitiæ inter imperia vicina vinculum firmabit, roborabit ad poſteros. Herculea hæc ſobole, ad columnas Herculeas naſcitura, efficiet, ut et ſuos olim Hiſpania Hectores et Alexandros Ludouico nepotes oſtentet; unde populi ſibi Reges, unde mare Neptunos, unde Pallas ſuos aliquando Achilles et Aiaces deſumat. Quid ad hæc Magna Galliæ Genetrix, Regina piiſſima? maximorum Principum, Coniugis et Parentis, Franciæ Sarmatiæque delicium? Lætatur ea tantis auguriis et proſperis liberorum ſuorum fatis; frequentia et flore eorum Iunone Niobeque felicior; quæ noſtras ſuperioris ſæculi Marias et Annas fœcunditate ſuperat, Clotildes et Radegundes ſanctimonia æquat; comis, blanda, vigil et mater ſollicita; Genetrix mox orbis futura, cui ex diuite eius gremio numeroſa pacis pignora transmittet Ludouicus orbis pacator.

Hanc

Hanc Tu tibi perennem gloriam et immortalem tueberis, Indulgentiſſime Principum, Rex Optume Maxume; qui Chriſtianos inter et Barbaros nunc quoque ſedes diuinus pacis ſequeſter; qui fervidos Auſtriæ et Ruſſiæ populos, inter ipſos bellicorum tormentorum fragores et cruentiſſima proelia cum Turcis pacaſti. Sic atri illi ſanguinis humani torrentes tua cura et prouidentia ad Orientem aruerunt. Per Te Boryſthenes, Tyras et Iſter lætas et tranquilliores undas iam voluunt, nulli nationi populoue funeſtas. Per Te Tartarus, per Te Dacus, Bulgarus, Thrax, Mœſus, Theſſalus, Macedo cum Sarmata reconciliatur et Hungaro. Obſtupeſcet poſteritas, ubi legerit, fuiſſe tempus, quo diſſipatas cœli ſui tempeſtates, diſſipata tonitrua tranquillanti Francico Ioui non modo Palus Mæotis, ſed et inhoſpitalis ille Pontus Euxinus debuerunt.

Turbidum illud Corſicæ Regnum, in mediis Maris Liguſtici undis, per tot ſecula, incolarum mobilitate magis, quam fluctibus agitatum, nonniſi Te auſpice pacatum nuper eſt et ad quietem reductum. Hoc Tu victricibus armis ſubegiſti, fatorum eius et ſortis futuræ auguſtus iam arbiter. Inſula infortunata! quæ ab Hetruſcis ad Pœnos, ad Romanos, ad Saracenos, ad Ligures longo fatorum ordine male tuta tranſiuit, nunc Tuum, Ludouice, imperium præ omnibus exoptat, Tibique iuuentutis ſuæ florem, fidei ſuæ pignus perpetuum, in Galliam transmittit.

Sed vix Tu Eurum cum Borea Ortumque cum Ortu in gratiam reducis, cum et opem Tuam ſupplex implorat remotiſſimus Occidens, noui orbis incola, Americanus imbellis. In hos nimirum tela vibrantur, quæ hoſtilibus odiis et iracundia incenſi inter ſe iactant Hiſpanus et Anglus. Hæc maxima Purpurati Tui cura, vt Neptuno atque Tritoni imperium maritimum reſtituatur pacatum. Ille Tuus tam imperterritus publicæ tranquillitatis vigil et cuſtos quam falſos eos eſſe demonſtrat, qui nonniſi de prolatando Regni ſui limite, de augendo imperio ſollicitos eſſe Gallos tam audacter declamant. Firma amicitiæ vinculum, quod Borbonios inter et Auſtrios Tu omnium Franciæ Regum primus noua et inaudita ratione formaſti, et cum pacifico Carolo tam raram, tam ſalutarem orbi concordiam, ringentibus licet æmulis, ſartam et inuiolatam conſerua. Sic Tuo tandem exteri diſcent exemplo, quantacunque Gallicæ potentiæ incrementa accedant, ſub pio Rege, ſub fido Regni adminiſtro, libratas illas Europæ vires, nimium quantum a nonnullis iactatas, ulla nec arte nec violentia turbari.

Communis iam omnium vox eſt, a Tuo unius nutu et arbitrio communem fere gentium pendere quietem; Gallia claſſicum canente, furit ubique mars impius, tellus et oceanus fremunt, cuncta bellico ardeſcent incendio. At perſta tranquillus. Iubet id tutelaris Europæ genius, cuius Tu pridem in terris his vices geſſiſti. Optat id Britannus,

tannus, optat Batauus, Belga, Italus, optat Germanus. Ita publica mortalium ſalus cum tua priuata, cum tua domeſtica ſtabilis, firma et inconcuſſa vigebit. Ita non decennalia, ſed ſecularia pro Te vota et pro vniuerſa Domo tua faciet, non pius modo Chriſtianorum populus, ſed et omnis Mahometicus Oriens et Occidens paganus.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXLI.

Nondum a ſtupore ſuo redit conſternata Europa; Auditores omnium ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi. Nondum a terroribus reſpirant populi, quos anni ſuperioris portenta vniuerſis iniecerant. Vna ſolis infelix periodus ſpectaculum repræſentauit malorum, quæ maiores noſtri per ſeculorum interualla vix experti ſunt ſingula. Horreſcimus adhuc ſtrages illas, quas aſpera boreæ ſibila et hiemales rigores, illa inſecuta intemperies cœli, Cereris, Bacchi et Pomonæ regnis certatim intulerunt. Horreſcimus adhuc furentem Æolum, Tonantem illum et Pluuium Iouem, qui procellis et aquilonibus ſuis, tremoribus terræ, vibratis per ipſam hiemem fulminibus, adapertis cœli cataractis, ſpretis fluuiorum, lacuum et ſtagnorum litoribus, vrbes, agros, totasque prouincias pertinaci diluuio fœdare aut euertere viſi ſunt; immania illa Deucalionis et Pyrrhæ tempora ex veteri Poetarum reducturi hiſtoria. Torua hæc naturæ facies funeſtiorem longe rerum politicarum per omnia fere Regna et Principatus aſpectum trementibus populis præſagire videbatur. Quanta titubantis Europæ conſternatio! cum repentinum illum Auſtria-

ſtriacæ Domus occaſum, ſub cuius imperio olim ſol nunquam occidit, illam Auguſtiſſimi Caroli præmaturam et ſubitam mortem præceps et lugubris per orbem fama nuntiaſſet. Quis tum mente animoque non vehementer commotus eſt? ciuis vel exterus, fœderatus vel æmulus, chriſtianus vel barbarus; illud iam tempus aduenisſe lamentari, quo improbi martis furores per omnes longe lateque graſſaturi ſint populos; quo in fatale certatim neſas ruituræ ſint gentes: horrenda illa aquarum diluuia longe horribilius diluuium ſanguinis portendere arbitrati. Germania de rebus ſuis præſertim ſollicita fuit, Auditores; quæ futuri interregni decurſum imminentibus libertati ſuæ periculis, bellorum ciuilium flammis, rapinis et cædibus funeſtandum iam pridem augurauerat; triſtiſſima illa Friderici ſecundi morientis tempora, quibus impetus et violentia pro legibus erant, atque adeo ſeculi cuiusdam ferrei fata, ſeculo noſtro reditura, vaticinans. Videres hanc malorum iliadem, infortunata Germania, niſi viueret Ludouicus; Ludouicus publicæ populorum et Tuæ iam præſertim quietis benigniſſimus ſtator ſponſorque generoſus. Ille orbis antiqui rebus tutandis vnice dum videtur intentus, non obliuiſcitur noui; prouidentia ſublimi omnem habitabilis terræ complexus circuitum. Periclitantur Europæorum, per Hiſpanos in America negotiantium opes et communes theſauri: magnanimus eorum ſeruator et vindex Ludouicus accurrit; non modo pacatos populos, ſed et quantum in ipſo eſt, opulentos et diuites ſua cura redditurus. Rara et

auguſtæ elogia, Auditores; unde in ſolenni hac Regiorum Natalium ceremonia, quam tu pia et deuota Regi tuo Argentoratus quotannis inſtituis, nouum mihi dicendi argumentum exſurgit: LVDOVICVS COMMERCIORVM EVROPÆ ET GERMANICÆ LIBERTATIS DEFENSOR.

Anni ſexcenti ſunt, Auditores, ex quo commercia, Imperii Romani Occidentalis occaſu et barbarorum irruptione euerſa, inter Europæas nationes reuiuiſcere cœperunt. Portuoſa Ægyptiorum, Syrorum et Aſiæ Minoris litora luſtrantes ad Orientem Itali: ad Septentrionem Teutonica ſua Hanſa Germani lætiorem illis cultum et faciem reſtituere auſi ſunt. Reperta tandem noua et toti antiquitati ignorata opulentiſſimi commercii via, cum Peruenſium et Mexicanorum diuitiæ, ab Hiſpanis detectæ, omnium fere populorum excitaſſent ſolertiam: Gallis, Anglis, Germanis, Batauis, Italis, temporum inſequentium tractu, maximam auri illius argentique partem ad ſe deriuantibus. Britannorum audax et ingenioſa induſtria ad maritimas Americæ partes mira præſertim celeritate penetrauit, atque illam noui orbis oram inſulasque vicinas Anglicis paulatim repleuit colonis; Noua Anglia, Noua Scotia, Penſiluania, Virginia, Barbados, Bahama, Iamaica, Carolina, Georgia aliæque Britannorum imperio adiectæ prouinciæ, me tacente, loquuntur. Facilis hinc ad Hiſpanicas colonias tranſitus; hinc furtiua commercia, ceteris Europæ gentibus noxia; quæ per argenti-

gentiferas Hiſpaniæ claſſes mercimonia ſua cum Americanorum theſauris magno cum fœnore permutare ſueuerunt. Repetitæ ſunt toties contra Britannos querelæ, pactionibus ſubinde repetitis ſopitæ; donec feruido res nuper marti commiſſa et atrox belli maritimi excitata tempeſtas; Britannis liberæ nauigationis iura contra Hiſpanorum, quam vocant, piraticam pertinaciter vindicantibus; Hiſpanis fraudulenta aemulorum commercia nulla non ratione prohibituris. Otioſus tantorum motuum vix potuit eſſe ſpectator Ludouicus; vicinos inter belligerantes medius. Tutelaris hic orbis Chriſtiani genius, qui magnum illud Pacis Vindobonenſis opus tam prudenter, tam placide, tamININglorioſe perfecit; qui Germanos inter, Hiſpanos et Italos reduxit concordiam; qui percitos Ruſſorum animos et Turciæ ferocientis ſuperbiam fregit, hic, hic, inquam, ardentia Anglorum pectora ullo nec conſilio, nec ulla molli ratione delinire aut mitigare valuit. Magnis ergo motibus ſurgit Neptunus Britannicus; feruent in eius portubus operae, maritimus mars urget arma et Hiſpanicis per nouum orbem colonis minatur excidium. Indica gaza, gentibus Europaeis huc usque communis, ad ſolos in poſterum transferenda Britannos; America non Europae ſed Angliae futurum emporium; vna inſula capiet, quod vniuerſa Hiſpania ſibi ſoli retinere haud potuit. Illi, qui incrementa vicinorum potentiæ limis plerumque oculis et tam triſtes aſpiciunt; qui Principum Europae vires aequis ſemper librandas ponderibus tam pertinaciter iactant; illi vetera et cum tot gentibus

bus communicata commercia ipſis Americæ inventoribus Hiſpanis extorquere conati ſunt: in nouo id affectantes orbe, quod in veteri damnant. Ad imminentem hanc fortunarum ſuarum iacturam ingemiſcunt populi; ſed ad commune depellendum periculum num quis auxilium vel validam opem afferre viſus eſt? Sola tot gentium cauſam defendit Gallia, Auditores; ſola periclitantem Atlantici maris mercaturam cum vigore ſuſtentat. Excurrit diuerſis itineribus Francica claſſis; non in vllius populi armata perniciem; non maritimo Galliæ ampliando imperio; non Francici commercii prolatandis limitibus, ſed priſcis ſervandis et publicæ commerciorum libertati tutandæ, quam liberæ nauigationis ſpecie violarunt Britanni. Gaudet in ſinu ſuo Batauus, qui graui illo ineuntis huius ſeculi Hiſpanico bello, Anglis licet arctiſſime iunctus, fœderibus tamen ſuis ſollicite cauerat, ne quid Americanarum prouinciarum perueniret ad Anglos. Gaudent cæteræ nationes, et Ludouico dignum magnitudine eius gratulantur conſilium; quod æquitas laudet, quod extollat prudentia, quod ipſa, ſi modo fateri velit, non reprehendat Britannia. Ergo Tritonas inter et Nereos marinus tandem Heros ſublimis incedis, Triumphalis Ludouice. Rector oceani fluctus demulces, tridentem Tua dextra librans, at ſiniſtra caduceum. Te maris Atlantici accola, Te barbarus Americanus iam ſuſpicit et ſua pro Te vota cum Europæis coniungit. Roſtratas Tuas naues, tot vela liliata, amici, æmuli, vaſtus Oceanus mirantur et ſtupent; ea numero augendi viribus pollere Te conſcii,

quo-

quoties publica populorum ſalus et Francica id maieſtas requirat. Terra pelagoque formidandus arma ipſe nec reformidas, nec prouocas; qui non temere in negotia ruis, ſed lente feſtinare magni illius Romanorum Imperii Inſtauratoris exemplo et ſapientibus immortalis utinam! Purpurati Tui conſiliis iam pridem didiciſti. Experitur id in graui rerum ſuarum periculo triſtis et afflicta Germania, Auditores; auguſto nuper capite ſumma cum infelicitate orbata. Illa ad tam clementis, ad ſapientiſſimi Monarchæ inopinum deceſſum cœleſti velut fulmine percuſſa Ludouicum reſpexit; Ludouico conſolante recepit animum; Ludouico confirmante reuiuiſcit. Ita profecto eſt; omnia Interregna ſunt Germanis fatalia; Carolinum, quod cernimus, optimus et prudentiſſimus quisque reformidauit vel horruit. Audiuiſſes, qui omnimodam publici Germaniæ iuris et rerum conuerſionem; qui truncum ſine capite corpus perſtituram Germaniam; qui vniuerſam potentis Imperii perituram compagem, prouti metus quemque ſuus exagitauerat, tanquam ex Apollinis cortina prædicerent. Præcipua cunctis ex Gallia formido; cuius res domi forisque proſperæ, bellicoſus miles, inſtructum ærarium et potentia creſcens Regi, viris, armis, opibus et iuuenta florenti, ne imperii proferendi cupiditatem iniicerent timebatur vbique. Inde nimirum nil niſi triſte et periculoſum expectauit Germania, unde ſalutis ſuæ et libertatis præſidia proximis his ſeculis non ſemel acceperat. Illa notiſſima Imperii formula, quam Regiam nonnulli legem appellant, quæ electis

Cæſaribus datur norma regnandi; illa Ferdinandæa Paſſauienſis Tranſactio, ſacrarum in Germania cardo cauſſarum; illud denique Teutonicæ libertatis palladium et arx ſacra Magnatum; intemeratæ illæ pacis Weſtphalicæ ſanctiones cuius tandem regni armis, conſiliis, curæ, prouidentiæque debentur? Gallici, ut puto, Auditores. Gallorum potentiſſimi Reges, Franciſcus, Henricus et Ludouici poſtremi illarum profecto legum, quibus omne Germaniæ robur, pax interna et ſalus innititur, promotores et vindices extiterunt inuicti. Quantum Gallici ſanguinis effuſum eſt! ut leges hae ſartæ, tectæ, ſtabiles et ad noſtrum usque ſeculum inuiolatæ ſeruarentur. Sed iam tempus illud, Auditores, attigimus, quo omnia Maiorum ſuorum in Germanos merita, diuina quadam mentis excelſitate, immenſum exſuperat Ludouicus Pacificus; difficillimis temporibus, quibus tam dubius, tam periculoſus eſt Germaniæ ſtatus, magnanimum libertatis eius defenſorem nouo et poſteris vix credibili ſe profeſſus exemplo. Teſtatur id Auguſtiſſimi Regis haud fallax oraculum, quo Ille rerum Germanicarum placidum ſpectatorem ſe fore ſolennibus effatus eſt verbis, ſpectatorem et arbitrum iuſtum et æquum; ne quid per tumultus, per violentiam, per arma geratur; ne a contemptoribus legum turbetur res publica; ne periclitetur libertas. O dignum Diui Ludouici nepote oraculum! dignum quod ſacro encauſto in Annalibus Germanicis ad omnem temporum memoriam perſcribat æternitas. Nec aliud profecto Oratorum, quos Rex optimus ad exteras aulas dimittit,

nego-

negotium eſt; qui non niſi oleas pacis per regna et principatus, ſumma cum omnium admiratione, diſpergunt. Teſtabitur id prudens Batauorum Respublica; teſtabitur bellax Suecia, Ruſſia victrix et ipſa ſucceſſibus ſuis ſuperbiens Ottomannica Porta; teſtantur quotquot ſunt Europæ populi; in omnes Ludouici motus oculis et mentibus perpetuo defixi: quo claſſicum belli vel pacis tubam reſonare iubente, ſanguine ciuili lauatur Germania, aut in conſtante et priſtina tranquillitate ſeruatur. Frequentes hinc legatorum ad Aulam Eius itus et reditus; communicata cum eo Regum Principumque conſilia; delata ei rerum maximarum arbitria; mirus omnium in eo colendo, amplectendo conſenſus; ſumma in eius æquitate et magnanimitate fiducia: qui tanto glorioſior domeſticæ Germanorum pacis futurus eſt ſtator, quod rebus eorum agitatis potentiſſimos quosque populos ab eodem torrente, ab eodem belli turbine correptos plerumque conſpeximus. Immortalia hæc Regis in Germaniam merita oculis lætiſſimis aſpicit Francica Rheni cuſtos, vicina Alſatia; magno Brolii, Pro-Regis ſui, præſidio ſecura et felix. Venerandus ille toga ſagoque heros, qui Rhenenſis oræ proſperitati tam conſtanter inuigilat, qui omnium exterorum animos mira ſibi mentis benignitate deuincit, Raurico Baſilienſium Principatu pacato, rebellibus ad obſequium ſua cura reductis, tam illuſtri Ludouicianæ in Germanos amicitiæ documento illuſtrioribus, quæ videmus, prælusit. Imminet iam tempus illud, quo ſolio Romanorum Teutonico nouus imponendus eſt

 Cæ-

Cæſar Auguſtus. Omnia ubique apparatibus ſtrepunt; dubii fluctuant Magnatum animi, inter ſpem atque timorem maximarum rerum expectatione ſuſpenſi. Feliciſſimos populos! ſi ad tam arduum, ad tam graue maturandum negotium, ad confirmandam patriæ trepidantis ſalutem, Nouem-Viralis illa Germaniæ Amphictyonum conſpirabit corona; ſi ſanguini ciuium ſuorum, ſi focis et laribus, ſi viſceribus ſuis parcet fortiſſima natio; ſi dignus Carolis, Fridericis, Henricis, Ottonibus eligetur Heros Succeſſor, qui potentes regnorum ſuorum Proceres auctoritate, conſilio; vicinos fœderibus; remotos amicitia; vniuerſos amore ſui et admiratione coniungat. Promouebis hoc opus, Chriſtianiſſime Regum, Germaniæ et Orbis Pacator ſanctiſſime; qui tam amabili, tam excelſa in terris maieſtate refulges. Tibi præ omnibus Capetingis perennis hæc ſeruata eſt gloria, ut veterem Gentis Tuæ Francicæ patriam, venerandas illas Merouingorum et Carolidum ſedes, ubi tot illuſtria pietatis eorum, fortitudinis et potentiæ veſtigia reſtant, vbi vera Francici Imperii quærenda primordia, Tu Auguſtus Borbonida ex tanto temporum interuallo, contra ciuilium et externorum bellorum pericula munires, defenderes, et illam tot ſeculis celebratam Libertatem Teutonicam contra quosuis inſultus, tam rara ſanctimonia, illibatam ſeruares; glorioſo *Germanici* titulo memorandus ad poſteros. Gliſcant ex omnibus terræ partibus contentionum et diſcordiæ ignes; turbidum ubique cœlum ſæuas tempeſtates comminetur et fulgura; ille Tuus tam lucidus, tam ſere-

nus

nus aſpectus procelloſas paulatim diſſipabit nubes, diſſipabit tonitrua. Te in cœleſti Tua pacis vigilia ſtante, irriti reddentur Martis et Bellonæ conatus. Ergo tanti hi apparatus; hæc agitatio rerum; hae coitiones et fœdera; vaſta, quæ paſſim cernimus, bellorum molimina; illa denique, quibus tot florentium Prouinciarum funus indicitur, tam dira præſagia, quid tandem, ſi vota noſtra exaudiuntur, efficient? ut quam potens, quam pacifica, quam religioſa ſit Gallia, orbis intelligat.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXLII.

Ferax prodigiorum hoc Seculum eſt, Auditores omnium dignitatum et ordinum ſplendidiſſimi; Anno, quem finiuimus, nullus feracior. Viſum eſt prouidentiæ diuinæ, fata Auguſtiſſimæ Domus, quæ opum et potentiæ ſuæ metas non viderat, duorum Carolorum morte hoc ſeculo terminare. Viſum eſt, potentis Germanorum Imperii molem aliquantum concutere, nouamque bellicoſæ gentis rerum gerendarum reſerare hiſtoriam. Occidit ante octo hæc luſtra Carolus, Auſtriacorum in Hiſpania Regum poſtremus, ſanguine fere merſus eſt orbis chriſtianus. Occidit nuper Carolus, ſtirpis ſuæ in Germania ultimus, omnium prudentiorum iudicio publicæ tranquillitatis Europæ funus indicitur. Ita eſt, Auditores; molium excelſarum cum ruunt faſtigia, corruunt vicina, conquaſſantur remota, remotiſſima tremunt et inopinata ſæpe ruina in commune abripiuntur exitium. Enimuero, quis rerum politicarum vel mediocriter gnarus Auſtriaci trecentorum in Germania annorum regiminis finem, maximarum calamitatum initium fore non triſtis augurauerat. Quis ſolii Germanorum vacaturi tempora cum præciperet animo, non bellorum ciuilium

euen-

euentus triſtiſſimos; non imminentem Imperii florentis occaſum, non iliadem aut lernam malorum gentibus vicinis et remotis prædixit: diuinæ tamen deſtinationis omnes ignari; quæ grauem hanc rerum conuerſionem ad Ludouici Pacifici tempora fixerat, quo regnante orbis tam infelix eſſe non poteſt. Magnum Germaniæ trepidantis ſolatium, Auditores, quæ atras inter nubes et micantia fulgura, euitatis fulminibus, ſalua fere ad portum appellit; quæ nouum in ſolio ſuo Monarcham oſtentat populis; quæ nonniſi in orientalibus ſui regni prouinciis martem iam ſentit; at Ludouici prouidentia martem, quod ſperamus, breuiſſimum. Felix et glorioſum Auguſtiſſimo Regi in hac Alſatica Regiorum, quos celebramus, Natalium feſtiuitate gratulandi argumentum: LVDOVICVS EX GERMANIA MAGNVS.

Centeſimus decimus annus eſt, ex quo Germanica Argentoratenſium Academia, inter publicas diuturni belli calamitates, Ludouici Galliarum Regis in Germaniam merita, hoc ipſo in loco, ſplendida et ſolenni celebrauit Oratione. Quid feliciores inter rerum euentus hodie Gallica faciat, Auditores? Scilicet ab eo tempore, quo in Regni peculiaris corpus coiuit Germania, ſingulis ſeculorum ætatibus graui motuum inteſtinorum morbo afflicta decubuit, a quo nonniſi martialibus flammis, nouus ut ex cineribus phœnix, purgata reſurrexit. Periodici huius contagii, quod ſecularem luſtrationem diceres, illi ſub Saxonica Cæſarum Dynaſtia Principum coniurantium motus perpetui: illa ſub Salicis inter Sacerdotium et Imperium pernicioſa diſcordia: turbida

bida Guelforum Sueuicis ſub Imperatoribus oppreſſorum tempora: ferreum magni Interregni ſeculum, rapinis et ſceleribus horridum: inſecuta Auſtriacos inter et Bauaros de Regno certamina: Huſſitarum rebellantium furiæ: feruida ſequentis aeui religionis diſſidia triſtiſſimi profecto teſtes ſunt: triſtiorum longe fatorum præludia, quæ Germania pertulit; tragicum feralis tricennii theatrum aperiente Bohemia. Praga, Regni florentis Regia, belli ardentiſſimi facem in excelſa ſua arce, ut alta olim Troiæ Pergama, tum prima accenderat. Praga nonniſi poſt infinita heroum et principum funera, poſt Germaniam viribus, viris, armis exhauſtam a Sueco, Galliæ fœderato, expugnata, direpta belli facem extinxit; initium et finis tot malorum futura, infelix et felix. Bohemicum, qui vniuerſam mox Germaniam inuoluit, turbinem domeſticis ſuis rebus intenta ſpectauerat Gallia, cum præſentem eius ac ſubitam opem anxia libertatis ſuæ imploraret Germania. Vidit illa, Auditores, vidit volitantia per campos, per prouincias ſuas, toto tredecim annorum ſpatio, Francica lilia. Perdenda Germania, ut ſeruarentur Germani, ut Regno, tot fatis iactato, nouus ex calamitatibus ſplendor accederet. Tantæ molis erat! diuinum illud Pacis Weſtphalicæ opus condere; quod munus regale cœleſteque donum pereuntibus Germanis a Ludouico M. oblatum. Lætior beneficii indoles eſt, quod noſtris temporibus periclitanti Germaniæ præſtat Auguſtus Pronepos. Enimuero iam non unus vel alter illius oræ Princeps, Galliæ fœderatus auxilium Ludouici præſi-

præſidiumque implorat; non diuturni per Germaniam belli ſparguntur ſemina; non ruunt commercia; non agri ſterileſcunt; non pecunia et opibus Germanus emungitur: urbes, ſtricto militum gladio expugnatæ, mira ſanctimonia ſervantur illæſæ: parcitur præſidio; parcitur ciuibus: ſacra et profana perſtant intacta. Quam mitibus, quam benignis hodie res geruntur auſpiciis; quam ſecundis, quam proſperis cuncta fatis procedunt. Seculi opus anni ſpatio Ludouicus peragit. Num quis veſtrum, Auditores, anno ſuperiore mihi, ex hoc loco dicenti, fidem adhibiturus fuiſſet, ſi vobis vates prænuntiaſſem: Octoginta millium Gallorum exercitus Rhenum tranſibit; tranſibit ab ipſis Germanicæ libertatis vindicibus, a potentiſſimis Electoribus quinque ad Germaniam tranquillandam arbiter inuitatus, vocatus: tranſibit ſocius et expectatus hoſpes, excipiendus hilariter, excipiendus amanter. Non Ripuarius, non Alemannus modo, non Francus Orientalis aut Bauarus, ſed Weſtphalus, Saxo et remotus Boruſſus mutuis cum Ludouico iungentur fœderibus; certabunt officiis; et qui ob leuiſſimos olim Galliæ motus feſtinarunt ad arma; ad hanc Ludouici expeditionem, ut Græcia olim ad mercatus Olympicos, ad rarum ſpectaculum undiquaque accurrent; afferent commeatum, ope ſua et conſilio Gallos iuuabunt. Aduertite, Auditores; hæc vobis, hæc ſeculis futuris incredibilia pacificus et felix perfecit Ludouicus. Per maximas ſeptem Germaniæ Regiones, quas Circulos vocant; per vaſtum illud Bohemiæ Regnum amicus et innoxius

agit Francicus miles: Germaniam in ipſa iam quæras Germania. Illa ſuos tanto ex interuallo fratres; illa priſcos in nepotibus Francos, Salios, Sicambros agnoſcit: qui ex antiquis Rhenum inter et Albim ſedibus, ubi Francici Regni reperimus exordia, in Galliam transgreſſi veterem poſt tot ſecula patriam læti iam et ouantes inuiſunt. Ludouici nunc prodigium! Aulicæ prudentiæ ſublimioris arcanum! Te nimirum tanti miraculi gloria immortalis manebat, Chriſtianiſſime Regum, Potentiſſime Principum, quem Occaſus et Oriens, Auſter et Boreas venerantur et colunt. Tu omnium Capetingorum primus, magno regnatricis ſapientiæ exemplo, non finitimas Rheni Moſæque regiones; non vicinas Tuo Regno prouincias, ſed ipſa vaſtiſſimæ Germaniæ viſcera numeroſo cum exercitu, ſine hoſte, ſine bello lætus et ſerenus rerum ſpectator et auxiliator occupaſti; ipſis ſociis Tuis ſtipatus Germanis. Occupaſti, non Gallici Imperii prolaturus limites, non Tibi prouincias paraturus aut opes; ſed ut inter ſocios regna, coronas et principatus diuidas; Francicas Tuas opes liberalis profundens: ut tantos inter euentus pacem Europæam vacillantem ſuſtentes; fugituram retineas et priſtino ſolio reſtituas vindex glorioſus. Tua auctoritate continetur Batavus; continetur Anglus et Ruſſus; ne omnes Teutonici Principes, Cadmæorum fratrum inſtar, mutuam in perniciem ruant; ne Bohemicæ turbæ uniuerſam, ut olim, Germaniam in exitium trahant; ne, Domo tam potente extincta, orbis furente conflagret incendio. O varios ſæpe mortalium metus et terro-

res

res inanes! Auſtria occidente Galliam pridem ſolam Germanus extimuit: Tu Procerum Germaniæ diſſidentium portus et refugium es. Sentiat illa tandem, Te non dominos rerum imitari Romanos, qui ſub ſpecioſo ſociorum defendendorum titulo ſummum in terris occuparunt imperium. Sentiat, moderationem, magnanimitatem, æquitatem Tuam certiſſimum Europæ libramentum et libertatis propugnaculum fore. Docet id Tuis nuper auſpiciis compoſita grauis illa Iuliaci et Montium Ducatuum cauſa; quæ omnium mentes et animos tot annis ſuſpenſos et ſollicitos tenuit. Docebit id Pacis, Tuo ſub præſidio Germanicos inter Proceres firmandæ, formula; nouum Publici iuris futura fundamentum et norma; qua Tu ſecuritati eorum et ſaluti proſpicies pius fœderatus: Magno Tuo Proauo hac quoque parte felicior. Pacem ille ſuam, tranquillitatis Teutonicæ aram, pereunti et proſtratæ comparauit Germaniæ: tuam Tu præparas ſalvæ, florenti. Promouendis olim populorum commerciis, Auditores, Rhenum et Danubium iuncturus erat potens ille gentis Carolidarum ſator, Galliæ Germaniæque Monarcha communis. Ludouicus Garumnam et Viadrum, Albim et Ligerim, Viſurgim et Sequanam felicioribus auſis coniungit; Rheno tanta inter vincula medio; tantos inter ſucceſſus exultante et læto. Reſurgerent formidandæ illius Auguſtanæ ſeculi ſuperioris in Galliam Ligæ fœderati. Reſurgeret ardentis olim Germanos inter et Gallos odii auctor et exſtimulator, Quintus ille Cæſarum Carolus. An non plenus ira et indignatione

dicturus videretur: non miror hæc facta; facta ſunt mea ſtirpe extincta.

Regnorum Reges ſuos eligentium morbus eſt, ut diſcordantia inter factionum frequentium ſtudia periclitetur plerumque publica ſalus; libertas ſtet dubia, tota regni compages, magnis quaſſata fluctibus, non raro dehiſcat. Scopulos hos naufraga quoties non euitauit Polonia? ad illos non ſemel illiſa eſt miſera et diſcors Germania. Arduum transactum eſt opus, Auditores, quod communibus ſuffragiis Imperio Romano Cæſarem, Germanis et Italiæ Regem, tot populis Patrem et Seruatorem elegit Fortiſſima Natio; promouente Ludouico. Interuenit ille ex Gallia Deus; eligentium animis Saxonicam inter, Bauaricam et Lotharingicam Domos diſtractis et dubiis. Tu tandem conſpirantibus Octouiralis Collegii vocibus proclamatus es Cæſar, CAROLE ALBERTE, Teutonici Imperii Sacratiſſimum Numen; qui inter tot Principes Europæ, tot inter lucida orbis ſidera Auguſtiſſimum caput, tot coronis refulgens, iam ſublimis extollis. Salue magna cœli progenies, ſacroſanctæ Religionis defenſor, Aſtrææ fugientis vindex, terror Barbariæ. Quam rara præ maioribus, præ omnibus Bauaris tuis gloria condecoratus incedis! Præcedit Te veneranda tot veterum ex Agilolfingis, ex Carolingis et Guelfis illis turba Heroum. Præcedunt inuicti Ludouici, ex ſanguine tuo Cæſaris, tot illuſtrium Auorum tuorum glorioſa facinora. Comitatur ipſa tua

Diuis

Diuis a maioribus in Te deriuata virtus, quæ ad ſummum in terris maieſtatis faſtigium Te euexit, promouit. Sequuntur populorum applauſus et famæ gratulantis præconia, quæ Te nouæ poſteritatis ſatorem, quod inter redeuntem publicæ felicitatis auroram ſolium Auguſtale conſcendis, nunc iactat per orbem. Illa Tua, quam Germanicis in Annalibus nouam iam condis, Bauarorum periodus, bellicorum tumultuum ſit ignara, ſit expers: ſit fœta pacis triumphis, ciuium et exterorum amore et amicitia partis. Feliciſſimos populos! quod circa ipſa Imperii Tui exordia, tuis et Ludouici auſpiciis, æmulationis Germanos inter et Gallos fomenta ſublata ſunt; iræ ſepultæ. Beatiſſimos Vos Alſatiæ Ciues; Vos litorum Moſæ et Moſellæ accolas; Vos Rheni cuſtodes; quos inter mutuus ille ceſſat iam metus, ceſſat diffidentia; quos inter non lubrica, mutabilis, ſed conſtans et duratura vigebit in poſterum animorum concordia. Corruant ad Rhenum arces et munimenta minantia; deſtruantur propugnacula vicina litoribus; præſidiarius miles recedat ab urbibus; remoueantur a limite tormenta bellica et quæ alia audax mortalium excogitauit libido. Tu fidus et perpetuus, Ludouice Germanorum perſtabis fœderatus: Tu pia cum Germanis tuis de orbe pacando agitabis conſilia; ut profundiſſima tempora, præ omnibus Galliæ Regibus, Te hoc ornent elogio: Quantus eſt Ludouicus! non ex debellata, hoſtili, ſed ex fœderata, pacata Germania Magnus.

D I X I.

PANEGYRICVS
LVDOVICO XV.
REGIIS NATALIBVS DICTVS
ANNO MDCCXLIII.

Ludouicæis Natalibus Galliæ et Europæ pacem qui gratulaturus ex hoc loco videbar, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi, bellicas ille turbas locuturus exſurgo. Suſpenſos mortalium animos ſpem inter et metum tenere diuinæ prouidentiæ eſt decretum arcanis. Sæuit adhuc in Orientali Germania immanis Bellona; ſuoque contagio populos ad Meridiem et ad Occaſum infeſtat; infeſtat Italiam, Oceanum, Maria; ipſo quoque Septentrione nouam ſibi turbarum præparante materiam. Adſpicit hæc ex ſolio ſuo dolentibus oculis Gallorum Monarcha et diſcrepantes tot Procerum rationes digna Chriſtianiſſimo Rege cura et maieſtate reuoluit; formidabiles inter armorum, quos facit, apparatus ardentiſſimus pacis promotor et ſuaſor. Tam ſublimi, tam diuino negotio Ludouicus dum conſtanter inuigilat; Europæ complementa votorum omnes dum expectant ſolliciti; tot illuſtrium heroum, qui tanto operi promouendo ſpiritum et ſanguinem glorioſe impendunt, pia Argentoratus celebrabit elogia: Auguſtiſſimo Regi inauditam militum ſuorum fortitudinem, ſolenni hac feſtiuitate tanto magis gratulatura, quod ex hoſtium

ipſo-

ipſorum teſtimonio nobile nobis oritur differendi argumentum: GALLICÆ VIRTVTIS MIRATRIX BOHEMIA.

Praga ab Auſtriacis oppugnata, a Francis defenſa ſeculi præſentis prodigium eſt, Auditores; virtus qua defenſa miraculum: Quos oppugnatores ante octennium vidit et ſtupuit Rhenus, hos oppugnatos iam ſtupeſcit Muldauus: illuſtrandæ bellicoſæ nationis virtuti nouo identidem diuerſis in oris ſe aperiente theatro. Fortitudo Gallorum, ipſa cum gentis origine, vicinis et remotiſſimis populis ſtatim innotuit. Francorum, contra Romanos libertatem tuentium, inuicta conſtantia an non Francico Imperio, ipſam mox Romanorum in Gallia deſtructuro potentiam, nomen et exordium dedit? Virtuti virtus addita, Gallo-Francica virtus, illam, quam noſtis, Heroum ſegetem, per omnes ſeculorum periodos, florentiſſimo Regno produxit. Enimuero patriam cum regnis vicinis anguſtos nimis exercendorum armorum limites, ab ipſis Reipublicæ ſuæ incunabulis reputauerant Galli, omnem contemnentes gloriæ palmam, quæ non grauibus et ſummis acquirenda periculis. Illa Aſiatica Gallo Græcia vetus; illa Pannonia, Thracia, Macedonia et Hellas vicina; illa denique Cis- et Trans-Padanorum Italia, an non aduenas victores olim admiratæ ſunt Gallos, vel incolas victæ ſuſceperunt et ciues. Boios, Galliæ olim Celticæ populum, Boiohemiæ et Boioariæ, quas occuparunt, regionibus nomen dediſſe ipſi Bohemorum et Bauarorum priſci nos docent

docent Annales; qui gentis vtriusque origines e Gallia petunt, atque adeo Marcomannos et Slauos Gallorum in Bohemia ſucceſſores agnoſcunt. Expugnata a Gallis eſt Roma adoleſcens; expugnata ſunt media Chriſtianorum ætate Hieroſolyma, expugnata Conſtantinopolis; expugnatæ tot Ægypti, Syriæ, Palæſtinæ, Phœniciæ, Africæ et vtriusque Siciliæ arces vrbesque fortiſſimæ; tanta cum Francici nominis celebritate et fama, ut omnes ad Occaſum populi communi *Francorum* voce apud Orientales hodieque appellentur. Renouata eſt his noſtris temporibus temporum antiquorum hiſtoria, Auditores. Galli poſt duo millia, et quod excurrit, annorum ad cliuoſas Bohemiæ oras armati feſtinant: ſed omnem olim ſubegiſſe Bohemiam tantæ molis non erat, quantæ hodie eſt ſolam eius defendiſſe metropolim. Scilicet fœderatæ Bauariæ laturus auxilium Gallorum exercitus, peragrata Germania, Sudetis montibus et ſilua Hercynia agmine ſuperatis diuiſo, vrbem Bohemiæ principem petit, Regnumque, orientalem eius ſi plagam excipias, menſis unius ſpatio, fere totum ſubmittit. Debellatum! niſi exercitus ſuos cœlum armaſſet; niſi Scythicus boreas, æther et nimbi, niſi rabida libitina et peſtes peregrino ſub ioue militantibus Gallis bellum nuntiaſſent; quo miſera exercitus nuper victoris, qualis olim D. Ludouici in Ægypto et in Africa belligerantis, exorta conditio; qui tantas inter rerum anguſtias, in tam disſitis a patria oris, hoſte undiquaque premente, deſtitutus auxilio, vnicum illudque firmiſſimum in conſtantia et fortitudine ſua inuenit

præſi-

præſidium. Suſtentauit hæc imperterrita Gallos noſtros; ex tanta aduerſitate fatorum nouam ſibi laudis et gloriæ paraturos materiam. Creuit inter ipſas calamitates audacia: Piſeckium, unde rerum noſtrarum ſumma pendebat, firmiter defenſum. Num quis veſtrum, Auditores, crediderat? fore ut victorioſus ille apud Lincium hoſtis, numero et ſucceſſibus præualens, ab oppido munimentis deſtituto, tot malis quaſſato, abſtineret. Abſtinuit; ſiue quod ſemel iam repreſſus, ſiue fato repulſus. Quis martiam intrepiditatem non ad cœlum extulerat? cum Egram ab exigua Gallorum manu mox oppugnatam et captam; mox victum ad Sahayam hoſtem audiuiſſet attonitus: animis heroicæ gentis ad maiorem rerum felicius gerendarum fiduciam ſemper erectis; nunquam profecto minus depreſſis, quam cum inſecuta Auſtrios inter et Boruſſos Vratislauiæ pax totam ex improuiſo belli molem in eos ſolos vertiſſet; cum omnis hoſtium impetus irruiſſet in Pragam. Hanc denique Troiam, hæc Pergama auidi Europæorum oculi tot menſes reſpexerant. Facilitas, qua vrbs paulo ante occupata, docuit, quam parum munita, quam defenſu difficilis ſit. Millia viginti quinque Gallorum duplex numero Auſtriacus, virtute et fiducia plenus, oppugnat exercitus. Dux acer et ſtrenuus ex auguſta Lotharienſium Domo, heroibus fœta, ſuffoſſionibus, vineis, vallatis molibus, cuniculis nihil intentatum relinquit, et ut nouus Samnitium Pontius Pragam Gaudium Gallorum fore confidit; nec fruſtra confidit, niſi pro Poſthumio Francicum reperiſſet Papirium.

Terruit hæc imago abſentium animos, Te præſentem Imperatorem non terruit, Magnanime Broli, qui inter ædium domuumque ruinas, inter arcium et palatiorum incendia, inter famem et inopiam rerum inuictus et impauidus ſemper heros egiſti. Conſcia nimirum innatæ virtutis tuæ audacia eſt. Vix tua te Alſatia profectum audiuerat, cum te Galliæ Leonidam iam tenerent thermopylæ; illud Piſeckium tuum; vbi tu numeroſiorem longe et feruidum hoſtem, toto ſex menſium ſpatio, non ſine numine diuum retinuiſti; cum quotidie exercitus tuus, vt apud inferos cœnaturus, pranderet. Quam memorabilis ille tuus a ſuperiore Muldauia verſus Pragam receptus; militaris ſcientiæ ſublimioris exemplar: quo tu tempore Gallis et hoſtibus, quam in ipſa victoria viſus es maior; inter occiſos ad latus comites, inter ferreas pilas, circa caput ſtridentes, immortali ſeruatoris exercitus tui glorioſus elogio. At quanti te mox in ipſa Bohemorum Regia expectarunt labores! Conieciſti te ubique inter præcipitia rerum; tam prodigus tui, ut nullam ſalutis, nullam vitæ tuæ rationem haberes, cum ſecuritatis publicæ habere debuiſſes. Tu dux, comes vbique, hortator et miles: tanto teſte commilitones vitam quam libenter profuderant! Te centurio, te tribunus, legatus certatim amat, colit, laudat, extollit; in te Gallia ſcutum et enſem, vt olim in Marcello et in Fabio ſuo Roma, ſe habere gratulatur. Sed et veſtra vos virtus iam euexit ad ſidera, militum fortiſſimorum bellicoſa ſoboles, qui vrbis excelſæ præſidio impoſiti palmas, vulneribus vel morte venales,

les, a ſuperbo et pertinaciſſimo hoſte reportaſtis non ſemel. Igneus veſter impetus et plus quam virilis; veſtra alacritas plus quam hectorea, quoties vobis viam ex urbe per euerſa propugnacula, per medias obſidentium ſtrages, ferro aperuerunt; foſſis in hoſtium ſepulcreta conuerſis. Veteranus et nouitius miles tam unanimi veſtris cum ducibus zelo, tantaque cùm magnanimitate pugnaſtis, ut ancipiti in periculo rerum, hoſte vos minis et promiſſis urgente, veſtrarum cohortium vix ulla ſacramenti violatorem vel transf gam viderit. Quadragies mille glandes, e tormentis emiſſas; globorum ignivomorum millia decem in vos obſeſſos proiecta; famem, morbos ceterasque bellorum furias, diuturna obſidione plerosque veſtrum abſtuliſſe credebamus, cum Ciuitas liberata maiore vos tandem numero reddidiſſet; quam obſidenda acceperat; reddidiſſet tot heroes, quot acceperat milites: qui furcas ab Auſtriacis iam paratas indignati fregiſtis; Pragam potius temporum noſtrorum reddituri Numantiam, reddituri Carthaginem, quam turpe vobis fœdus pacturi: digniſſimi, quos obſidionalis illa veterum Romanorum exornaret corona. Reſpiremus! Auditores. Tot bellica diſcrimina, tot continuati labores ſpiritum vel narrantis ſuſpendunt. Reſpirauit quoque ad tempus exercitus, ſed Thebani monſtrorum domitoris inſtar duriores, qui imminebant, vt mox caſus perferret. Repræſentandus erat ſeculo noſtro Xenophontæus ille decies mille Græcorum ex longinqua et hoſtili regione ad ſuos Græcos receptus. Quatuordecim millia Gallorum

 ſub

ſub ipſis fere hoſtium, numero præſtantium, oculis Praga egreſſi, continuo duodenorum dierum noctiumque itinere, per auia montium, per præcipitia rupium, per cliuos et valles, niue glacieque rigentes, inter feruidos aquilones et hyperborea frigora, inter perpetuos hoſtium irruentium inſultus fame, ſiti, geluque adusti, nullis tentoriis vel tectis recepti, de tot periculis, de tot caſibus, de ipſa denique morte triumphantes Egram appellunt. Horridum et tremendum opus! Auditores; ipſis, ſi viuerent, illis Græcis ſtupendum! opus herculeum et plus quam humanum; Bellilii genio et ardore digniſſimum. Quodſi Gallico militi, ex decreto fatorum, deſerenda Bohemia; ſi vrbe ad extremum redacta, Francicorum armorum gloriam nonniſi hoc pretio ſeruare licuerat, vix terribiliore experimento robur et fortitudo Gallorum potuiſſet probari. Et iam quis mirabitur? ſi Bohemiæ incola, Huſſiticis olim bellis tam notus et ferox; tot Cæſareanorum exercituum implacabilis victor; a quo nihil non hoſtile Gallis timendum, Gallicæ virtutis admiratione perculſus, odium in amorem mutaſſe viſus eſt; cum Auſtriacos exercitus, fatali rerum conuerſione, priſtinum ſuum erga Bohemos amorem in odium vertiſſe crederetis. Enimuero illa tot arcium, tot oppidorum adhuc fumantium buſta; illa proſtrata tot vicorum pagorumque cadauera; illi cinerum acerui, adhuc igne rubentes, triſtiſſima non Gallorum, ſed Auſtriacæ facis veſtigia ſunt. Scilicet non agris vaſtitatem, non trepidationem ciuibus illaturus noſter exercitus intrauit

uit Germaniam; oleas pacis, fœdus et amicitiam offert; nihil ex tantis rerum motibus, quam ſtabilem et duraturam populorum quietem ſibi Gallia depoſcit. Conſciam conſiliorum tuorum Europam, Ludouice, appello, conſcium orbem; qui Te lenem, pacificum, Te pacificatorem toties expertus eſt magnum, conſtantem. Non mentem hodie tuam mutaſti; non artes regnandi. Leuitatis et inconſtantiæ Te mortalium nullus accuſat. Promouit ſub auſpiciis tuis hæc pacis conſilia ille, ſupremo Tibi nuper fato ereptus, venerandæ ſanctimoniæ Purpuratus ſenex; ille tam mitis et placidus veterum Gallorum Hercules, hoc ſeculo rediuiuus; qui nonniſi lenibus vinculis animos ciuium et exterorum ducere conſueuerat, hoſtis armorum. Applauſit conatibus tuis ſagax Batauia; illa celebratæ Achæorum olim fœderatorum potentiæ Respublica æmula, cui Chriſtianus huc vsque debuit orbis, quod bellicis vniuerſus non flammis deflagrat. Hæc moderationem tuam et abſtinentiam alieni, hæc legum imperii tui, hæc armorum tuorum finem non ignorat eſſe populorum quietem. Numquid illa hodie ſuam mentem mutaret? illa, quæ media bello, quæ Tecum conſentiens obfirmatam illam pertinaciam martis ſua tandem ſuperaret conſtantia; ſuperaret percitos Anglorum animos; qui veteres Galliæ æmuli pacem, a Te tam ſincere oblatam, tam præfracte ſufflaminant. Deſinant illi tuam in exteris Principum Aulis exaggerare potentiam, vt reddant inuidioſam, vt ſiſtant terribilem. Sinant humano Te parcere ſanguini, et ad priſtinas tuas pacis te redire deli-

cias: vt Germanorum in viſcera ruens Germania, tot vulneribus feſſa, refocillando ſe ſociis ſuis reddat et ſibi; vt Danubii, Oeni et Iſaræ litora, quæ effuſo cruore et cadaueribus horrent, ſolita amœnitate reuireſcant et floreant; vt Germaniæ vaſtatæ gemitus et Bohemorum lamenta hilares in cantus et in plauſus vertantur; vt Eridanus, Tagus et Tameſis, fluctibus tranquillatis, ad quietem redacti, Te nutricium pacis, Te nutritorem, Te publicæ ſalutis reſtauratorem iunctis Galliæ et Europæ vniuerſæ votis extollant.

D I X I.

PANE-

PANEGYRICVS

LVDOVICO X.V.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXLIV.

Regius illuceſcit Natalis, Auditores omnium dignitatum ordinumque ſplendidiſſimi, et exortu felici precibus noſtris votisque reſpondet.

Liliis condecoremus altaria, floribus compita; accendendæ ſunt Cœleſtibus faces; Alſatiæ nuper ſeruatæ gloriam Ludouico gratulemur. Inauditum cœli nobis patrocinantis exemplum!

Regionum Danubianarum vaſtatorem martem longinquum proſpicimus; placida ad Rhenum Alcyonia tranſigimus læti; alienorum periculorum ſpectatores ſecuri: en ad Rhenum Bellona. Bellona, quæ hoſtili et numeroſo ſtipata exercitu, tormenta litoribus, fluctibus pontes imponit, Gallicam Auſtraſiæ oram, Iuraſſum et Vogeſum metu ac terroribus complet. Perculſa Alſatia! rerum humanarum viciſſitudinem ſtupes, atque in te directa hoſtium minitantium tela; in te gladios et acinaces ſtrictos; in te conuerſa tormentorum fulmina contueris, exhorres.

Con-

Conclamata Alſatia! fortunæ et felicitati tuæ videbaris ſuperſtes; vel ſub ruinis, ſub cineribus tuis ſepulta iacebas, miſerandum et exſangue cadauer, niſi ſubitam Monarchæ tui opem et auxilium præſens experta fuiſſes, niſi promptus tibi accurriſſet præſidio Ludouicus tuus, LUDOVICUS ALSATIÆ SERVATOR.

Servatorem ergo tuum ſplendidis præconiis hac feſtiuitate celebrare tuus te, Alſatia, te, Argentina in Auguſtiſſimum Principem amor et veneratio iubet.

Imponite ſacrato eius capiti ciuicam liberatoris coronam. Applaudite mentibus et vocibus iunctis Patriæ Patri; capeſſite vota ſupplicibus formulis: Præibo vobis ego, Auditores, ſolitus veſter votorum interpres, tenuem verborum apparatum pio pro Regis et Regni gloria ardore compenſaturus et zelo.

Nulla Europæ Regio ab exterorum populorum armis ſæpius tentata, ſæpius vaſtata fuit, quam noſtra Alſatia, Auditores. Fertilis et amœnus hic Rheni ſuperioris tractus, Gallici Romanorum limitis cuſtos, barbaricis exercitibus olim aditum clauſit; ſeneſcente imperio, hoſtibus vndique ingruentibus impar vel inuitus aperuit.

Nec felicius profecto inſecutis temporibus fuit huius prouinciæ fatum, quum ea Francicos fines Germanico reſerare Imperio, Germaniam Francicis armis obſerare debuerat. Annales pertinacibus bel-

lis

lis et perpetuis ſtragibus horridiores Alſaticis vix usquam reperias. Enimuero tum Gallus certatim, Germanus, Burgundus, Lotharingus, Heluetius; tum Britannus, Suecus, Hiſpanus et Hungarus in Alſatiam, velut in ludi amphitheatralis arenam, virium ſuarum facturi periculum, vel mutuis potius armis perituri deſcenderant: tesqua et deſerta inhoſpita reddituri regionem, quam ad Cereris Liberique certamen prodiga donorum natura deſtinauerat.

Nec ſperandus erat prouinciæ finis malorum, niſi laborantis filiæ ſortem miſerata tandem ſuccurriſſet Gallia, vetus Alſatiæ mater, ſuccurriſſent Ludouici.

Sub horum imperio conuerſa eſt Alſatiæ ſemper titubantis, toties proſtratæ, fortuna: tot arcibus, et munimentis in ea paſſim exſtructis, tot vrbibus, inſulis arte munitis, vt illa hoſti appropinquanti olim aperta et patens, ferreus hodie et impenetrabilis Galliæ orientalis agger, nonniſi longis et herculeis aliquot annorum laboribus expugnandus, evaſerit,

Et hæc tamen Troia, hæc Pergama, tot inexpugnabilia martis mœnia, vna nuper autumnali expeditione euertenda credebantur.

Ita eſt, Auditores. Auſtriacus ad Danubium victor exercitus, proſpera armorum animatus fortuna, medios inter æſtatis ardores, magnis itineribus properauit ad Rhenum; Alſaticis litoribus iniecturus

ſrenos; Alſatiam infelicis Bauariæ redditurus ſororem. Appropinquauit a ſeptentrionalibus oris cum Cheruſcis et Cattis ſuis, cum Belgis et Batauis bellax Britannus, borealem Alſatiæ limitem obſidens, ut Auſtriacos, ab ortu irrupturos, fulciret. Briarei illius centimani ſocios noſtris ceruicibus imminere, vel ſeculum illud ferreum redire dixiſſes, quo Eurus et Boreas Burgundiones, Hunnos, Gothos, Alanos, Sueuos et Vandalos, ſedibus ſuis excitos, ad Rhenum effuderant.

Deditionem hoſtis iam ſuperbus poſcebat; iam in caſtris eius Alſatiæ captæ canebatur epinicium, pæan ante victoriam: frequens viciſſitudinis bellicæ imminentis præſagium, Auditores. Quæ enim Danubium aduerſantem ſibi Gallia viderat, vidit Rhenum fauentem. Deſtinatus irruptioni tertius poſt Calendas Septembres; faſtis Alſaticis ex hoſtium conſilio ater et infauſtus futurus; ſuperorum conſilio conuerſus in album.

Stat in excelſa Briſacenſium ripa Carolus, Carolorum Lotharienſium virtutis et ſanguinis heroici hæres; rerum gerendarum feruidus hortator et teſtis. Stat diuites Alſatiæ agros, ut Pœnis olim ſuis Latium Hannibal, ex alto oſtendens.

Tentatur duplici tranſitu Rhenus; alueo maiore ad Briſacum tranſitur; ad Rhenouillam totus ſuperatur; tanta cum pertinacia, ut eodem in veſtigio vincere aut mori decretum. Primus fit impetus in vici-

vicinum caſtellum, quod pontis conſtruendi propugnaculum deſtinauerat hoſtis. Aduolant Galli, audito hoſtium ad ripam appulſu, ac velut ſinguli duces, neglectis ordinibus, ſpolia reportaturi opima, igneo cum ardore rapiuntur. Quanti caſus paruis vnius auroræ intercesſere momentis, Auditores!

Cernitur et proſternitur hoſtis; caſtellum, quod ille iam occupaturus erat, liberatur; reliquis ferro nonniſi naufraga ſalus relinquitur. Traiectæ ſunt globis noſtris fugientium et aduentantium naues: vtrique triſtiſſimum Auſtriacis, oppoſita ex altiore ripa grandinem globorum in noſtros mittentibus, at expeditionis ſuſceptæ errorem iam indignatis, ediderunt ſpectaculum. Sed et indignatus eſt Rhenus, Alſatiæ cuſtos, qui cæſorum et viuentium corpora miſcuit, vulneratos et integros vorticibus abſtulit: hoc ſolo fere Gallis iniquus, quod nulla nobis inſignia, nulla monumenta victoriæ reportatæ reliquit.

Tuo ſub Alſatiæ præſidio memorabiles hos rerum illuſtrium experimur euentus, Fortiſſime Cogni. Tua ſummi Ducis prouidentia vigil ſupremo illi litori, periculi pleno, Legatum *) præfecerat, quem conſummata experientia rerum, quem moderatio animi et militum amor digniſſimum reddit, ut in partem Alſatiæ a te defenſæ veniret. Tantis ſub defenſoribus nihil vsquam ſuperfuiſſe credidimus, nec iam nunc ſupereſſe putamus, quod poſſet timeri.

*) M. de Balincourt Lieut. Gen.

Timuimus tamen, Illuſtriſſime Heros, cum te imperatorem, adhuc ſtantem in armis, inſidioſus nuper ex improuiſo inuaderet morbus. Ingemiſcebat Alſatia, te eſſe mortalem; ſi is poteſt eſſe mortalis, quem illa orbis olim regina Italia, quem Parma, Guaſtalla, Eridanus, Ollius immortalitati adſcribunt, nunc et Rhenus abſcribit. Tu nimirum, inter tanta pericula ferreus, noſtram ut vitam et ſalutem ſeruares, tuam ipſe obtuleras. Nunc Regi reſtitutus et Regno, iam Alſatiæ noſtræ ſeruatus diuinitus, repræſentabis nobis palmas et lauros, quas tibi exercituum ductori, tibi patri et ſoſpitatori noſtro, remuneratrix meritorum tuorum prouidentia iam parat.

Tanto illuſtrior autem Alſatiæ liberatæ gloria vobis videbitur, Auditores; ſi hoſtis, qui repulſus eſt, virtutem et indolem, ſi robur eius, vigorem et animos animo vobis repræſentare volueritis. Abſit vagus ille et temerarius miles, qui nonniſi ſanguine delectatur et rapto; hoſtibus et amicis inhumanus et barbarus. Flos ipſe hoſtilis exercitus, militandi vetus, conſtans, intrepidus, tot prœliis, tot obſidionibus hiberna æſtiuis æquare ſolitus, hoc tandem documento expertus eſt, Gallos extra Galliam vincibiles, in Gallia inuictos: expertus eſt, nimiam virium ſuarum fiduciam et tumidum ſui hoſtis contemptum frequens eſſe aleæ martis conuertendæ præludium. Itaque et auſibus excidit illa hoſtium manus, quæ in inſula Briſacenſi, noſtris propinqua litoribus, per ſpatium bimeſtre conſidens, ſpe inani lacta-

ta,

ta, rebus infectis ad ſuos reuertit, oræ Alſaticæ valedicens, quod ſperamus, æternum.

Quid vero tandem ſelectus et formidabilis Anglorum coniuratus in nos exercitus? Auditores. Et ille intacta Alſatia, ad Belgas regreſſus eſt, haud regreſſurus impune, niſi nimius noſtrorum ardor, nobis ſæpe fatalis, magnanimi ad Dettingam Ducis interuertiſſet conſilia. Hoſtilem exercitum inter montes et aquas obſeſſum tenere; omnes ei per terras et undas intercludere commeatus; tormentorum noſtrorum ignibus eius caſtra aperire, bellicæ ſagacitatis eſt opus ſublime. Noallii opus, Auditores; quo ad Mœni ripas fulmina in Britannos vibrante, numeroſus et audaciſſimus hoſtis, ſine enſe et prælio, periturus erat, ſi victoriam expectare, quam præcocem rapere maluiſſet miles omnis moræ impatiens. Sed et ita tamen borealis huius prouinciæ ſeruatus eſt limes; omnisque adeo cunctis a partibus manſit intacta et illibata manſura eſt Alſatia virago: tot nouis iam operibus, foſſis, caſtellis, aggereque ad Rhenum perpetuo vallata et aucta, ut hoſtibus nonniſi per aerem venturis ad eam detur acceſſus.

Cara Heluetia, inuicta herois! quantum amicitiæ tuæ ſtatuendum eſt pretium, quæ Rauracorum tuorum limitem, nobis contiguum et iniuriæ nobis inferendæ obnoxium, hoſtibus noſtris reddidiſti impervium, nouoque adeo documento probaſti, priſcam illam,

noſtris iam probatam maioribus, Heluetiorum conſtantiam adhuc immotam. Felicia hæc capimus fœderis tui, cum Ludouico mox renouandi, auguria. Necte tandem arctiſſimos cum Gallia nodos, quæ fœderatorum tuorum omnium prima libertatem et otium tuum non aſpicit inuida, ſed præ reliquis ſociis tibi gratulatur vicina. Grauitatem tuam mirabuntur poſteri, cum ex Annalibus huius æui intelligent, innumeris Gallorum, Hiſpanorum, Hungarorum et Auſtriacorum exercitibus te undique cinctam, a nonnullis tentatam, at tranſitu cunctis negato perſtitiſſe interritam.

Ita perbelle res cecidit, Auditores. Ex ancipiti rerum periculo ſalui tandem et læti emerſimus, a Ludouico liberati a cœlo ſeruati. O magnum illum diem! qui pridianus fuit ante nonas Septembres, duplici iam euentu incolis huius oræ notabilem. Auidam ſpem hoſtium ſi fata compleſſent, una nox diſcrimen futura erat prouinciam inter florentem et nullam. Sed qui dies ille potuit nobis funeſtus eſſe, quo ante hos quatuordecim annos diuinum felicitatis duraturæ pignus palladiumque accepimus. Qui dies ille potuit eſſe Alſaticæ ſalutis finis, quo Natalia Delphini nouam Gallicæ perpetuandæ ſalutis conſtituerunt periodum periodique initium; quo ſideris feliciſſimi ortum, ad Principis primogeniti cunas, Regi ſuo gratulata eſt exultans Gallia.

Tuæ vero in Te Alſatiæ affectus et amor hæc inter pericula, hos inter terrores in flammas erupit, Auguſtiſſime Regum; qui vix

alio

alio tempore intimos cordium noſtrorum receſſus certius explorare potuiſſes; tranquilliore voluiſſes. Quam celeres, quam fervidi civium, ad arma concurſantium, motus; quam communis omnium pro ſceptri, pro imperii tui gloria zelus!

Timuiſſet Alſatia minus, ſi Te minus amaſſet. Sed iam menſium aliquot labores et diſcrimina ſubiit, fortunata Francicis ſub auſpiciis ut ſecula duceret. Et cur ea tandem felicia et pacata ſecula non ſibi promitteret? Corruit inſpectantibus nobis ſuperba illa Rheni domina *), vrbs ardua, tot operibus, tot propugnaculis a natura et ab arte munita, Alſatiæ infeſta toties, ab ipſo, quod nuper ſtupuimus, poſſeſſore deſtructa.

Quantum armamentarium, contra nos ſemper inſtructum, concidit! fauſtiſſimo de futuris pro Alſatia omine; martem ab hac parte iam eſſe ſepultum.

Anni centeni ſunt, cum Pacis Germanicæ, ſanguinis humani diluuio partæ, a Ludouico proauo tuo apud Weſtphalos ſunt iactata fundamina. Tu virtutum eius imitator et æmulus, continuata tua pro populorum ſalute cura, tuisque pro pace reſtituenda laboribus et annum hunc, quod ſperamus, memorabilem reddes; annos, quos Proauus negotio conficiendo impenderat, conuerſurus in menſes: qui non aliud impenſarum tuarum, quæ immenſæ ſunt, præmium poſtu-

*) Briſacum vetus.

poſtulas, quam ſocios ſeruatos. Interea triumphi tui, Ludouice, ſunt ciues ſeruati, et donec priſtinum Pacificatoris gentium Tibi reddas elogium, læta cum plauſibus vox noſtra reſonabit: Regna pius, regna felix, viue, anna, perenna, Rex, pater et ſeruator Alſatiæ, proclamande mox gentibus, ſeruator Europæ.

D I X I.

PANEGYRICVS

LVDOVICO XV.

REGIIS NATALIBVS DICTVS

ANNO MDCCXLV.

Septimum vitæ luſtrum magnos inter rerum euentus LVDOVICVS abſoluit, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſplendidiſſimi. Quinquennalia vota ex veterum vobis formula rurſus indico, quæ pro Cæſaribus ſuis effuſiore cum lætitia vix Roma ſuſcepit; quæ maiore cum pietatis affectu nos vix unquam repetemus. Noua Ludoviciani Galliarum Imperii reſeratur hiſtoria. Prodit ex Palatio ſuo Rex Ductor exercitus, et in Belgio, in Brisgouia expertus Imperator appellit, qui ex regia profectus credebatur militiæ tiro: futuris et noſtro probaturus ſeculis, non fieri Borbonios, ſed naſci Heroes.

Ita eſt, Auditores. Iuuenis Monarchæ ſub auguſtiſſimo ductu militat iam Franciæ pubes; in patentes Bellonæ campos, veluti ad ſpectaculum, Ludouicus procedit; artes, quas per ludum didicerat, iam per ludum exercens; tot Diuorum ſanguis et nepos bellicas quoque virtutes eorum in publico totius orbis expoſiturus theatro. Alſatia felix! cui Martis ſui primitias Rex ſagatus, Rex triumphator dicauit; quæ deſperatis fere rebus auxilium eius experta præſens, infini-

tis amoris et clementiæ pignoribus ab eo acceptis, antiquiſſimarum Regni prouinciarum iam nulli concedit.

Non expectabitis ergo a me, Auditores, ut in ſolenni hac Regiorum Natalium feſtiuitate Ludouicum ego vobis in ſeptentrionalibus Galliæ oris Victorem, aut Flandriæ Poliorcetam oratione extollam. ALSATIÆ LIBERATOR, quem tam anxie, tam ardentibus votis expetiuiſtis, cuius auguſtum numen intra vrbis veſtræ pomœria venerati eſtis, ſacra hac luce prædicandus eſt nobis.

Arduum Oratoris opus, Auditores, qui rerum dicendarum copia pondereque perculſus, niſi veſtro fulciatur fauore, de ſucceſſu deſperat.

Rhenus ab Auſtriacis anno ſuperiore tentatus, ſuperatus eſt nupero, Auditores. Sequanicæ ſolliciti timebamus Alſatiæ, occupatur Nemetica, et inſidioſo hoſtium ferro infelix ſuccumbit. Pro patriæ intemerata ſalute, quæ in hoc loco nuncupauimus, vota, non omni ex parte rata eſſe voluit prouidentia diuina; noſtræ quod fortaſſis nimium confideremus potentiæ, vel quod florentiſſima Imperia fragilitatis ſuæ admonere ſtagit numen ſupremum. In ipſa tamen aduerſitate fatorum noſtram cœlo curæ fuiſſe ſalutem, quis Veſtrum, Auditores, euidentibus documentis non intellexit, non ſenſit? Ingruentia inter hoſtium arma non ingruit hoſtium furor, et, quod prodigio ſimile, minus horroris excitauerat hoſtis viſus et præſens, quam cum

in

in remotis Pannoniæ, Illyrici et Sclauoniæ finibus audiſſemus longinquum. Enimuero regiorum in Flandria armorum ſucceſſus dum nos læti et gratulantes in his oris accipimus, hoſtilis ad Rhenum fit impetus, fit tranſitus Rheni. Auſtiacorum exercituum ductor, Auſtraſiorum Achilles, manu et conſilio fortis, Alſatico in litore figit tentoria. Hungarus, Croatus, Illyricus, Sclauus et Raſcius, agile et arrectum agmen, torrentis inſtar in agros, vias, vicos et pagos noſtros, ac in oppida irruunt. Terror ac pallor omnium occupant ora; nihil ſacrum ſuperbis hoſtibus, nihil inviolabile fore miſeris lamentis clamitauerant omnes. Commotus eſt præceps Vogeſus; trepidauit Iura nobis vicinus; fluctibus ſuis intumuit Rhenus vel ambiguus, vel iniquior Alſatis, quod non intumuit hoſte tranſeunte.

Recepimus pauliſper animum, Auditores, cum imperterrita Conii ad Leucopolim virtus hoſtium æſtuantium retardaſſet progreſſus. Audax tum didicit Auſtrius, poſſe ſe in Alſatia vinci. Hunc viribus ſuperiorem Dux noſter experrectus et vigil, ad Bruſcæ fluenta remoratur, refrenat; Fabii Maximi Cunctatoris illius imitatus exemplum; liberandæ Alſatiæ gloriam feſtinanti in auxilium ut Ludouico ſeruaret; qui in amœnis Flandriæ tempis virentes interea palmas novus victor collegit.

Munitiſſima Belgicæ illius oræ propugnacula, arces et vrbes, locorum ingenio arteque munitæ, glorioſo hoc aduentante tremue-

 runt

runt Heroë. Concidit Meninium; concidunt Iperæ cum caſtro Kenoci; concidunt Furnæ, et vix completo quadraginta dierum ſpatio Gallicis omnes armis ſuperatæ ſuccumbunt; hoſtibus rerum geſtarum e vicinia teſtibus, qui ex Angliæ, Bataviæ, Belgica et Teutonica iuuentute delecti Francicum triumphatorem, a fortuna et victoria vbique comitatum, liuoris et inuidiæ ſtimulis agitati adſpiciunt.

Laureatas Ille literas dum per Galliam, per Europam, ad ſocios et ad amicos dimittit, allatus eſt Ei occupatæ ab Auſtriacis Alſatiæ nuntius, inexpectatus et celer.

Figite hoc loco paulisper animos, Auditores, et Prodicianum illum Franciæ Herculem*, velut in ancipiti conſtitutum bivio, taciti mecum attentique miramini.

Florentiſſimas vrbes continuo capiendas victoriæ curſu, prolatandos verſus mare Britannicum Franciæ borealis limites, nouosque adeo per Flandriam vniuerſam triumphos Auguſto Heroi ab vna parte monſtrauit ambitioſa et feruens illa gloriæ militaris cupido. Tutelaris ab altera Alſatiæ genius ad fidiſſimos Galliæ Rhenanæ ciues ab hoſte liberandos Patriæ Patrem inuitat, ſollicitat.

Præualet in Alſatiam amor, Auditores; Ludouicus, ne momento quidem incertus aut dubius, Flandriæ, quæ vallares, quæ murales, quæ obſidionales ſine fine coronas obtulerat, repente valedicit, vt ab Alſatia liberanda acciperet ciuicam.

Feſti-

Feſtinas ergo in Alſatiæ ſuſpirantis auxilium, Amantiſſime Tuorum Pater, et ſollicito quidem cum ardore feſtinas. Sed tener ille Tuus in nos Tuos Alſatas amor fit Tibi fere fatalis Galliæque funeſtus. Morbus atrox, inermem Te vix aggredi auſus, Te prehendit armatum, et ad illud potentiæ Tuæ culmen adrepens in ipſo gloriæ tramite Te retardauit Heroëm.

Quis vacillantis tum Alſatiæ ſenſus, Benigniſſime Regum? Cum vrbs illa, Carolinæ olim victoriæ meta, vitæ Tuæ et victoriæ metas opponeret; cum atra caligo mentem ibi Tuam obſcuraret et oculos; cum Tu aulæ Tuæ iam compoſitus lacrymis, ciuium plangentium iam comploratus lamentis exequiale illud carmen moribundus audires; magna Tui parte exanimatus, ſepultus. Mediocres mortalium curæ loquuntur; noſtræ ſtupuerunt. Horrido ſqualore obtorpuimus omnes, omnium, quæ ab hoſtibus paſſi ſumus, obliti malorum, quum Te pallida cum morte luctantem, Te victum, Te proſtratum audiremus. Expirauimus Tecum omnes, et reſurreximus Tecum: quum Tu Tibi funerique ſuperſtes poſt tot prouincias debellatas et vrbes de ipſa tandem morte reportaſſes triumphum; non ſine miraculo reuocatus ad vitam; vt Tu feruidos illos Galliæ Tuæ deſperantis affectus, vt tenerum ſine fuco populorum amorem, et intimos cordium aperires receſſus; vt Tu, qui delicias Tuas facis genus humanum, Te generis humani delicium eſſe cœleſti documento hoc rediuiuus addi-

ſceres; omnibus amabilis, nullius niſi hoſtium terror, quos ſolos Te reuixiſſe fortaſſis pœnituit. Rarum Monarchæ ſibi ſuperſtitis fatum! Illis ſolis Principibus contingere viſum, qui Traianis, qui Antoninis, qui Tibi, Ludouice, ſimiles illam famæ immortalitatem contemnunt, quæ mortalium miſeria et infelicitate paratur; qui non in corpora ſubiectorum, ſed in cordibus omnium dominantur et regnant; qui ſummis et infimis faciles ciuium et exterorum voluntates alliciunt; togata et caſtrenſi clementia magni.

His Te Tuis exaggeratum virtutibus, Tuæ redditum Galliæ, et ipſa ſibi reddita tandem excepit Alſatia. O ſacrum eius Annalibus menſem! Quem Romanorum exemplo LVDOVICVM vocabimus! O aureum illum Faſtis Argentinenſibus diem! Tertium ante Nonas Octobres, quo quinque dierum dies continuus poſt hominum memoriam maximus et illuſtriſſimus omnium exortus eſt nobis, cum Tu, fulgidum Orbis chriſtiani ſidus, ab occiduis Auſtraſiæ oris ad hanc vrbem lætus et ſerenus accederes. Tum vero omnis ſexus, ætas et ordo; tum delectæ ex Ephebis et ciuibus militares alæ peditumque centuriæ, tum tota puerorum, infantium examina per portas, per plateas, per compita in Tuum, Iouis liberatoris ſui, volitabant occurſum.

Puellaris et virginea turba Te ſertis, coronis, floribus per vias diſperſis Te excepit tripudians; feſtiuum illud REX VIVE, REX VIVE publicis cum applaudentium vocibus ingeminatis acclamans. Tor-

Tormentorum et æris campani reboatus et ſonitus harmonicum aduentanti Tibi religionis et martis obtulerunt concentum. Expectauit Te triumphalis porta, intra muros erecta, Flandricæ et reportandæ mox Rhenenſis monumentum ac inſigne victoriæ.

Turrita Alſatiæ Pyramis, radiato tum capite inter aſtra refulgens, verticem altius cum efferre non poſſet, eiaculatis ad æthera artificialibus ſtellis Tuum Francici numinis ad hanc vrbem aduentum terris nuntiauit et cœlo.

Tibi Clerus et Curia, Tibi Militaris, Equeſter et Literatus ordo; æmulo cum cordium zelo debita Regi Pio, Felici obtulerunt obſequia. Tibi compitales flammas per plateas et vicos, Tibi pictos et variegatos coloribus ignes paſſim et certatim accendimus.

Tibi Cerealia, Vinalia, Piſcatoria, Nautica, Tibi Theatralia, Saltatoria, Muſica alternatis vicibus ſpectacula dedimus: illa veterum Græcorum Megaleſia; illos Auguſtales Romanorum ſuperaturi ludos, ſi diuitiis et opibus æquaremus veteres, quos pio in principem cultu et ardore ſuperamus.

Toto illo quinque dierum Tuæ apud nos moræ ſpatio tædis et facibus exulauimus noctem, exulauimus curas. Tuo Principis genio vt placeremus, indulſimus noſtro: Salientes id paſſim per vrbem vini et nectaris fontes; id viſceratio; id miſſilia populo, militi, ciuibus et exteris data, docuerunt.

Ludo-

Ludouicæa Quinquatria; quibus nos ipſi ciues Argentinam noſtram in Argentina quæſivimus: triſtiſſimis deſolatæ nuper vrbis temporibus, cum Auſtriacus ad portas viſus eſt Hannibal; cum Tu Libitinæ portis videbaris admotus, in tam ſubita lætitiæ argumenta converſis.

Verum enim vero Herculeum Scipionis opus poſt ſpectacula noſtra Ludouico ſuperandum ſupererat, Auditores; hoſtibus licet aduentum eius in Alſatia expectare non auſis, et ad ſua domi defendenda regreſſis.

Duplex Brisgouiæ delenda Carthago. Briſacum ab exſtructoribus ſuis deſtrui cœptum, æquandum eſt ſolo; Friburgum eſt æquandum Briſaco; vt liberatæ Alſatiæ propaganda ad poſteros ſtabiliatur tranquillitas; ut Ludouiciana expeditio, magnis ſub auſpiciis cœpta, glorioſiſſimo exitu terminaretur et fine.

A feſtiuis ergo Argentinenſibus ludis ad immanes illos obſidionis labores Rex profectus Friburgum: Rerum gerendarum moderator maximus; optimus virtutis remunerator et teſtis.

Formidabile hoc ſiluæ Martianæ clauſtrum, hæc Alemanniæ Auſtriacæ cuſtos firmiſſima, munimentis et arcibus excelſis confidens, cum aquilonibus et aquarum coniurata diluuio, oppugnatores ſuos, ut Græcos Ilium olim audax, deſpexit; at deſpexiſſet felicior Ilio, niſi

cum

cum fortunata Ludouici uirtute et cum ardore Gallorum, difficillimis in rebus ſemper conſpicuo, colluctandum fuiſſet.

Ardua et infelix Germaniæ Troia! Toties expugnata, toties reſtaurata et reddita. Et Tibi tandem Tuus ex Francia Agamemnon exortus, cuius inuicto et formidabili brachio deſtruenda cecidiſti; cuius tormentis et bellicis machinis propugnacula Tua euerſa iam cernis.

Quid Te repagulo Galliam inter et Germaniam in poſterum opus? quas perpetuæ pacis fœderum et amicitiæ vincula mox, quod ſperamus, coniungent æternum. Expeditionis Ludouicianæ finis! quo dignior, quo glorioſior Liberatori et Statori Alſatiæ Superorum beneficio vix contingere potuiſſet.

Tutatus eſt interea urbes in Belgio captas ille Witekindeo ex ſanguine Galliæ adſcriptus Heros, et omnes periculoſi hoſtis, numero præualentis, apparatus, itinera, minas, obſidionum conſilia callide et conſtanter per tres menſes eluſit.

Ille vero terroris expers et fere domitor Alpium cum Philippo Borbonio Contius, quid tentare tandem auſus non eſt? Corruit his oppugnantibus Caſtrum Delphini; corruit Demontium, nunc vrbis cadauer: ſolum Cuneum ſtetit; at ſtetit quaſſatum; æquali defenſorum et aggredientium gloria in apertam Pedemontii planitiem nobis denique iter redditurum procliue.

Poſt tam illuſtres caſtrenſis Imperii Tui primitias, non Tibi nouas victorias, non lætiores Tibi fructus, quam otium triumphale precamur, Ludouice animo cordeque Pacifice. Hoc vtinam Tibi iuueni, hoc Tibi grandæuo olim Monarchæ contingat perpetuum: qui bello licet felix et potens, Europæ tamen agitatæ quietem, diſcordantibus Regnis concordiam conſtanter promittis et daturus es certe; modo animos ad æquiora pacis ſtudia hoſtes conuertant, quos a pace nunc iactura, nunc victoria retinet. Ceſſent illi debilitatas et fractas Tui Regni opes per orbem iactare. Dedocuit illos annus ſuperior; dedocebunt, ſi pertinaciter ad arma clamant, anni futuri; docebunt in belli et virtutis arena, Te Rege Duce, Gallus quid præſtet.

Tu interea exteris cum Principibus fœdera conficis, firmiora componendæ pacis fundamenta ut iactes. Tu bellicas inter flammas et diſcordiæ faces Delphino Tuo nuptiales tædas accendis, Auguſtiſſimæ gentis Tuæ immortalitati, unde Gallici immortalitas Regni, ut mature proſpicias; ut Tuorum per Franciæ, Hiſpaniæ, et per Italiæ Regna Borbonidum intemerata ad ſeram poſteritatem concordia, maieſtas firmetur et gloria. Ex his Principibus, Gentilibus Tuis, Tiberis nuper, Rhenus et Alpes ſeptem ſimul inclytos ſunt mirati Heroës, Borbonio omnes ex ſanguine genitos, qui maiorum ſuorum dum veſtigia premunt, ſectantur et Tua; Digniſſimi, quos copiarum et exercituum Tuorum Duces conſtituas, quos in bellicæ Tuæ gloriæ partes Tu Imperator admittas.

Sed

Sed ſatis iam, ſatis eſt Marti litatum. Tot turbinibus, tot procellis et nimbis ſerena tandem ad Rhenum, ad Padum, ad Scaldim, per maria, per terras, alcyonia ſuccedant; ferreos illos belli labores amœnæ tandem pacis artes et virtutes excipiant.

Tu, qui euaginato nuper gladio populis viſus es LIBERATOR ALSATIÆ, proiecto mox evadas Liberator Europæ.

D I X I.

PANEGYRICVS
LVDOVICO XV.
SECVNDVM IMPERII SEMISECVLVM INGRESSO DICTVS

ANNO MDCCXLVI.

Quinquagennalia vobis ſacra indico, Auditores omnium ordinum ſuis quisque condecorati elogiis. Sacra, quæ nemo veſtrum vidit nec facile viſurus eſt.

Seculares hymnos Auguſto ſuo decantat Gallia. Semiſeculum imperii Ludouicus tranſegit. Feſtiuitas, omnibus Franciæ Regibus ante Borbonios ignota; quam Ludouico Magno et Succeſſori ſolis fata ſeruarunt. Ita eſt, Auditores, decem regiminis luſtra Monarcha Gallorum compleuit; vniuerſa Procerum Europæ gratulante corona; in qua ille, nec annis, nec corpore, nec animo ſenex, at ſenior imperio, præſidet; fatorum præteritorum memor, futurorum ſecurus, amans populorum, redamatus a populis, redamatus a cœlo.

Tam raro excitatus ſpectaculo veteranus orator, qui auguſtalia Regis ſacra quinque per luſtra in ipſo hoc loco felix peregi, ad cathedram redeo, veſtra, Patres Conſcripti, auctoritate commotus. Quam lætus ego hæc iuſſa capeſſo, intemeratæ veſtræ fidei in Regem, poſt quatuor luſtra, denuo conſtitutus interpres. Feſtinemus ergo ad

cæli-

cælitum altaria et ad ſolium Regis, ut pro gloria eius et incolumitate ſolennia vota fundamus. Sed religioſa prius mente recolenda eſt temporum præteritorum memoria; magnis rerum conuerſionibus plena. ADMIRANDA LUDOVICEI SECULI vobis delineaturus ſum breui tabella; plurium quæ complecti videtur ſeculorum hiſtoriam.

Dulce et gratum eſt populis Ludouici nomen, quod Francicæ Monarchiæ conditor Clodoueus Gallis ex Germania attulit; hominum defenſorem deſignans. Octodecim Ludouicos Reges, quos a Clodoueis male diſtinxit antiquitas, oſtentat Francia; quibus Magni, Pii, Fortis, Sancti, Patris populorum, Iuſti elogia memor et grata impoſuit natio; maximam famæ et gloriæ ſuæ partem ab illis derivans.

Sed nullus eorum, quod confidenter pronuntio, tam mirabiles rerum Europæarum euentus, tanta Francicæ Domus augmenta, tam raros progreſſus, quam Ludouicus noſter, ſuo æuo conſpexit.

Noua Imperia, noua Regna, nouæ Respublicæ; veteres Familiæ potentes extinctæ; aliæ minores ad faſtigia rerum elatæ; Borbonidum proſapia plures in ſtirpes regnatrices extenſa, nouis coronis ditata, Seculi Ludouicei annales componunt.

Ruſſia, longo temporum tractu per Varegos et Romanouios recta, Imperatorium ſibi ſumit coronam, pertæſa Ducalis. Monarcha ſubitis itineribus Petropoli feſtinat Lutetiam; Ludouicum amplectitur

puerum; Regiæ et Regni rariora ſcrutatur, per Academias deambulat, comitantibus Franciæ camœnis in Ruſſiam ſuam Academicus redit; Gallicorum inſtitutorum conſtans imitator et cultor. Ab eo tempore Ruſſicum Imperiale diadema ad tres diuerſas Germaniæ gentes, illæſa ſolii Maieſtate, tranſiuit. Inaudita cataſtrophe!

Heroicum illud Sueciæ Regnum, Guſtauis Carolisque Regibus tam diu ſuperbiens, quoties vel regiminis, vel ſucceſſionis formam, vel familiam regnatricem mutauit, ab eo momento, quo Achilles eius, fulmen Septentrionis, diſparuit, et cum eo Sueciæ ſplendor; ab Holſatica, quæ nunc regnat, reſtituendus Familia.

Boruſſica Domus, ex antiquis Sueuiæ Dynaſtis ad Brandeburgicum Electoratum lento pede progreſſa, Boruſſia in Regnum hoc ſeculo conuerſa, Regem oſtentat, origine Regni inter Reges poſtremum; qui ſe æquiparat maximis, nouum ſidus Europæ; inter arma et pugnas ſemper amans Gallorum.

Poloniæ ſolium in electionibus Regum, perpetua inter Magnatum diſſidia et æmulationes vacillans, nunc exterum, nunc Piaſtum æuo noſtro acceperat Regem. Exterus pulſus redit ad Regnum; eoque mortuo, noua electione idem illud occupat Piaſtus; iterumque repellitur ab exteri filio. Piaſtus denique Regiam Poloniæ cum Lotharingica Ducali, ad Galliam tranſitura, commutat coronam; ut

nempe

nempe Dux faceret, quod Rex facere non potuiſſet; ut Dux fieret omnium Regum exemplar et amor; Lotharingiæ Numa, quam legibus, inſtitutis et moribus reddidit beatam. Non amans ſapientiæ, ſed primus ſapientum; cuius acta cum præceptis concordant.

Aureus Argentinenſibus quindecimus ille Auguſti dies eſt, quo Mariam Polonicam, nouam Franciae Clotildem, in huius vrbis Baſilica, ex manibus patris Ludouicus abſens accepit. Quam auſpicatus et ille inſecutus mox dies, quo deuota haec Ciuitas et Academia, in ipſo hoc Apollinis templo, me quoque verbis praeeunte, in calida reſolutae ſunt vota, quae aſſidens heic Auguſtiſſimus Ludouici ſocer benignus audiuit, excepit, probauit; ſed tum profecto ſperare non auſus, futurum eius nepotem, Delphinum, ſanguinis et amicitiae vinculum aliquando fore inter auum et ſocerum, æmulos Poloniæ Reges; filiamque ſuam, Mariam Polonicam, ſocrum fore Mariæ Saxonicæ; Socrum et nurum Borboniæ Domui daturas eſſe longam ſeriem, quam videmus, nepotum.

Sentio, Auditores, ab extremi Septentrionis partibus ſenſim me perduci ad Auſtrum. Tutelaris ille Franciæ genius, qui ab initio huius ſeculi ad Atlanticum et ad Mediterraneum mare dominatur, ad meridionales illas terræ partes me vocat; mirabilia Borboniæ Domus ut ibi contempler.

Occi-

Occidit in extrema Heſperia potens illa Auſtrio-Hiſpanica Familia; in cuius Imperio ſolem non occidiſſe iactatum. Occidit apud Italos Florentina illa Mediceorum proſapia; ſplendore ſolii nec regalibus impar. Occidit Farneſiæ, Parmæ et Placentiæ Ducum Familia; ferax heroum. Neapoleos et Siciliæ Regna proprium ſibi expetunt Regem. Expetit Sardinia. Sabaudiæ Dux Regiam tandem coronam reportat. Corſica, veteris obſequii immemor, frena mordet, ſupra Dominam ſe extollit, Regium quoque decus, vicinæ Sardiniæ ſimile, pertinacibus ſibi armis paratura. Ludouiciani hic ſeculi vtraque in Heſperia ſtatus.

Vacans Hiſpaniæ ſolium contra Borbonium Principem affectat Carolus Archidux; Auſtrio-Ferdinandeus Carolidæ Auſtrio ſucceſſurus poſtremo. Ferale hinc bellum tredecim annorum orbem deuaſtat. Carolus denique eligitur Cæſar. Cæſar Hiſpanicum ſolium relinquit Borbonio; Florentiæ Ducatum Borbonio deſtinat; deſtinatum cum Neapolis et Siciliæ Regnis permutat; Lotharingiæ Barrique Ducatus, generi ſui nomine, Ludouico concedit. Fit Galliæ amicus; fit fœderatus eius, fidus et conſtans. Politicum huius æui portentum! Auditores, vix credibile poſteris; dignum, quod Franciſcus ille Valeſius, Italiam Franciæ fruſtra iuncturus, ex illa æternitatis arce reſpiciat. Hæc perficit Auſtrius. Hæc perficit Auſtriacus Cæſar; Cæſarum et Archiducum ſuæ Gentis poſtremus; perfectisque tot arduis rebus, tranſit ad Diuos.

Pere-

Peregit haec, adiutoribus Anglis, qui communi conſilio Hiſpaniam tradiderunt Borbonio; qui filium eius, Borbonium Principem, ab extremis Hiſpaniæ oris ſua claſſe, ſuis ſumtibus, veluti in triumpho, ſoli tranſtulerunt ad Italos; qui ne hiſcere quidem viſi ſunt, omnis Lotharingia, tot ſeculis a Gallis petita, quum tranſiuiſſet ad Gallos. Haec Britannia, Gallorum Carthago. Ita omnium Habsburgo-Auſtriacorum nouiſſimo reſeruauerat cœlum, ut internecina trecentorum annorum odia, toti orbi funeſta, ante mortem extingueret, ac cum Domo ſua tandem ſepeliret.

Veſtigia Soceri preſſit Auguſtiſſimus Gener; primus ex Lotharienſibus Caeſar; qui tribus in Italia Ducatibus gloriam Borboniae Gentis adauxit. Ioſephus II. Caeſar, omnium Auſtriae opum digniſſimus heres, tam rara patris et aui exempla proſequitur; ductaque in matrimonium Parmenſi Borbonia Principe, bellicas faces in nuptiales taedas conuertit. Thereſia, ex hac coniuge nata, forſan deſtinata a cœlo, Borbonios inter et Lotharingo-Auſtriacos nouum ut aliquando conſtituat fœderis et amicitiae pignus.

Tam ſtupendos euentus attonita e longinquo intellexit Alſatia; Habsburgicae et Lotharingicae Domuum millenaria mater; quae ante ſeptingentos iam annos ex Etichonidis Ducibus ſuis Guntramnum et Gerhardum, trans Iuram, trans Vogeſum, ad Heluetios et ad Lotharingos dimiſit. Guntramno-Habsburgici, ex Alſatia in Heluetiam,

ex Heluetia in Auſtriam et ad omnes mundi plagas cito pede progreſſi, Coronas, Imperia et Regna cumularunt coronis.

Lotharingi, altius ſe attollere non auſi, a Moſella tandem ſua euolarunt ad Iſtrum. Maria Thereſia, ex Habsburgicis quoque ſui ſexus poſtrema, nupſit Lotharingo. Alſaticae duae ſtirpes, per tot ſecula diſtractae, redierunt in unam.

Inexpectata haec apud Germanos coniunctio noſtro dum aeuo conſpicitur, Regia Franciadum ſtipes in quatuor diuerſos ſeſe ramos dilatat per orbem. Dilatat non per aridas ſolitudines et immania deſerta, ſed per fortunatas terrae habitabilis oras, quas liberalis natura omnibus bonis ditauit, vitam mortalium iucundiorem quae faciunt; ſolia Magnatum auguſtiora quae reddunt.

Incrementa tam ſubita Borboniae Gentis Ultraiectina, Londinenſi, Hiſpalenſi, Vindobonenſi et Aquisgranenſi Pactionibus nituntur; quibus perpetua illa inter Europaeos Magnates concordia, ab Henrico Magno propoſita, utinam tandem ſuccederet. Pacificam Ludouici indolem Principes induere ſi vellent, æterna inter populos halcedonia regnarent.

Commendauerat ei Proauus moriens, artibus belli tota vita ut pacis artes præferret; nec ſuo ſeduci ſe pateretur exemplo. Monitum Ludouicus exſequitur. Continuam octodecim annorum quietem tum

vidit

vidit Gallia, quam Fontarabica illa contra Hiſpanos non interrupit velitatio. Sed ſtringendus tandem fuerat pro Socero gladius, quem ſolio Polonico expulerant Ruſſi. Bellum iuſtum et felix; Lotharingia præmium. Stringendus erat pro Socero Delphini, Electoratu quem expulerat Boruſſus. Bellum pium; non felix. Strictus eſt gladius pro Bauarica Domo. Bellum glorioſum. Duos in Annalibus ſuis Cæſares quod oſtentat Bauaria, id debet Ludouico; qui ad bella mouenda lento pede procedit; ad ſopienda promptus et feſtinus ad omnes terræ partes arbiter vel conciliator accurrit.

Sine Ludouico perdita pridem fuiſſet Genuenſium Corſica; patrimonium vetus. Sine Ludouico perdita nuper Melita bellax; terror Barbarorum; ſed et ipſa Turcico ſemper expoſita furori. Maroccanum et Fezzanum Mauritaniæ Regem igniuoma claſſe cicurauit Ludouicus. Et cur non omnes Africanos prædones ex ſpeluncis et luſtris ſuis ſocii Principes iunctis armis expellunt?

Arduum opus! quadripartito Borbonidum Gentilitio fœdere nuper inito dignum; cuius auctor Ludouicus. Sanctiſſimum Fœdus; neminem offendens; amicitiæ Borbonios inter populosque vicinos ac remotos promouendæ conſtitutum et quod ſperamus æternum.

Ludouici humanitati quot gentes iam debent, quod vetus illa Francica Albinagii Lex, peregrinos quæ vetat eſſe heredes, recipro-

cis pactis rigorem ſuum in Gallia paulatim amittit. Peregrinitas omnis apud Gallos iam ceſſat. Ingenium, doctrina, ſcientia, artes et literæ nationes omnes reddunt Galliæ ciues. Lutetia totius orbis celebratur emporium.

Nec alio conſilio nouum Torquatorum Equitum Ordinem Rex Optimus inſtituit, quam ut ciues et exteros, extera quoque ſacra profeſſos, bellicis facinoribus de regno bene meritos, ſine diſcrimine gentis et ordinis, condecoraret. Inſtituta hæc, humanitatis partus, Ludouicum, gentibus carum, indies reddunt cariorem.

Tot et tantas inter Europæ rerum conuerſiones et ſui Regni prodigia ſemiſeculum Imperii ſui condit Ludouicus. Sed vix ingreſſus eſt nouum, cum horrida ubique terrarum ſtrages auditur Magnatum. Cæſaris, Regum ac Principum mortes et funera undique nunciantur. Conquaſſatur Italica et Francica Borbonia Domus. Occidunt Gener, Filius, Socer et fere Coniux Ludouici. Occidit Francorum Delphinus; Palladium Galliæ; illa omnium Chriſtianarum virtutum cœleſtis imago; quam cunctæ nationes et populi lugent. Funus Europæ. Imperterritus inter hos tonitrus, inter hæc fulmina ſtat pius Ludouicus; fatorum diuinorum arcana venerabundus adorans.

Ado-

Adoremus et ea, Auditores, qui pro incolumitate et gloria Regis in hoc Muſarum ſacrario annua vota perſoluimus, atque eodem ardore Secularia nunc quoque nuncupemus.

Sed quæ Tibi tandem, Fortunatiſſimo Regum, vota offeret Tua grata Argentoratus; quæ ante hæc ſeptendecim luſtra Liliis Tuis ſuum Lilium ſubiecit; at zelo in Te cum antiquiſſimis Galliæ Urbibus certat. Vidiſti eam, ſuis ſedibus excitam, aduentum Tuum ad oras Rhenenſes quum fama nuntiaſſet. Belgium reliquiſti victor, periclitanti Alſatiæ ut in auxilium venires. Beneficii magnitudinem ſenſit Tibi cara prouincia; ſenſit Argentoratus. Feſtinauit in occurſum Tuum omnis ætas, ſexus et ordo. Pater filiorum, filius parentum, amicus amicorum obliti, ad excipiendum Te, Alſatiæ Numen, cateruatim euolarunt ex vrbe. Ardua illa noſtra pyramis, præſtantior Ægyptia, ardentibus facibus, ardentia vota noſtra tum intulit cœlo.

Nunc nos Tibi, Potentiſſime Regum, noua potentiæ Tuæ incrementa haudquaquam precamur. Magna Imperia ſæpius nimia ſua corruunt mole. Præparas Tu quidem exercitus Tuos; præparas claſſes; ſed pacem ſtabiliorem ut reddas. Det Tibi porro Arbiter mundi, ut omnis habitabilis tellus nihil maius Te ferat. Ex Pronepotibus, quos vides, longam ſeriem Pronepotum alacer et lætus aſpi-

cias. Secundum qui nunc Semiſeculum ingrederis, ingrediare et tertium; quo Tu, Neſtor omnium Regum, Aurelianis, Condæis et Contiis Tuis; Tuis ad Lirim, ad Parmam, ad Tagum comitatus Borboniis; cœleſtibus cumulatus donis, ad altaria Superorum noua vota nuncupaturus procedes; atque inter Seculorum Tuorum admiranda, Tu Ipſe toti orbi admirandus ſpectaberis primus.

D I X I.

PANEGYRICORUM SYLLABUS ET ARGUMENTUM.

I. — 1722. Ludouicus Spes Galliæ. — — — pag. 1.
II. — 23. Felix Borboniis Gallia. — — — — 20.
III. — 24. Gallia bello magna, maxima pace. — — 36.
IV. — 25. Ludouici Adoleſcentia felix. — — — 52.
V. — — Oratio, qua Nuptias Regi gratulatus eſt. — 59.
VI. — 29. Non Galliæ, ſed Orbis eſt Parens Ludouicus — 71.
VII. — — Genethliacus, quo Delphini Natales Regi gratulatus eſt. — — — — — — 82.
VIII. — 31. Otia Ludouici. — — — — — 95.
IX. — 32. Noua Borboniæ Gentis admiranda. — — 105.
X. — 33. Felix Borboniis Alſatia. — — — — 116.
XI. — 34. Pietas armati Ludouici. — — — — 129.
XII. — 35. Gloria belligerantis Ludouici. — — — 140.
XIII. — 36. Magnanimitas belligerantis Ludouici. — — 150.
XIV. — 37. Ludouicus Europæ Pacator. — — — 159.
XV. — 38. Ludouicus Orbis Pacator. — — — 169.
XVI. — 39. Franciæ Auſtriæque fortunata Concordia. — 178.
XVII. — 40. Ludouici Felicitas domeſtica. — — — 187.

XVIII.

XVIII. — 1741. Ludouicus Commerciorum Europæ et Germanicæ Libertatis Defenſor. — — pag. 196.
XIX. — 42. Ludouicus ex Germania magnus. — — 206.
XX. — 43. Gallicæ Virtutis miratrix Bohemia. — — 214.
XXI. — 44. Ludouicus Alſatiæ Seruator. — — — 223.
XXII. — 45. Ludouicus Alſatiæ Liberator. — — 233.
XXIII. — 66. Panegyricus Ludouico XV. ſecundum Imperii Semiſeculum ingreſſo dictus. — — 244.

EXPLICIT VOLUMEN PRIUS.

CARLSRUHAE
Literis Lotterianis deſcripſit
Io. Frid. Cornel. Stern.

IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI
REGII FRANCIAE HISTORIOGRAPHI

OPERA ORATORIA

PANEGYRICI ORATIONES ALLOQUIA
PROGRAMMATA INSCRIPTIONES ALIA.

RECENSUIT PRAEFATUS EST
VITAM AUCTORIS
ADIECIT
FRIDERICUS DOMINICUS RING
SER. PRINC. MARCH. BAD. DURL. A CONS. AULAE.

VOLUMEN POSTERIUS.

AUGUSTAE VINDELICORUM
SUMTIBUS CONR. HENR. STAGE BIBLIOPOLAE.
MDCCLXIX.

ORATIONES
PROGRAMMATA
INSCRIPTIONES

HABVIT. SCRIPSIT. DEDICAVIT

OLIM. ET. NVPER

IO. DANIEL. SCHOEPFLINVS

REGIVS. FRANCIAE. HISTORIOGRAPHVS.

ORATIO
QVA SISTITVR
GERMANICVS
RARVM PRINCIPIS AD SPEM IMPERII
NATI EXEMPLAR.
IN SOLENNI ERVDITORVM PANEGYRI
IN VNIVERSITATE ARGENTORATENSI
DIE IX. NOV. AN. MDCCXVII. HABITA.

AVDITORES SVIS QVISQVE ELOGIIS CONDECORATISSIMI.

Iam pridem omnes Annalium ſcriptores inter ſe conſentiunt, nullum ab omni retro antiquitate fuiſſe, quod cum Romano olim comparari poſſit, Imperium. Siue enim Maieſtatis ipſius amplitudinem, ſiue populorum illi ſubiectorum copiam, ſiue potentiæ eius incrementa conſideremus, harum certe rerum ſola præ ceteris omnibus veteri Romano debetur gloria. Et illud quidem a paruis initiis non paulatim, quod aliis contingit Principatibus, ſed ea

 velo-

velocitate ad ſumma ſtatim euectum, ut totius orbis admirantis oculos in ſe conuerteret ac de ampliando Reipublicæ iſtius imperio contendiſſe virtus et fortuna viderentur. Imo ſingulari quodam prouidentiæ diuinæ conſilio certatim ad huius potentiæ magnitudinem augendam concurrere ſummi iſtorum temporum Reges, Principes, populi: qui rapiditati Imperii iſtius vires ſuas oppoſituri, pactis hinc inde fœderibus, ſociatis fœderatorum copiis, agnouere tandem, huius ſolius populi eſſe imperare, hancque ideo gentem ſingulari quadam ratione excitatam, ut ſummum in terris Imperium acciperet. Id quod et ultro plurimi intellexere Principes, qui nullis laceſſiti bellis, nullo metu coacti, nullo ſollicitati periculo, magnitudinis Romanæ faſtigium adorantes, ipſi ſceptra coronasque ſuas venerabundi ſubmiſere. Itaque infelix Carthago, Imperii huius diuinitus conſtituti æmula, ſuperbiæ et temeritatis ſuæ graues pœnas dedit, quæ, cum ipſi ſub protectione Principis populi quietæ eſſe licuiſſet, ſuperiorem non latura cineribus ſuis audaciam expiauit, ut Carthaginem poſtea in ipſa Carthagine quæreres. Sed potentiſſimi illi ex regno florentiſſimo Principes, Parthorum Monarchæ, quorum auguſtus ſplendor totum iſtius temporis colluſtrauit Orientem, ſuo quoque teſtimonio Romanæ Maieſtatis eminentiam agnoſcentes, rapta Craſſiana clade ſigna, quaſi victoriæ eos pœniteret, ultro retulere, et, ut maiora adhuc venerationis ſuæ extarent documenta, acceptum a Romanis Regem in illuſtriſſimo Arſacidarum ſolio collocauerunt. Horum quoque exemplum

plum imitati reliqui Orientis et extremi Orbis Arctoi gentes, Sarmatæ, Seres, Scythæ, habitanteſque ſub ipſo ſole Indi, qui ſplendore Romanæ potentiæ ex ultimis terræ partibus excitati, munera ad Maieſtatis huius ſolium ſupplices depoſuere; ſuam erga illud reuerentiam vel ex tanta longinquitate teſtaturi. Felices quibus tum contigit vidiſſe Romæ de tot Regibus et populis triumphantis, de tot miraculis gloriantis ſplendorem; cuius felicitatis veſtigia oſtendunt nobis illa veterum monumenta et ſuperba ſtupendorum ædificiorum cadavera, quæ vel inter ruinas imperium ſpirare, et tam late potentis populi Maieſtatem loqui videntur. Non mirum ergo, Auditores, ſi hæc victrix gentium Roma illuſtris Heroum et Principum ſchola euaſit, et eos pace belloque produxit viros, qui temporum Annalibus celebrati in exemplum omnibus populis, quotquot vel fuerunt, vel futuri ſunt, abiere. Et tantorum Heroum tantus fuit in iſta gente prouentus, ut Roma tot fere Imperatores, Duces, Præfectos haberet, quot milites; tot Senatores aleret, quot ciues. Hinc Lucullum fortiſſimum ſubito Imperatorem Aſia vidit, cum rei militaris rudis profectus eſſet Roma. Scilicet is, a quo laus Imperatoria minime expectabatur, qui adoleſcentiam in forenſi opera et doctrinarum cultu conſumſerat, non modo, id quod Romanum decebat, omnium opinionem vicit, ſed et reliquorum, quotquot ante ipſum erant, virtutem ampliſſime ſuperauit; glorioſiſſimis ex Principe maximo reportatis victoriis, et celebrato hinc triumpho, mox aliis triumphis mate-

riam præbituro; niſi aduerſariorum inuidia interueniſſet. Iam Pompeius ille omnium conſenſu gentium Magnus, cui expeditius fuit dare imperia quam obtinere, cum primum ex Africa, inde ex Europa ac tandem ex Aſia triumpharet, quotque partes terrarum orbis fuere, totidem victoriæ ſuæ monumenta faceret, nonne Romanos rerum dominos ad imperandum natos eſſe oſtendit? Quodſi antiquiora requiritis, Auditores, reuocate vobis in memoriam miraculum iſtud hominis Fabricium; illum ſine armis, ſine gladio, ſummi iſtorum temporum Regis victorem, quem cum tam auro, quam ferro inuictum intellexiſſet Pyrrhus, et oblatam Imperii partem cum omnibus, qui illi obiiciebantur, terroribus contemſiſſe cerneret, Romanorum magnanimitatem miratus, verum tandem credidit Cyneæ, qui tot Romæ prodigia viderat, pronuntiatum, quo urbem templum ſibi viſam, Senatum Regum conſeſſum eſſe reſpondit. Et quis numeraret omnes illos, quos ſinu tuo fouiſti, diuina Roma, Heroas et gentium victores, Camillos, Fabios, Curios, Scipiones, Metellos, Marios, Pompeios, Cæſares, ſumma iſta belli fulmina, quorum ſolo nomine totus concuſſus eſt Oriens atque Occidens, quique victoriis ſuis omnes, qua patent, terras peruagati ſunt. Viuunt illi adhuc, Auditores, et ſumma cum noſtra admiratione viuunt in æternis illis, quæ vel ætas vel poſteritas ipſis rependit, monumentis, ad imitationem nobis propoſitis, atque eo diutius viuent, quo excelſiore loco poſitæ virtutes eorum in ampliſſimo hoc orbis theatro et in tot celebriorum gentium

con-

conſpectu reſplenduere. Sed cum ea ſit magnarum rerum conditio, ut tum demum ſumma attigiſſe videantur, cum magnitudine et mole ſua laborare incipiunt, nemo profecto mirabitur, ſi omnium maximum Heroem dixero, qui ſub ipſo cadentis iamiam Imperii Romani tempore natus eſt Auguſtiſſimus Princeps, cum cuius morte Rempublicam quoque ſepultam legimus. Germanicum Cæſarem vobis loquor, Auditores, ſummum illum et ultimum ſimul, quem antiquitas et florens Imperium Romanum habuit, Ducem et Principem; Principem, cum quo vetus et antiquum bellicæ gloriæ decus; Romana illa omnium oculos ſplendore ſuo præſtringens virtus fere extincta eſt: ut quod Cordus olim de Bruto, noxia Auctori ſuo ſententia, dixit, ultimum illum Romanorum fuiſſe, id nos rectius de Germanico iam profiteri queamus. Cumque nullus fuerit tam raræ vitæ dies, qui non ſummis Principibus ampliſſima imitationis exempla et rara Heroicarum virtutum ſpecimina præbere poſſit, ſiſtam vobis, Auditores, in Germanico RARVM PRINCIPIS AD SPEM IMPERII NATI EXEMPLAR. Quod dum iam facere aggredior, enixe mihi rogandi eſtis, ut de tanto antiquitatis Heroe dicturo auribus animisque fauere velitis.

Inter omnia, quæ humanæ genti a diuino numine conceſſa ſunt munera, AVDITORES SVIS QVISQVE ELOGIIS CONDECORATISSIMI, nullum fere maius eſſe Principe virtutibus ſummis diuinitus inſtructo, cum tota antiquitate noſtri quoque temporis plerique agnouere populi.

Sed

Sed agnouerunt hoc præſertim Romani, qui ſalutem Principum ſuorum, eorumque, quos Imperii ſolium aliquando expectauerat, ſummam curarum ſuarum eſſe toties nummis aliisque publicis monumentis teſtati ſunt. Nullum tamen, Auditores, nullum in tota Romanorum hiſtoria inuenimus, in quem tanto ſtudio, tanto animorum conſenſu ferebatur populus Romanus, quam Germanicum Cæſarem. Natum hunc ex illuſtri et heroico Druſi ſanguine conſpexerat, et ex eius quidem ſanguine, qui infinitis virtutum inſignium et bello et pace editarum documentis ſummum ſe Ducem, ſummum Imperatorem orbi comprobauit. Fraterno is vinculo Tiberium Cæſarem contingebat, et cum inter alia ſplendidiſſimum Germanici titulum, reportatis ex iſta gente maximis triumphis accepiſſet, e medio victoriarum curſu fatis ereptus titulum hunc filio augendum et perficiendum non ſine peculiari prouidentiæ diuinæ conſilio reliquit; deriuato quoque in eundem, cum ceteris heroicarum virtutum ornamentis, ſummo populi Romani fauore, ſed mox ultra quam expectari poterat, amplificando. Cuius rei illuſtria ſtatim poſt patris obitum extitere documenta. Videbatur enim populus Romanus, tot raras animi dotes in tanto principe veneraturus, omnes ſuas in eo extollendo vires exeruiſſe, atque receptas ſuperiorum temporum leges et conſuetudines ideo tantum ſuſtuliſſe, ut dignis Germanicum honoribus condecoraret. Hinc quinquennio antequam per leges liceret, collata in eum Quæſtoria dignitas, primus eius capeſſendæ Reipublicæ gradus, quæ mox, ne-

glectis

glectis intermediis muneribus, Conſulatus honore permutata. Ampliſſime tamen hæc omnia ab ipſo Auguſto, ſummo illo Principum moderatore et excellenti virtutis raræ æſtimatore aucta atque ſuperata ſunt. Is enim cum ſubſidia et munimenta dominationi ſuæ quæreret, ac de ſucceſſore ſibi deſtinando ſollicitus eſſet, Germanici virtutes tanto Imperio dignas iudicauit; præualente autem Tiberii fauore, eidem ſucceſſorem, ne tantum Principem Imperii ſolium ſerius acciperet, deſtinauit. Itaque Germanicus a Tiberio, vivo iam tum et florente huius filio, adoptatus et in proximam Imperii ſpem cum omnium applauſu ac expectatione receptus eſt. Et hanc quidem publicam de ſe ciuium expectationem inſigniter auxerat Cæſar noſter, cum uxorem thoro ſuo induxiſſet illuſtriſſimis natalibus ortam, ea morum ſanctitate ornatam, iis condecoratam virtutibus, ut ſola ornamentis ſuis tanto matrimonio digna, Principi noſtro cœlitus prouiſa et refloreſcenti temporum felicitati deſtinata videretur. Erat enim Agrippina ex ſplendidiſſima Auguſti familia prognata; qui eam ex Iulia et Agrippa genero, ſummo illo virtutis bellicæ decore, neptem viderat. Quod matrimonium feliciter inchoatum eo cum ſucceſſu poſtea continuatum eſt, ut ob miram concordiam et mutuam caritatem rariſſimæ coniunctionis exemplum ſiſteret, et Agrippina vitæ ſuæ integritate, virtutum ſanctimonia, ſobolis fœcunditate, communique in omnes amore publicæ felicitatis pignus haberetur. Sed maiora quotidie populis concepta de Germanico ſpes incrementa cepit, cum ad bella is profi-

ciſci et curis pro ſalute publica ſuſcipiendis propius admoueri inciperet. Fortitudinis quidem ſuæ principia Dalmatico bello abunde demonſtrauit. Quid autem ego principia loquor? Auditores; principia hæc erant Germanici et cum magnorum Heroum facinoribus comparanda; principia iuuenis, quæ vix pauci meruere ſenes; principia, quæ Alexandri videre dum diſcerent, Scipiones optaſſent facere dum docerent. Germanicus itaque tanto bello perficiendo deſtinatus hoſtes mox ſumma dexteritate repreſſit et egregiis maximisque prudentiæ militaris atque induſtriæ editis ſpeciminibus, commiſſis prœliis, expugnatis arcibus effecit, ut Dalmatia cum Pannonia partim bello, partim fœderibus, ad Romanos rediret, eorumque Imperium, quod antea ſuperbe detrectauerat, venerabunda agnoſceret, viſaque pene ſimul et victa eſſet Dalmatia. Quanta hæc, Auditores, Auguſto totique Romano Imperio congratulandi materia, quæ auguria, quæ futuræ magnitudinis et felicitatis omina, cum in iuuene ad ſpem Imperii nato tam illuſtria tirocinia, tam ſtupenda rerum gerendarum primordia conſpicerentur. Triumphabas tum victrix Roma, cum gloriareris de tuo Iuuentutis Principe, ſub cuius prouidentia et conſilio tuta quieſceret; ſub cuius protectione fortiſſimorum hoſtium inſultus repreſſura orbis Imperium capeſſeres. Verum tanta præſtitiſſe exiguum videbatur Maximo Heroi, niſi magna cum impleti ominis felicitate indies maiora præſtaret. Ac voluit certe virtus quicquid magni, quicquid eximii, quicquid roboris habuit, huic uni obiicere,

ut

ut ſolus eſſet Germanicus, in quo præſertim vires ſuas oſtenderet. Nunquam enim grauior hoſtis, nunquam periculoſior quám iſto tempore Romano Imperio imminuit. Germaniam intelligo, Auditores, fortem illam et bellicoſam Germaniam; quæ ſola rapidiſſimo potentiæ Romanæ curſui reſiſtere; quæ ſola florentiſſimam maximi Imperii felicitatem ſuis armis laceſſere auſa eſt. Sæpe quidem antea ſingulis ex Germaniæ populis bellandi cum Romanis materia fuit, et illos ſemper repreſſos magis quam victos dixeris: nunc vero tota in Romanorum perniciem conſpirauerat Germania; et ad auertendum Imperii Romani iugum, imo ipſius Romæ Maieſtatem minuendam fortiſſimorum iſtius gentis populorum coniurauere proceres. Quæ res eo ſucceſſu geſta eſt, Auditores, ut oppreſſis Variana clade legionibus, Ducibus cæſis, non parum triumphantis Romæ progreſſus felices tardaret Germania. Et Auguſtus ab excelſa ſua Maieſtatis arce futuros fatorum euentus prouida Imperii ſui cura proſpiciens non exiguum magnitudini Romanæ imminere periculum ex iſto rerum ſtatu facile intellexit. Itaque viciſſes tum Germania, niſi cum ipſis adeo fatorum deſtinatis certandum Tibi fuiſſet, quæ ſuum iam Romæ ſeruatorem, quæ ſuum iam Romæ Germanicum fauſtiſſimo reportandorum ex Germania triumphorum omine dederant. Quanta ergo mox rerum mutatio, quanta fortunæ cataſtrophe! cum Heroem hunc ſuum acciperet exercitus, victorem conſpiceret hoſtis. Oppoſuerat tum quidem creſcenti Romanorum potentiæ maximum, quem unquam habuit,

 Ger-

Germania belli Ducem Arminium, ſtrenuum libertatis Germanicæ vindicem, quem præter patrias gentes ipſa quoque Roma ampliſſimo ornauit teſtimonio, quemque ideo ſolum habuit Germania, qui cum Germanico noſtro, ſed ut cum maiore minor compararetur. Et ille quidem generoſus Heros vinci hactenus neſcius et ubique, qua via ipſi pateret, victoriarum certus nuperoque cum Romanis certamine animoſior, cum felices hoſtium progreſſus ad ipſa mox Germaniæ viſcera penetraturos cerneret, præter bellicoſas illas, quæ hactenus bello huic implicitæ erant, gentes, quicquid fere fortiſſimorum in Germania populorum ſupererat ad ſocietatem belli perduxit. Videretis tum, Auditores, egregium et inſigne virtutis bellicæ ſpectaculum, cuius ampliſſimum theatrum ipſa præbuerat Germania. Ibi Arminium conſpiceres, veterem belli gloriam ſuis in memoriam revocantem et ipſa Varianæ cladis oſtendentem inſignia; quibus ille ſuos ad antiquum virtutis Heroicæ decus vindicandum, ad Germaniam ab imminenti ſeruitio liberandam incitauerat. Hic inter Romanos eminentem cerneres Germanicum Cæſarem, illuſtriſſimum Romanæ Maieſtatis defenſorem; ſuas obequitantem cohortes, turmas, legiones; nunc Imperatoris, nunc militis munia obeuntem; qui ſuis mox invictos Romanorum animos, mox admirandam omnibusque prœliis oſtenſam fortitudinem et notam populis vincendi gloriam repræſentabat. Et videtur profecto virtus hic duos inter ſe commiſiſſe exercitus, duos in medium produxiſſe Duces, quales nulla unquam tem-

pora

pora conſpexere. Cæterum infeſtis armis congreſſi cum æmulis ſuis Romani repetitas ſæpius uno anno Germanis intulere ſtrages: quibus id obtinuerunt victores, ut accepto in deditionem Segeſte, potentiſſimo Arminii æmulo, Varianæ pugnæ ſpoliis glorioſe receptis, magnisque per maximam Germaniæ partem editis cædibus, excitatis incendiis, deleta magna hoſtium copia intelligerent cum Arminio ſuo Germani, inueniſſe ſe tandem a quo vincerentur, et facile ſe in prœliis ſuperiores futuros, ſi nullus in orbe eſſet Germanicus. Continuati ſunt tam proſperi rerum ſucceſſus, Auditores, donec materia victoriis ex Germania reportandis noſtrum Heroem deficeret. Et tum quidem monumentum illud omnibus ſeculis memorandum, debellatis Germaniæ gentibus, Marti ſuo Iouique et Auguſto in media Germania dedicauit: trophæum quod Germani in viſceribus ſuis erectum quoties poſtea conſpexere, toties Maieſtatis Romanæ eminentisque eius potentiæ recordari ſimul neceſſe habuerunt; trophæum quale vix omnium ſuperiorum ſequentiumque temporum annales meminere. Quid mirum ergo, ſi huic ſoli, quem Auguſto hoc nomine ipſa inſigniuit prouidentia, Germanici titulum iure impoſitum exiſtimauerimus. Meliori profecto quam ſequentium temporum Imperatoribus inani iactantia tributum legimus. Sed hæc ſunt illa tempora, Auditores, quibus non inanes currus, non falſa victoriæ ſimulacra Capitolium accepit; non viciſſe videri voluit Germanicus dum triumpharet, ſed triumphauit quia vicit. Repræſentauit enim in illa pompa ſummum

mum

mum aliquem ex antiquitate Ducem, cui Imperatorium nomen addebant contecti cædibus campi, infecta prœliis maria, et luſtratus triumphis victoriisque peruagatus Romani orbis Oriens atque Occidens. Quid iam ſupererat, Auditores, poſt tot tantaque heroicarum virtutum ſpecimina, quam ut propinquius et in ipſo adeo ſinu ſuo eum veneraretur Roma, cui in pacis quoque ornamentum datus erat Germanicus; et cui nuper denuo ampliſſimos Conſulatus honores decreverat. Sed conuerſa ſunt fatorum deſtinata; neque Germanicus ullum reportatorum hactenus triumphorum fructum ſibi fore exiſtimauerat, niſi pacatos ubique terrarum populos, quietumque totius Imperii orbem reddidiſſet, et maximos pacis ubique ſtabilitæ fructus ad Maieſtatis Romanæ ſolium auctor ipſe depoſuiſſet. Aſia enim ſupererat pacanda atque ab eo ordinanda, cuius arbitrio Europa fere hactenus ſe ſubmiſerat. Deuicta ergo et in prouinciæ formam redacta Cappadocia, Armeniæ populis Regem dedit; Regioque diademate ipſi impoſito documentum orbi reliquit fortunæ ſupra humanæ ſortis faſtigium poſitæ; reſtitutis priſtino ſplendori Regibus aliisque denuo creatis eo prouectus, ut æque promptum ei eſſet vincere Reges et facere. Oſtendunt hæc nobis, Auditores, quantus in inclyto Heroë noſtro virtutum excelſarum cumulus omnium oculis conſpiciendus fuerit. Sed talem eſſe oportebat, quem non bella ciuilia, non armis oppreſſa Reſpublica, non cœcus populorum exercituumque fauor, non ſola denique Principis auctoritas, ſed exoratum terris numen dederat.

Talem

Talem eſſe oportuit, quem Populus Romanus Maieſtati et Imperio ſuo parem haberet, quique ad ſpem Principatus orbis terrarum natus ſeculo ſuo poſterisque et omnibus, quotquot ſecuturi erant, Principibus immortali exemplo futurus eſſet, ſed oneraturus ſimul omnes rariſſimarum virtutum ſpeciminibus. Itaque ſiue eas, quæ fortiſſimum in bello aut in pace prudentiſſimum efficiunt Principem, virtutes requiras, tales nobis ſummi huius Principis, in ſpem optimorum temporum nati, vitaININgloriose gesta ſuppeditat, ut quæ in reliquis ſingulæ non ſine admiratione reſplenduere, eas in hoc uno coniunctas ſummo cum ſtupore intueamur. Unde belli pacisque gloria præclarus Heros utra maior fuerit dubiam reliquit Romam, cum utraque eſſet maximus. Ac Imperatoria quidem auctoritate tantum ſuper alios eminuit Principes, tantum cæteros poſt ſe habuit Imperatores, quantum rerum geſtarum gloria vel maximos belli Duces iam pridem ſuperauerat Germanicus. Teſtis erit ad omnium ſeculorum memoriam ſedatus et ſola eius præſentiæ auctoritate repreſſus exercituum in utraque Germania tumultuantium furor. Dicerem iam, Auditores, repetitum hoc, quod in Cæſare olim Gallia vidit, ſpectaculum, cum unica voce Quirites totus commoueretur exercitus, niſi maius eſſet ſtrictum gladium, cruore tinctum et in ipſos Duces ſæuientem furioſo extorquere militi, quam reluctantem ad officium reducere. At quantus Heroicarum virtutum cumulus ſeſe prodidit, cum ad prœlia progrediendum fuit Germanico, cum pugnæ et acies inſtruendæ erant. Quanta

tum

tum uſus eſt in ordinandis feliciter rebus ſuis ſolertia; in detegendis hoſtium deſtinatis prouidentia et ſagacitate; in exequendis conſiliorum decretis celeritate et conſtantia; fortitudine denique et magnanimitate in ſtrenue perficiendis, quæ diuina eius ipſi inſpirauerat prudentia. Hinc factum eſt, ut et hoſtium fiduciam et ipſam ſuorum ſpem ſæpiſſime falleret aut vinceret, ac non ſolum priusquam ageret, ſed et cum egiſſet, fidem omnium ſuperaret. Dignus erat tantus Heros, qui fortunam ſub ſuo quaſi dominatu ac arbitrio regeret, quæ adeo conſtanter ipſum venerata, ut incredibiles et ſtupendos prorſus rerum ſucceſſus immenſamque feliciſſimorum euentuum copiam ipſi oſtenderet. Cuius rei illuſtria et ad omnium ætatum memoriam duratura ſuppeditabunt teſtimonia ampliati prolatique imperii fines, maxima domitarum gentium copia, magnusque confirmatorum in obſequio populorum numerus. Cæterum tot bellicis laudibus innutritus Germanicus Cæſar ipſam quoque pacem rariſſimo exemplo vehementer amauit. Non timuit bella, ſed nec prouocauit, aut ex omni occaſione triumphos ſibi quæſiuit. Non opus erat materiam belli quærere Principi, cui pax quoque ſempiterna gloriæ et virtutis monumenta conſtituit, quique eo maior erat, quod res diuerſiſſimas coniungendo nouum orbi maximi Principis exemplar propoſuit. Redit ergo ex bello Germanicus et continuo ſe explicat virtutum illuſtrium, quibus pax et Respublica conſeruatur, cohors. Eum induiſſe Principem animum videas, acſi in bello nullas alias quam pacis artes didiciſſet,

bel-

bellumque ſchola fuiſſet Reipublicæ in pace feliciter adminiſtrandæ. Qui nuper de hoſtibus, iam de ciuium animis triumphauit, victoriamque omnibus trophæis reportauit maiorem. Cuius nuper auſpicia conterminæ et remotæ gentes tremuere, quem non Gallus modo et Germanus, ſed populi interiectis montibus et æquoribus interfuſis diſtincti reformidabant, Romæ iam priuatus vivit. Qui in bello fortitudine pugnandique gloria, nunc benignitate et clementia omnes deuicit. Fingit quidem ſæpe crudelitas humanitatem, odium amorem; et aſſueta iam erat lætos vultus altum dolorem ſub cordibus prementes intueri Roma; ſed Germanico nihil accommodatius ad gloriam quam penitus inſpici, cum talis eſſet, qualis videri volebat. Itaque eximia et præclara fuere, quæ in publicum protulit, non minora, quæ priuatus obſeruauit. Sciuit ubi vera Principis, ubi perpetua et omnibus ſeculis ſuperfutura quærenda ſit gloria. In mentibus hominum æterna ſibi parauit monumenta, qui nuper peritura in terris trophæa ſibi erigi vidit. In illa nihil flammis, nihil ſucceſſoribus, nihil deſtruenti omnia tempori licere intellexit. Quantum hoc eſt, Auditores, quod, cum nuntius aliquando de aduerſa et reſtituta eius valetudine percrebuiſſet, ciuitas mœſta primum et attonita, mox lætabunda ipſo noctis, quo rumor inualuit, tempore, luminibus accenſis, victimis in Capitolio cæſis ac reuulſis templorum foribus, ne religio retardaretur, publica vota perſolueret, gratulantiumque voces ubique reſonarent: ſalua Roma, ſalua Patria, ſaluus eſt Germanicus. Tanta

omnium ordinum exercituumque veneratio iam pridem Cæſari noſtro viam ad ſummum Romani orbis faſtigium ſtrauerat, niſi modeſtia eius et pietas oblata recuſaſſet, expectareque Imperium, quam habere aut rapere maluiſſet. Partem hæc laudum eius conſtituunt, Auditores, quæ in aliis ſola ampliſſimam gloriæ materiam præberent; quibusque fidem vix addidiſſet poſteritas, niſi a Germanico facta eſſe legeret. Cum enim uniuerſo cohortium, legionum, totiusque exercitus conſenſu imperium ipſi offerretur, omniumque animi ad conatus eius intenti vel nutum expectare viderentur, non ſolum conſtantiſſime recuſauit, quod alii ardentiſſime peterent, ſed ne cum vitæ quidem ſuæ periculo inductus eſt, ut vel leuiſſimam conſenſus ſui notam exprimeret. Adeo cum omnia faceret incomparabilis Heros, ut imperare deberet, nihil tamen faciebat, ut imperaret. Inauditum exemplum! repulſam patitur Principatus, et hic ſolus eſt Germanici ambitus, ne Princeps fieret; ut Princeps eſſe deberet, præſtitit, ne eſſet, recuſauit. Mactus ergo virtute eſto, Maxime Heros, qui primus excellenti et diuina animi tui magnitudine ſpernere auſus es, quod alii per ignes, per ferrum et pretioſo multoque ſanguine petunt. Ibit in ſecula, fuiſſe Principem, cuius magnanimitatem, cuius pietatem nec preces, nec minæ, nec omnium populorum ſplendor, nec ampliſſimi Imperii Maieſtas mouere potuerunt. Sed quantus porro, Auditores, omnium laudum gloriæque concentus! quanta et quam rara illuſtrium diverſarumque virtutum concordia. Hic grauitatem ſimplicitas, ſeuerita-

tem

tem hilaritas, humanitas Maieſtatem inaudito conſortio comitatur. In aduerſa fortuna imperterritus, qui in ſumma fortuna ſumme modeſtus magnum illis Principibus documentum dedit, quos rebus proſperis elatos Diis æquat ſuperbia. Acceſſit conciliandæ hominum promerendæque gratiæ mirum et efficax ſtudium, ingenium domi forisque ciuile, comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes, ut ipſo victore nemo ſe victum ſentiret. Quibus omnibus iuncta vegeta corporis valetudo, vividum robur, dignitas oris, vultus maieſtas, ut magnum virtuti ſplendorem egregia et heroica addiderit forma, et dubium fuerit, utrum mentibus an obtutibus hominum ſe magis inſinuaret. Nonne hæc longe lateque Principem oſtentant? Satis iam fortaſſe eximiarum virtutum et ultra fere ſortis humanæ vires poſitarum in Germanico deprehenditis, Auditores, adeo ut ipſis nihil addere vel perfectiſſima artis induſtria vellet. Addidit tamen Germanicus, et magna cum ſui gloria temporumque felicitate addidit, ut in omnibus, quibuscunque ad excelſa eniti humano ingenio conceſſum eſt, Principem maximumque ſe oſtenderet, et ex utroque Cæſar eſſet. Nam præter recenſitas hactenus animum excellentibus quoque et illuſtribus in vario ſcientiarum doctrinæque genere dotibus inſtructum orbi expoſuit. Loquebantur incomparabilem hanc ſummi Herois noſtri literarum artiumque culturam ingenii eius et facundiæ latinæ pariter græcæque monumenta, quæ magno cum noſtro dolore triſtiſſimum illud literarum naufragium abſtulit. Loquuntur hodie ad-

huc ſcripti a venuſtiſſimo iſtius temporis Poëta Faſti, Cæſari Germanico dedicati et in ipſa fronte Principis huius inſtructum præclaris artibus ingenium celebrantes. Teſtatur denique ſuſceptum illud in Ægyptum antiquitatis cognoſcendæ iter; ubi miraculis iſtarum regionum intentus magna illa veterum Thebarum veſtigia, eductas inſtar montium Regum opibus Pyramides, effoſſa Nili ſuperfluentis ſtupendæ magnitudinis receptacula, moles denique venerandæ antiquitatis, literarum myſteriis veterumque traditionibus conſpicuas cominus rimatur, animum incredibili rerum cognoſcendarum ſtudio flagrantem ſatiauit. Itaque cum Doctoribus quidem ampliſſimis, maiorum exemplis, inſtructus eſſet, omnibus tamen diſciplinis exornare ſe voluit. In quarum certe artium ſcientiarumque cultu, cum et ipſos Maiores ſuos reliquosque Principes longe ſupergreſſus eſſet, tanto magis in cæteris quoque prudentiæ regnatricis ſpeciminibus cunctos poſt ſe reliquit; cum non tam ſcholæ quam vitæ diſceret, atque iis præcipue doctrinis artibusque animum inſtruxiſſet, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Hinc tanta in Germanico dicendi vis, ea concitatio, tantum mouendorum animorum artificium, tanta oris ubique triumphabundi facundia, ut illum eodem animo, eodem ardore, quo bellauit, dixiſſe appareat. Adeo virtutum inſignium rara coniunctio iis temporibus quam maxime gignitur, quibus optime æſtimatur. Unde fingenti formantique mihi principem, quem æquata cœlo poteſtas condecoraret, cuius Imperium terræ et

maria

maria reciperent, nunquam vel votis talem, qualem vidimus, concipere liceret. Rediiſſent profecto ſub huius Imperio aurea illa tempora; antiqua olim Respublica refloruiſſet, quam in priſtinum certe ſtatum, ſed feliciſſimum reſtituturus credebatur; quamuis ſatis reſtitutam, ſi Germanicus imperaſſet. Quodſi magnus ille libertatis Romanæ aſſertor, maximusque Regum hoſtis Brutus ſeculum iſtud viſurus, tantum Principem Romanæ Maieſtatis ſolium aliquando conſcenſurum intelligere potuiſſet, Regem non Regnum Romæ ſuſtuliſſet, et ſi per rerum naturam liceret, ſub tali voluiſſet vivere imperio, in quo an Principatus, an Respublica præualeret, dubitaretur; mutataque ſententia faſces Conſulum et Romanorum aquilas ſub protectione iuſtiſſimi Principis et benigniſſimi Monarchæ triumphantes videre maluiſſet. Nihil ergo Heroi noſtro, maximis his rebus geſtis, defuiſſe putamus, quam ſeram perpetuamque vitam; in qua fortitudo, iuſtitia, prudentia et felicitas ineffabili fulgore reſplenduiſſent, et in qua Roma perfectiſſimum ſtatus publici fuiſſet exemplar. Verum oſtendere hunc terris tantum fata, et nimium felix aut ſuperba futura eras Roma, ſi tantus Princeps proprius Tibi et perpetuus fuiſſet. Ita iam paulatim ad illud deuoluor, Auditores, ad quod nonniſi inuito et reluctanti animo accedo, et quæ per triumphos glorioſaque facinora hactenus decurrit, luctu triſtisque argumenti recordatione finienda eſt oratio. Intelligimus ſine dubio tanta fuiſſe hæc omnia, ut magnitudine ſua ipſos quoque inimicos ad venerationem raperent, et hinc

 extra

extra omnem inuidiam poſita viderentur. Miſſi tamen ſunt a magno illo generoſæ virtutis oſore Tiberio in Aſiam, qui omnibus Germanici deſtinatis et glorioſe gerendis reſiſterent, quorum furor eo usque exarſit, ut quicquid in Germanico ſanctum; qnicquid heroicum, calumniis inſectarentur et largitione, perfidia, inſidiis, ambitu cuncta corrumperent. Donec contractus illi ex veneficio, quod hoſtes parauerant, morbus; noua excelſæ virtutis patrandæ materia. Tum enim profecto ſolis inſtar Maximus apparuit Germanicus, cum occideret. Sed iſta nimirum poſt tot, plus quam Herculeos, ſupererant labores, ut qui hactenus fulminis inſtar victoriis ſuis hoſtes fortiſſimos proſtraſſet et ubique arma circumtuliſſet victricia, ſe ipſum adhuc et fortunam, cum maius nil eſſet, vinceret. Quæ quidem immortali patientiæ et in acerbiſſimos hoſtes benignitatis documento egregie præſtitit Germanicus. Contemplamini ergo iam, Auditores, Heroem in ultimo mortalis æui actu conſtitutum,, et in quo imperandi peritiam, triumphandi gloriam, magnarumque rerum exempla mirati eſtis; quem hactenus plenum conſilio, fortem manu, ingenio magnum, belli pacisque ſtudio ſummum conſpexiſtis, eius iam in moriendo conſtantiam veneramini. Deficiunt paulatim Germanicum vires; creſcit magnitudo animi; quo propior morti, eo remotior a timore. Vincendum erat ipſi vitæ deſiderium, ſpes Imperii, mortis metus, inimicorum malitia, Agrippinæ coniugis dolor, adſtantium luctus; qui et ſuam totiusque Imperii ſortem ex imminente tanti Principis fato de-

fientes

flentes et mœrore conſternati conſpiciebantur. Germanicus vero erectus animo et intrepidus cunctos alloquitur, omnes hortatur: donec ultima oratione uxori ſolatia et amicis mandata traditurus ea, qua vixit, magnanimitate inter planctus ſuorum moritur. Extinctus ita es, Illuſtriſſime omnium ſeculorum Heros, et præmaturo quidem præcocique fato Romæ tuæ ereptus; poſtquam, quicquid in vaſtiſſimo huius mundi theatro perfectiſſima virtus exercere poteſt, cum omnium gentium applauſu præſtitiſti, et ſi non imperio, gloriæ tamen tuæ ſatis vixiſti. Conſpicuus eras omnium virtutum exemplis, ut Heroem omni ex parte impleres; utraque fortuna maximus tot præ reliquis Principibus effulſiſti miraculis, ut in perfecti Principis omnium temporum exemplar abires; imperare te noluit diuina prouidentia, ut omnibus coronis dignus videreris; immatura denique morte obiiſti, ut vita immortali et perpetua cunctorum mortalium iudicia dignum te cenſerent. Acquiſiviſti in omnium animis temporumque monumentis æternam nominis gloriæque tuæ memoriam; tanto magis duraturam, quo ſolidior eſt, quam reliquiſti, laudis materia. Ita qui iam deſiiſti vivere, vives tamen in mentibus hominum, in æternitate temporum, fama rerum; vives, quam diu in orbe Romanum nomen et maximi Imperii memoria durabit; atque ita vives, ut nihil tuæ comparari gloriæ, nulla fama virtutum tuarum magnitudinem æquare, nulla elogia dignis te laudibus celebrare poſſint. Tantum valet virtutis ſtudium, Auditores; tanta eſt veræ et ſolidæ Principum gloriæ

riæ

riæ in mentes efficacia; cuius occulta vis ad omnium ſeculorum tempora, ad omnium regnorum terminos penetrat. Felices ergo, qui ex rerum vitæque huius Principis contemplatione illas regendorum populorum, Imperii adminiſtrandi, vitæque glorioſe ducendæ normam ſibi conſtituunt: feliciſſimi, qui diuinæ mentis capaces illuſtria cœleſtis huius genii veſtigia exprimere, virtutibus et rerum geſtarum gloria æquare, ſimilemque famam inter ſidera poſitam populis ſuis et toti, quæ ſecutura eſt, poſteritati teſtatam cum æterna laudis ſuæ commemoratione relinquunt

D I X I.

ORATIO

ORATIO

CONSECRANDAE MEMORIAE

IO. HENRICI BARTHII,

DOCTORIS THEOLOGI ET IN UNIVERSITATE
ARGENTORATENSI PROFESSORIS
ATQVE ECCLESIASTIS,

POSTRIDIE EID. NOVEMBR. MDCCXIX.

RECITATA.

Si tanta in me eſſet dicendi copia, Auditores ſuis quisque elogiis condecoratiſſimi, quantam nunc ſentio animi ægritudinem, cum laude profecto executurum me ſperarem, quod iam ſuſcepi apud Vos dicendi munus. Id tamen me conſolatur, quod pullata hæc, in qua conſiſto, cathedra, triſtisque Veſter ex omni parte conſpectus non quendam hic potius dicendi apparatum, quam triſtia balbutientis linguæ verba poſtulare aut requirere videntur. Nondum reſpirauimus ex acerbo et præmaturo, quod nuper deductum eſt, funere; nondum deterſimus lacrymas ex nupero dolore incumbenteque nobis triſtiſſimo fato coortas: ingemiſcente adhuc tota urbe, cuius planctus quotidie ingeminati audiuntur. Obiit BARTHIVS noſter! Magnum Eccleſiæ lumen extinctum eſt! Conticeſcit illud tot Literatorum ora-

culum! Illa excellens lingua, quæ ſapientiæ diuinæ oracula tanto eloquio, tanto fervore et tanta cum libertate hactenus demonſtrauit, tacet, exaruit, æternoque premitur ſilentio! Ita eſt, Auditores, atrociſſimum ciuitati huic inflictum eſt vulnus. Doluiſti quidem hactenus, Argentina, cariſſima ſocietatis Tuæ pignora, quæ ab aliquo tempore dira mortis rabies Tibi eripuit. Sed hic dolor Tuus priores longe ſuperat, dum illud caput ad tumulum inclinatum vides, quod ad decus et delicias præſertim tuas natum videbatur. Adeo magnam ciuitatis partem in eo ſolo amiſiſti, multarumque virtutum cumulus uno hoc tumulo tegitur. Cuncti unius morte patimur; cuncti in unius iugulo ferimur; flebilisque omnibus occidit, qui vivus omnes in amorem admirationemque ſui pertraxerat. Sed quid hanc tantum ciuitatem commemoro? Auditores, totus ubique literatus orbis ad triſtiſſimum hunc nuntium obſtupeſcit atque egregium ciuem ingenti luctu proſequitur. Et ipſa præſertim, qua patet, ſublimior Theologia genuinum et in ſinu ſuo educatum, carumque ſibi adeo filium vehementer magnoque cum dolore deſiderat. Me vero infelicem et miſerum! qui in tanta iactura maximam deliciarum vitæque adeo meæ partem amiſiſſe ſentio; qui quicquid in his terris humana ſibi fere exoptant vota, patrem, protectorem atque, ut eius benignitas interpretabatur, amicum et quid non? in unius morte amiſi. Ergo me tibi nuper ad tempus valedicturum ideo retinuere fata, ut æternum Tibi nunc valedicerem? Ergo hoc tum intendit nutus ille diuinus, ut

præ-

præſens mortis tuæ nuntium audirem et communi omnium dolori meas quoque lacrymas miſcerem, oculatusque intenſi ciuium in Te amoris inſigni omnium luctu demonſtrati teſtis eſſem? Graue mihi tum videbatur, Te vel exiguo temporis ſpatio deſerere, nunc a Te, a Te inquam, miſer ego perpetuo deſeror. O ſpes fallaces et inania mortalium cogitata! Itane ludis in rebus humanis diuina potentia? Adeone conſiliorum humanorum decreta et deſtinata ſolo ictu unoque momento euertis? Cuius vitam perpetuam nobis exoptauimus; cui ex ipſis quoque, ſi fieri liceret, annis noſtris addere non dubitaſſemus; de cuius ſalute nunc quam maxime ſecuri eramus; eum, eum inquam, inevitabili fati tui neceſſitate, in ipſo et præcipuo quidem ætatis flore, ſimulque ampliſſimas ſpes noſtras ſubito eripuiſti. Opprimor fere dolore, Auditores, laterumque robur ita me deficit, ut verear ne hæc oratio, quæ facilius principium habuit, difficillimum exitum ſortiatur. Quid mirum enim, ſi in publica hac triſtitia mea fere vox intercluditur et verba in planctus lacrymasque reſoluuntur? Quid mirum, ſi ſtupore attonitus in tanta conſternatione nec ipſas inueniam lacrymas, nedum verba ad explicandam atrocem, quam paſſi ſumus, cladem. Sed cur ego in hac cathedra nunc compareo? Certe ſi de expedita facundia dignoque tantis virtutibus elogio ageretur, quemlibet potius quam me ex hoc ſuggeſtu diſſerentem conſpiceretis. Nunc vero cum de grato præſertim animo, de amore, de obſeruantia, de pietate erga Defunctum demonſtranda agatur, inconditum profecto

mœrentis animi murmur potius edere, quam omnino ſilere non pertimeſco. O pium, at crudele ſimul, crudele, inquam, officium! Quid enim de cariſſimo hoc capite referre potero, Auditores, quin altiſſimum Vobis vulnus denuo ſemper refricare, quin meam ſingulis momentis miſeriam, meam calamitatem augere videar. Ineunda tamen nobis eſt hæc via, animusque ad ſublimium, quas in tam amabili Viro quotidie admirati ſumus, virtutum contemplationem erigendus. Dumque ego iam rudi penicillo hoc tentare mentemque meam a lamentis et a lacrymis pauliſper revocare conabor, implorandi mihi eſtis, Auditores, ut grauitate et magnitudine rerum nunc laborantem Veſtro fauore veſtraque benignitate ſubleuare non recuſetis. Quodſi etiam ex illa æternitatis arce ad nos reſpicere Tibi datum eſt; Beatiſſime BARTHI, ſi ullus adhuc rerum humanarum ſenſus Te tangit, ſuſcipe nunc, quod virtutibus, quod æternæ memoriæ tuæ dedico, ſinceræ pietatis monumentum, et ab eo ſuſcipe, qui dignitate quidem ſplendoreque multis, amore vero venerationeque nulli ex admiratoribus tuis ſecundus erit.

Iamdudum illa inualuit opinio, Auditores, ut ſingulorum ingenia atque indoles ex Patria plerumque et eius dotibus cenſeri ſoleant. Et quo piaculo hic Alſatiam, quæ hunc ſibi theſaurum produxit, præterirem, nobilem illam, tot bonorum prouentu excellentem et præ aliis hinc celebratam prouinciam: quæ cum nihil illuſtrius habeat quam

Argen-

Argentoratum ſuum, felicem profecto ſe prædicare debet de tanta eruditionis et ſcientiarum matre, de tam ſtrenua literarum nutrice, quas, ceu veram immortalitatis animam, non tam in Patriam, quam uniuerſum orbem iam olim cum gloria diffudit et adhuc quotidie diffundit. Neque vero hoc tam in laudibus Defuncti ponerem, ſi in ipſa hac alma ciuitate, non in eius ditione natus fuiſſet. Quodſi enim glorioſius exiſtimauit iam antiquitas ortu ſuo Patriam potius illuſtrare, quam ab ea ſplendorem accipere, felicius profecto huius noſtri fatum fuit, quod loco plane obſcuro ſua natiuitate decus celebritatemque addidit; ob quam tamen ampliſſimæ ciuitates, id quod Homero olim contigiſſe legimus, inter ſe decertarent. Ipſum vero eius in media pace exortum nonne prænuntium fuiſſe dicam animi pacis in Eccleſia quoque aliquando ſtabiliendæ firmandæque cupidi et ad concordiam inter diſſidentes reducendam quam maxime parati. Atque hunc ſine dubio egregiæ indolis filium Pater, ſacro muneri adſcriptus, eidem quoque ordini deſtinauerat, ut Leuitici honoris decus ab Auo in Patrem iam deriuatum, nunc quoque in Nepotem magnarum dotium felicibus auſpiciis deriuaretur. Verum optimum Virum tantæ ſpes ante diem deſeruerunt, cum ille tenerum adhuc et vix quinquennem filium hancque adeo vitam terrenam ſubito derelinqueret, ac peritura huius ſeculi bona cum æternis ſibi quidem felici ſorte commutaret. Hic tum profecto miſerrimus BARTHII ſtatus videri poterat, patre præmaturo nimis fato priuati, ita ut ne alienæ quidem opis aut alterius

 patro-

patrocinii implorandi facultas ipſi iam adeſſet. Iudicaret ita, Auditores, quisquis prouidentiæ diuinæ ignarus deſtinationis cœleſtis vias in aliis et magnis præſertim hominibus nondum animaduertit. Redactus in hunc ſtatum Defunctus noſter, ut inſecuta eius eleuatio eo maior atque illuſtrior videretur; ut ſingularem benignitatis diuinæ teſtem atque monumentum ipſe ſe poſtea aliis, ſimili fato oppreſſis, eo maiori cum fructu, eo maiori cum efficacia in exemplum ſiſteret, atque ex hac quoque parte Magni Theologi munus impleret. Excitati ergo mox undique tenero adhuc puero patronorum cumuli, qui Eum Argentoratenſium ſcholis commiſſum inſigni fauore complexi, benignitate erga eum atque amore inter ſe certare videbantur. Ex tantæ matris uberibus primas alterasque diſciplinas magno cum applauſu admirationeque omnium non tantum deduxit, ſed hauſit plane atque perdidicit; ita quidem ut fundamenta tum futuræ eruditionis feliciſſime poneret, ſecuturoque tempore ad præſtantiſſima quæuis doctrinæ ſpecimina promptiſſimus eſſet. Sed in illis præſertim, quas ab elegantia atque humanitate merito vocauit antiquitas, literis tanto feruore verſatus fuit, ut ſua poſtea eruditionis ſpectacula non ſine ſumma Auditorum iucunditate felix munerarius ederet. Nihil porro abſtruſiſſimarum ſcientiarum, nihil reconditiſſimæ artis generoſus adoleſcens ad maiora quotidie niſurus intactum aut intentatum reliquit, et ubi aliis ſubſiſtere datum, ibi Noſter demum opportunitatem excelſæ indolis exercendæ nactus, ut illam ſuam diuinarum dotium congeriem

geriem latius explicaret. Hic Vos mihi compellandi eſtis, Viri Ampliſſimi, illuſtria Academiæ noſtræ decora, ex quorum ore pendere ſingularis Defuncti Noſtri felicitas et gloria fuit: num cuius Vobis culpæ in hoc Auditore Veſtroque adeo cultore ſingulari conſcii eſtis? num quid unquam in Vos admiſit, quo Veſtram iram incurriſſet aut provocaſſet indignationem? An non ubique Veſtram de ipſo expectationem aut abunde impleuit, aut certe ſuperauit; ut iam olim iſtud a Vobis acceperit elogium, et nunc eheu! poſt fata accipiat: talem fuiſſe, qui in exemplum magnæ indolis, magni ardoris magnarumque virtutum abiret. Ita mox utraque laurea condecoratum et puriſſimis moribus imbutum iuuenem ſublimioris ſcientiæ ſchola ſibi vindicauit. Sacroſanctam Theologiam loquor, Auditores, ſanctiſſimum illud cœleſtis doctrinæ ſtudium; ad quod et Parentis Optimi exemplum, et multo magis inſita Eius propenſio ac probatiſſima indoles, diuinæque adeo deſtinationis efficacia Ipſum a teneris excitaſſe videbatur. Tum demum ardor ille excelſus ſupremum faſtigium adeptus eſt, cum eo perveniſſet Noſter, ut iam non in ſe amplius continendam illam, quam a puero ſenſerat, amoris diuini flammam, ſed et alios hoc, ut ita loquar, incendio mox animandos miniſterio ſuo cerneret. Quanta hic Beati noſtri ad tantam molem cum laude olim ſuſtinendam præparatio; quam aſſiduum profundiſſimæ ſcientiæ cœleſtis adyta perſcrutandi deſiderium ſtudiumque; quam indefeſſus in perdiſcendis exquirendisque linguarum myſteriis aut ſalebris labor et dili-

diligentia; quam ſtrenuus denique in ſacris certaminibus obeundis repellendisque aduerſariorum telis fervor. Quoties ſtupore percuſſi Academiæ Ciues, cum inter frequentia Diſputantium certamina BARTHII ſemper aut acumen, aut eloquentiam eminere, Eiusque doctrina tota Auditoria recreari non viderent modo ſed et lætarentur. Itaque pro ſumma, qua pollebat, ingenii felicitate tam inſignes breui tempore in ſacro quoque ſtudio demonſtrauit profectus, ut nominis Eius eruditionisque fulgor mox exteros quoque percelleret et ad longinqua prorſus loca fulminis inſtar penetraret. O felicem tanto alumno Patriam! quæ aliis hoc prodigium oſtentare, quæ in exteris auidam Eius poſſidendi cupiditatem excitare poterat; ſed quæ et ipſa mox dubia fuit, an tam raras Viri iuuenis dotes, an gratam potius remuneraretur pietatem: cuius profecto nullum illuſtrius documentum eſſe potuit, quam quod ex iucunda beneficiorum memoria BARTHIVS recuſauit ampliſſimas, quas in Patria expectare, quam alibi habere maluit, conditiones. Et illa quidem viciſſim tanta Ciuis ſui pietate glorioſa, quicquid honorum, quicquid excelſæ dignitatis, quicquid denique tanto meritorum ſplendore dignum habuit, cupide et publico cum omnium applauſu in Eum effudit; adeo ut collato in Ipſum venerando Profeſſoris et mox Doctoris Theologi axiomate, additisque aliis inſecuto tempore ſplendidiſſimis muneribus, prima quæque dignitas alterius inſtrumentum eſſe videretur. Ampliſſimum fuit hoc de egregio Cive iudicium Tuum, fida meritorum remuneratrix

Aca-

Academia, ſed et quale prudentia exigere videbatur; dum anxia quaſi futuri maximis Eum honoribus mactaſti, cum poſſes, ne ſi poſtea demum id facere velles, non amplius poſſes. Neque iſtud Te fefellit iudicium tuum, niſi in eo te fefelliſſe dixeris, quod maiora adhuc præſtitit Cliens tuus, quam expectaueras. Apparuit hoc, Auditores, ex tota, quam dum muneribus ſuis præeſſet, Defunctus noſter tenuit, vitæ ratione. Siue enim eximiam pietatem, ſiue ſummam eruditionem; ſiue utramque in magno Viro requiras, iſtas certe cunctas illuſtri cum Eccleſiæ Academiæque emolumento et frequenti noſtra admiratione aut oſtendit aut impleuit virtutes; atque ita impleuit, ut et reliqua ſimul omnia, quæ in aliis diuiſa laudantur, unus rariſſimo exemplo ſit complexus. Effulſit in Eo præſertim non ſcintilla quædam duntaxat, ſed vehementiſſimus quaſi ignis diuini amoris, qui per aduerſa ingruentesque ſubinde calamitates auctus ſemper, maioresque cum tempore vires ex indole ſua accepit. Neque hæc difficulter in Ipſo deprehendimus aut diuinauimus. Tota eius vita loquitur, Auditores, loquuntur omnes, quibus vel e longinquo innoteſcere potuit. Diem ſe perdidiſſe crediderat, qua non clariſſimum huius ſui ardoris documentum vel ſaltem conatum edidiſſe ſe exiſtimauit. Ortus hinc ille Eius heroicus vindicandæ propagandæque Dei gloriæ zelus. Quot peruerſos prauorum affectus vel immenſa verbi diuini efficacia vel ſua etiam ſæpe auctoritate repreſſit; quot præfractos honoris diuini contemptores de ſua temeritate, de ſua inſania non obiurgauit tantum,

ſed conuicit plane reddiditque audaciæ pertæſos. Quot ille ad eundem Dei amorem, ad eundem pro pietate Zelum ſanctiſſimis moribus ſuis concitauit et impulit, ſuoque ſatis exemplo docuit, haud impoſſibilem eſſe, quem Ipſe tam ſtrenue ſemper calcauerat, virtutum tramitem. Ita enim reputabat: aut non docendum, aut moribus docendum eſſe. Siue ergo imploranda pro mortalium emolumento divina miſericordia, ſiue prædicandum excelſum illud Maieſtatis æternæ faſtigium, ſiue hominum denique mentes ad debitum honeſtatis ſtudium, ad ſollicitam in precibus deuotionem, ad ardentiſſima ſuſpiria excitandæ, nihil, nihil inquam, horum fuit, ad quod æquali ardore, æquali ſtudio peragendum non promptiſſimus eſſet. Macte illa pietate Tua, ſanctiſſime Myſta, qua regnum cœleſte in his terris tam illuſtri labore propagare, tam efficaci zelo amplificare ſtuduiſti; et qua Dei pariter hominumque amorem immortali exemplo Tibi conciliaſti. Sed qui non omnium animos ſibi conciliare debuerat, qui tam præclaro in omnes ſtudio, tam flagranti amore in uniuerſos homines extenſo conſpicuus fuit? Atque hic, Auditores, ad totam hanc, qua patet, ciuitatem confidenter prouocare audeo. Nullus intra hæc mœnia conſtitutus eſt Ciuis, qui propenſam hanc Eius voluntatem vel Ipſe ſingulari cum lætitia non ſit expertus, vel ab aliis celebratam ſit admiratus. Quoties iucundum nobis exhibitum fuit ſpectaculum, quando, quem paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, eundem quoque ſenes venerari et ſuſpicere viſi ſunt; quando Ipſe huma-

humanitate cum aliis certando dubium ſæpe reliquit, utrum maior eſſet amor, quem accepit, an quem reddidit. Neque vero intra hos tantum limites conſtrictum fuiſſe Defuncti noſtri erga homines ſtudium, illa peculiaris Eius in peregrinos comitas demonſtrat. Sinite me hoc loco, Auditores, in tam inſolitæ erga Exteros benignitatis contemplatione ſubſiſtere pauliſper. Quis enim ad illuſtrem hunc Heliconem acceſſit, quem Eius decantata humanitas non exceperit aut præuenerit? Tanta fuit genii tui indoles, Excellens Anima, cuiuscunque imo vel infimi ordinis homines, nulla ratione Tibi notos aut commendatos inter graviſſima quæuis negotia vel cum detrimento Tuo et tam pretioſi Tibi temporis ſæpe iactura æquali ſemper comitate, æquali ſemper ſtudio ſuſcepiſti atque officiis Tuis ita præuertiſti, ut inſignes benignitatis Tuæ fructus iam ſentirent, cum eam ſibi depoſcere nondum auſi ſunt. Et quæ fuit illa præſertim Tua mirabilis erga me beneuolentia, cum ad celebrem hanc Argentoratenſium ſedem hoſpes primum appuliſſem? cuius profecto feliciſſimi temporis non ſine iucunditate hactenus, nunc vero maximo cum dolore ſum recordatus. Quam certabas tum nouus Patronus cum nouo Cliente Tuo ſtudiis atque officiis, ego amore et reuerentia Tui? Quam eximium et nunquam non pia mente recolendum fuit iſtud fauoris Tui pignus, quod primum mihi dediſti, quoque maius mihi dare non potuiſſes, quod per Te præſertim in Eius Viri conuictum et, quæ paucis contigit felicitas, propius commercium receptus ſum, cuius

patrocinium, quod gratiſſimo ſemper animo agnoſcam, egregio mihi hactenus ex omni parte præſidio fuit atque utinam! diutiſſime ſit. Auctus eſt quotidie hic tuus erga me fauor, cuius nouum nuper documentum edere voluiſti, cum quod ultimum Tibi curarum mortalium fuit, Tuo ſuffragio Lutetianum excurſum mihi præparares, qui tamen ſingulari iterum fato interuerſus eſt, quod et Tuum iam longe triſtius fatum proh dolor! excipit. Ita inter ipſa hæc Tua pro aliis officia opprimi morbo cœpiſti, magnum exterorum ſolatium! Quid redhoſtimenti Tibi pro tantis meritis Tuis ego cum tota peregrinorum cohorte rependam? Nihil quod Tibi tribuamus ſupereſt, niſi pia mentium noſtrarum oblatio, quas Tibi nunc totas conſecramus. Tot Tibi vivas erexiſti apud exteros ſtatuas et memoriæ Tuæ monumenta, quot ad Patriam quemque ſuam iam dimiſiſti et nunc adhuc dimiſſurus es, vel Heliconis vel alterius ſaltem magnæ per orbem ſocietatis Ciues, raræ Tuæ comitatis admiratores perpetuos atque præcones; qui eam Tuam gloriam in aliis terræ partibus propagabunt, quam deuota Tibi pectora in his oris nunquam celebrare deſinent. Quodſi autem hæc Defuncti noſtri erga quosuis fuit beneuolentia, quanta debuit eſſe illa caritas, qua ſuos ſpeciatim arctiſſimo vinculo ſibi coniunctos amplexus eſt? Quam conſtanti cum ipſis fide, quanta pietate egebat! Sed hanc Orationis partem timidius aggredior, Auditores, vereorque ne, quum mihi illius faſtigium verbis complecti datum non ſit, eorum indignationem incurram, qui tanti boni delicias quo-

quotidie experti ſunt. Ille ſaltem caſtiſſimus per bina Eius matrimonia coniugalis amor, illa mira concordia, illa felix animorum coniunctio et mutua caritas feliciſſimorum coniugiorum exempla ſeculo noſtro exhibuerunt: hoc ſolo tamen infelicium, quod tam cito abrupta. Ita quem olim acerbiſſimum dolorem prior Coniux, in generis ſui decus nata, præcoci morte Marito impreſſerat, eum hic nunc converſo fatorum ordine in alteram Matronam mœſtiſſimam deriuauit: quæ plurimis gentilitiis condecorata inſignibus, propriis tamen ornamentis nunc illud præcipue addit, quod grauiſſimum hoc vulnus ſuperante conditionem ſexus ſui conſtantia perfert. Bini vero ex duplici Eius matrimonio ſuperſtites liberi, egregia Barthianæ memoriæ pignora, omnium commiſeratione eo magis digni, quo minus orbitatem ſuam ipſi ſentiunt. Quid nunc de reliqua vitæ ſanctimonia dicam, Auditores, qua non modo plures alios, ſed ſe ipſum propemodum ſuperaſſe videbatur. Quanta erat animi modeſtia, quanta humilitate, ut ne verbo quidem unquam, O Deus! vel de maximis ſuis dotibus meritisue gloriaretur; quam familiaris Ipſi virtus fuit patientia; quam magnum bonæ conſcientiæ pacisque ſtudium; quam verus in Eo animi candor; quam non fucata ſinceritas. Quanta erat mentis æquabilitate et affectuum moderatione; quanta temperantia; quam blandus, quam iucundus ſimul in quotidiana et familiari conſuetudine; et quam venerandus hinc omnibus, quibus Eius videndi alloquendiue copia dabatur. Quæ omnia benigniſſima omnium mater

natura ſingulari corporis gratia ita exornauit, ut oculorum et vultus Eius vigor blandusque aſpectus, comitate grauitateque mixtus, omnium oculos in Eum conuerteret. Et tantis virtutibus illud ſummum, illud eminens, illud præluſtre eruditionis decus acceſſit. Acceſſit omnino, Auditores, et in tam ſublimi gradu acceſſit, ut de ſummo faſtigio virtus et eruditio in eo certare viderentur. Fuit iſtud etiam inter ſingularia Barthianæ gloriæ decora, quod multifariam variorum eruditionem vaſtiſſimo ingenio ſuo atque doctrina complexus ſit. Augendæ ornandæque huic ſuæ ſcientiæ peregrinationem literariam inſtituerat, ut curioſus et indagator omnium animus exteræ quoque eruditionis cultu paſceretur. Tum vero inſatiabilis illa cuncta perluſtrandi cupido ampliſſimum rerum cognoſcendarum campum nacta eſt, cum pleraque Germaniæ Athenæa et magnam Ciuitatium in illis terris copiam eruditus hoſpes inuiſeret. Non ille profecto, quod maximo peregrinatorum numero frequens eſt, in cortice et inanibus rebus, aut ut rectius dicam, nugis animum detinuit; non Ille in Bibliothecis, Libris, Scholis, Academiis atque Eruditis exterius duntaxat noſcendis ſubſtitit, hoc fere contentus, ſi magnam virorum celebrium ſeriem albo ſuo inſcriptam reportaret atque in circulis poſtea gloriabundus oſtenderet. Longe diuerſa cupido noſtri animo inſedit, quam ad omnia aptus, ad omnia paratus diuinus Eius genius ipſi ſuggerebat. Rariora quæuis oculis haurire, antiquitatis monumenta indagare, nobiliores Bibliothecas excutere, vetuſtos Codices perſpicere

omni-

omnino atque ex iis excerpere, mores indolemque locorum examinare, doctos cum Eruditis ſermones miſcere, amicitiam et familiaritatem eorum demereri, hæc ſola BARTHII cura, hic præcipuus itineris literarii finis fuit. Et qui poterat non in omnium Doctorum beneuolentiam ſe inſinuare iuuenis, qui in iſto ætatis flore multorum iam ſenum eruditionem ſuperauerat, et ex quo ipſi pariter habuerunt quod diſcerent. Nullum hinc honoris genus fuit, in quo ipſum ornando non certauerint illarum præſertim Academiarum Proceres, in quibus aliquandiu commorari decreuerat. Nullus in Germania celebrior Eruditus, qui non de Eius præſentia ſibi gratulatus hoſpitem Eum et amicum ſibi exoptauerit: id quod continuatum Eius poſtea cum Clariſſimis iſtius oræ Viris vaſtiſſimum literarum commercium abunde comprobauit. Tantis ſpoliis onuſtus et redux in Patriæ ſinum effudit illos eruditionis theſauros, quos ſtatim cum Exteris pariter atque cum Ciuibus ſuis larga iterum manu communicauit, atque ita communicauit, Auditores, ut in vario ſcientiarum genere et ſacro præſertim ſtudio multos magnosque iam formarit genios, quos nempe capaces inuenit, in quos ex vaſto ſuo eruditionis Oceano uberiores riuos deriuaret. Perſonabant ædes Eius quotidie docentis magnoque numero diſcentium voce et ardore. Quoties hic ipſe locus, hæc atrata iam cathedra Eius præſentia exſplenduit, Eius facundia omnium oculos huc direxit, vel Eius quoque telis concuſſa tremuit. Illi vero ſacri per hanc urbem ſuggeſtus, ſuo iam Oratore priuati, quoties ira

et

et indignatione Eius ſuper peccata detonuere; quoties viciſſim, ſparſo ex illis per totam hanc urbem ſolatii diuini nectare, concuſſas inde mentes recreauit, timidos erexit, dubios confirmauit. Quanta induſtria, quanta ſagacitate in reliquo ſuo munere obeundo verſatus fuit: quam prudens erat in deliberando, quam promptus in agendo, quam perſpicax in iudicando. Et hic tantus Vir, proh dolor! fuit. Fuit omnino, Auditores, et ſi cum ſpe noſtra Eius vitam comparemus, momentum fuit. O irreparabilem tot maximarum rerum iacturam! O! acerbiſſimum Tuum, Magne BARTHI, obitum. Dignus, ſi quis unquam, eras, ut quam longiſſime vitam produceres et porro nobis repræſentares illas eximias dotes, quibus admirationi cunctis, Academiæ huic ornamento fuiſti, et nunc præcoci fato nobis ereptus es. Nunquam quidem non Tua mors nobis acerba futura erat, ſed eo acerbior profecto nunc eſt, quod Te noſtrum ſolatium, noſtras ſpes, noſtras delicias in glorioſo et medio virtutum curſu, nihil metuentibus nobis, inuaſit, oppreſſit. Ergo immatura fuit ætas Tua, ſed Tu eam vigiliis et ſtupenda animi contentione ultra plurimorum ſenectutem produxiſti; atque adeo ad gloriam Tuam vixiſti ſatis. Exceſſiſti his terris noſtris, ut cœlum occupares, quod fide Tua, quod ſuſpiriis, quod flagranti precum Tuarum feruore iam pridem penetraueras. Sic nunc in excelſo beatarum mentium palatio glorioſus quieſcis et inter tot piorum Martyrumque coronas felix vivis, gaudes, triumphas. Nunc illam diuinam gloriam et Maieſtatem, quam in his terris

terris toties laudibus Tuis celebraueras, propius venerari et contueri Tibi contingit. Nunc felicius meditaris et ablato Tibi velo clarius intelligis illud Myſteriorum diuinorum profundum, quod hic potius ſancto horrore reuereri, quam capere Tibi datum fuit. Illa Tua a cœlo deriuata et æternum felix anima ex illo corporis carcere liberata, depoſitis mortalitatis exuuiis, uno paſſu ad immortalia bona, ad beatam ſecuritatem tranſiit. Fruitur iam puriore et cœleſti illa aura, atque ſeruatoris ſui ſanguine abluta caducum hoc æuum generoſo obtutu contemnit. Quæ dignitas, quis ſplendor cum ea gloria, cum ea felicitate comparari poteſt, ad quam nunc in omne æuum Ciuitatis æternæ ſocius perueniſti? Corpori interea Tuo terra leuis contingat; fruatur illud quiete ſua, donec, reformato hoc uniuerſo, rediturum eſt ornatius ad perpetuum cum auguſtiore anima vinculum. Dumque Tu in illa triumphanti Cœleſtium Eccleſia lætus exultas, nos memoriam Tui diligenti contemplatione venerabimur. Virtutum Tuarum fulgorem non tam verborum encomiis, quam æmulatione et ſtudio proſequi, poſterisque in exemplum ſeruare nitemur. Hæc, hæc, præſertim Ciuitas, cuius infinitis lacrymis compoſitus es, imaginem Tui in æterno cordium ſuorum ſacrario ſuſpendet: hæc Academia, quæ vulnere Tuo grauiſſime ſaucia, fida erit meritorum Tuorum depoſitaria, quorum recordatio vigeat, floreat, perennet, quamdiu virtuti pretium et eruditioni honos tribuetur; mortuoque adeo reddet officia, quæ vivo Tibi amplius non poteſt. Ipſa quoque grata poſte-

ritas non annis, ſed actibus tuam vitam metietur, defixa in admiratione ſcriptorum tuorum, quæ veros et genuinos magni ingenii fœtus ſparſiſti per orbem; nimium profecto felix futura, ſi et illa in tenero adhuc filio Tuo rediuiuum Te aliquando conſpiciet. Sed videor mihi iam auguſtiore Te, quam prius, forma contueri atque nos a lacrymis ad excelſa illa, quibus iam perfuſus es, gaudia hilari et glorioſo vultu vocantem audire. Itaque erigor aliquantum in fine Orationis, animoque in ſolatia compoſito poſtremum Tibi dico Vale. BARTHI, DECVS QVONDAM NOSTRVM, VALE ET SALVE, SALVE, INQVAM, ET SVPREMVM VALE. NOS TE EO ORDINE AC LOCO, QVO DIVINVM NVMEN IVSSERIT, SEQVEMVR. BARTHI DECVS NOSTRUM VALE.

ORATIO

ORATIO
CONSECRANDAE MEMORIAE
IO. CASPARI KVHNII,
HISTORIARVM ET ELOQ. IN UNIVERSITATE ARGENTORATENSI PROFESS. PVBLICI ATQVE GYMNASIARCHAE,
PRIDIE EID. NOVEMBR. MDCCXX. RECITATA.

Annus eſt, Auditores ſuis quisque elogiis condecoratiſſimi, cum triſtiſſima mihi ex hoc ipſo loco dicendorum ſeries exorta eſt. Deplorauimus tum, et magno cum luctu deplorauimus ereptum nobis præfulgens Academiæ huius et totius ubique Ordinis ſacrati ſidus. Recrudeſcit hoc vulnus, Auditores; ſed magna cum calamitate et miſeria noſtra recrudeſcit. Obuerſatur adhuc omnium mentibus triſtiſſimus ille dies, qui nuper totam hanc Ciuitatem horribili fama et acerbiſſimo dolore proſtrauit. Reſonant adhuc in auribus noſtris lamentabiles illæ voces, quæ KVHNIVM eheu! noſtrum animam exſpiraſſe clamitauerunt. Madent adhuc lacrymis oculi, quas altus nobis expreſſit dolor, cum exhauſtum illud viribus corpus, in quo tantus hoſpitabatur genius, mandaſſemus terræ. Ita eſt, Auditores, illud invidendum huius Urbis et Academiæ iubar; illud rarum vaſtiſſimi

undiquaque Galliæ regni decus; illud ſtupendum uniuerſæ gentis literatæ miraculum, terribili fatorum neceſſitate, Nobis, Regno, et Orbi ereptum eſt. Adeone ineuitabile ſtat cœli decretum, ut calamitatem noua et maior ſemper calamitas trudat; ut ferox Libitina in hanc tantum graſſari cogatur Academiam: quæ, vixdum elapſo anni unius ſpatio, quatuor illuſtria ex ordine ſuo lumina extincta vidit. Verum atratus iam pridem Orbis eruditus, et ex hoc fere tantum Helicone ferales nuntios accipere ſuetus, hunc tandem ſuis noſtrisque malis cumulum accedere ingenti cum miſeriæ ſuæ ſenſu et dolore conqueritur. Unde non Tu tantum, Illuſtris Argentina, magnum Tibi Oratorem; atque Tu, Inclyta Alſatiæ Academia, ſummum Parnaſſi Tui decus ademtum Tibi lamenteris, ſed tota, qua patet, Littératorum Respublica, et ipſe cum Muſis ſuis Apollo, iacturæ ſuæ conſcius, in luctu et ſqualore verſatur. Neque enim quenquam Literariæ rei adeo incurioſum arbitror, qnin, cum antea KVHNII nomen, quo non Vir tantum eruditus, ſed ipſa profecto eruditio deſignabatur, venerationem ipſi incuſſerit, nunc luctum atque terrorem incutiat. Sed quid hodierni tantum ſeculi grauiſſimam hanc iacturam dico, Auditores, quæ ad omnem retro antiquitatem, ad remotiſſima usque tempora pertingit. Quicquid vetus Græcia, quicquid Orbis quondam caput Roma palliatæ togatæque eloquentiæ Heroum produxit, illi non per ipſum tantum, ſed in ipſo adeo quondam rediuiui, nunc cum ipſo recidunt in cineres. Ex his Tibi reſuſcitandus nunc eſſet

lau-

laudum et virtutum Tuarum præco, MAXIME KVHNI; ex his, quos tam familiares Tibi reddidiſti, producendus nunc foret Orator, qui Tuæ, id eſt, ſummæ facundiæ proximus, qui Te ore, verbis et ingenio quam maxime referret. Et hoc tamen tam lamentabile officium a me Tibi præſtandum nunc eſt; a me, qui iſtis dotibus minime ſum expolitus; qui ad iſtud rite peragendum minime omnium ſum accommodatus. Quid enim mentis mihi tandem fuiſſe putatis? Auditores, cum ultimum Eius ſpiritum exciperem, ex cuius ſacro et venerabili ore hactenus pendere ſingulari mihi prorſus gloriæ et felicitati fuit. Quo me adhuc nunc animo eſſe creditis? qui hac tam irreparabili iactura, tanquam cœleſti quodam fulmine non conſternatus, non perculſus, non obſtupefactus, ſed omnino fere exanimatus ſum. Ille ego, quem ad triſtiſſimum huius mortis ſpectaculum lugubri lamentatione, plangore, eiulatu omnia circumſonuerunt; qui toto adhuc corpore perhorreſco; qui quid faciam, quid dicam, eloquar an ſileam neſcio, in Illuſtriſſima hac Panegyri, de re tam rara, tam excellenti, verba facere debeo. Debeo omnino, Auditores, et unus ex Vobis omnibus quam maxime debeo. O quam inique mecum egiſti, crudele fatum! Grauiſſimam mihi ex hoc præſertim loco dolendi materiam obieciſti, et dignas mihi vires, dignam mihi facundiam denegas. Neque vero, quocunque me conuertam, aliquid, quod me erigere poſſit, video; omnia potius luctu, et immani horrore repleta ſentio. Hic ipſe locus, hi parietes, hæc ſubſellia, et

hæc ipſa tandem, quam tremebundus ego iam conſcendi, Cathedra quendam doloris ſenſum percipere videntur. Ergo Tua mors deflenda mihi eſt, MAXIME KVHNI; Tua, inquam, mors, qui vita immortali et perpetua dignus eras. Ergo in id hanc vocem, hoc os, hunc genium formaſti, ut ille ex ferali hoc pegmate ſupremum Tibi diceret Vale. Ergo in id tantum, quicquid exiguæ mihi ineſſe poteſt facundiæ, in me deriuaſti, ut Tuo ego funeri ſuperſtes, querulas voces et lamenta ex hoc ipſo loco, qui olim Tua præſentia lætus, nunc vero infauſtus mihi eſſe incipit, ſemiuiuus profunderem? Vocem mihi fere præcludit doloris acerbitas, Auditores; mea tamen in Defunctum pietas, et grata ſummorum beneficiorum memoria vel balbutientem me loqui cogit. Tot autem præclara cum in ſe contineat KVHNII vita, cum totum aliquem elegantioris eruditionis complexum inuoluat, videbitis, me in delineandis breuiter Eius dotibus IDEAM ſimul MAXIMI ORATORIS delineaturum. Quod dum ego iam facere aggredior, implorandi mihi eſtis, Auditores, ut veſtrum hoc ipſo in loco aliquoties iam exhibitum mihi fauorem et nunc de re poſt hominum memoriam rariſſima dicturo adſpirare non grauemini.

Quodſi in ulla olim diſciplina formatum cœlitus genium requiſiuerunt artium Doctores, illum certe in futuro Eloquentiæ alumno quam maxime flagitauere; ut Oratorem non minus quam Poëtam naſci debere unanimi certoque conſenſu aſſerere haud dubitarint. Eſt

enim

onim hæc ex illis diſciplinis, Auditores, ad quam non felix tantum, ſed in hac præſertim arte felix ingenium requiritur; in qua perficienda miro quodam conſenſu, mira quadam felicitate, natura et induſtria conſpirare debent: ut fruſtra profecto formare tentaueris Oratoris genium, quem non cœlum ipſum formauit. De tanta naturæ liberalitate gloriari omnino potuit felix præ multis KVHNIVS: in quo ſane ornando, cum, quicquid excelſæ indolis, quicquid magnarum dotium, quicquid ad Phœnicem ſeculi noſtri producendum inuenire potuit, natura contuliſſet, ita certe contulit, ut, qui ad alia omnia, ad diuina tamen præſertim Eloquentiæ Oracula natus videretur. Produxit hoc eruditionis prodigium Saraui pons; haud incelebre Galliæ quondam Belgicæ oppidum, ipſis iam adeo vetuſtis Codicibus notum; nunc vero tanta prole, tanto alumno notius atque celebrius; ſua certe gloria felix dicendum; quod Illuſtri Argentinæ decus atque ornamentum addidit: pari cum Tullii patria fato. Arpinum enim municipium, inter minores olim reputatum ciuitates, Cicerone tamen producto, habuit, quod Romano ſplendori et felicitati adderet, ac tanquam beneficium aliquod celebratiſſimæ genti imputaret. Ceterum acceperit Defunctus noſter ex Naſſauica terra oriundus communem cum maximis noſtri et ſuperiorum pace belloque præclaris Heroibus, ut Tullius cum Mario patriam. Natus ille ſit ex inclyta ſtirpe, quæ in vetuſtiſſima Sebuſiorum Ciuitate per ducentos, et quod excurrit, annos Senatoria et Conſulari floruerat dignitate. Contigerint

rint ipſi alia in magnis quoque haud contemnenda Viris: illa tamen nos cuncta, tanquam fortuita, propriis modo huius Viri, tanta gloria colluſtrati, meritis intenti prӕterimus. Effulſerat ſtatim in tenera iam Eius ӕtate illa indolis prӕſtantia et prӕmaturus quidam diſcendi ardor; quem cum ſtupore ſӕpius contemplati ſunt puerum adhuc in patria docentes Magiſtri; quorum idem ſane, quod de Themiſtocle olim, puerum iſtum nihil fore mediocre, certiſſimum iam tum fuit augurium. Itaque longe illuſtrius tantis dotibus exercendis adoleſcenti quӕrendum mox erat theatrum. Et ſingulari fatorum arcano Argentina Ciuitas prӕlata, quӕ ignara quidem, quantum cœli depoſitum acciperet, ornando tamen ſtatim, cumulandoque beneficiis iuuene futurӕ Eius gloriӕ, et ſecuturӕ hinc felicitati ſuӕ quaſi prӕluſit. Tum vero excelſus ille genius clarius adhuc patuit, cum ad altiora transgreſſus ipſa artium atque ſcientiarum penetralia, prӕeuntibus ſummis in quaque diſciplina Viris, Schallero, Favstiis, Reicheltio, Schallesio, Zentgravio, Bebelio, et cuius nomen ſine ſumma veneratione nemo vel commemorare poteſt, magno prӕſentim Obrechto, generoſus adoleſcens ſcrutaretur. Quam iucundum admiranda iſta indolis et induſtriӕ coniunctio docentibus exhibuerat ſpectaculum. Quanta de illo iuuene omnium expectatio, in quo poliendo certare quaſi inter ſe ars et natura videbantur. His tantis Doctoribus vaſtiſſima illa tot illuſtrium rerum cognitione imbutus, formatusque futurus ille Lyceo Philoſophus, Heliconi Poëta, Heroibus Prӕco, et

Orbi

Orbi doctrinæ Prodigium. Atque ut hæ tantæ dotes multis iam quoque ſpeciminibus ex cathedra publicis comprobatæ, et axiomate Doctoratus Philoſophici auctæ, quicquid apud exteros ornamenti inuenirent, ſuis quoque decoribus adderent, ſuſceptus a KVHNIO, Superiorum Argentoratenſis Alumnei, in quod pridem receptus fuerat, permiſſu, ad peregrinas quoque Academias excurſus. Quam felix illa peregrinatio, Auditores, quantis fructibus, quantis honoribus cumulata! Quicquid Eruditorum iſtius temporis Virorum *Heidelberga*, *Gieſſa* et *Marpurgum* produxit; quicquid illæ rarum, quicquid admiratione dignum oſtentauere, curioſus indagator inuiſit, luſtrauit, rimatus eſt. Sed quid inuiſiſſe tantum Eruditos dico? cum in intimam a plurimis familiaritatem, vel breuiſſimi temporis ſpatio, ſit receptus; qui nempe futuræ Eius gloriæ magnitudinem iam in iuuene, tot meritis, tanta eruditione conſpicuo facile præuiderant. Itaque obſeruauerit ſane KVHNIVS plurima apud exteros rara prorſus atque eximia; veneratus ille ſit ſummos doctrina et eruditione Viros. Multa iſti profecto et maxima habuerunt, quæ pariter in eo non conſpicerent tantum, ſed quæ in illa ætate ad ſtuporem plane mirarentur. Receſſit ille etiam relicta ubique inſigni nominis ſui fama et deſiderio; at ſecuturis mox temporibus ſcriptorum ſuorum celebritate in immenſum augendo. Intellexerat hæc Argentina, de Ciue ſuo interim ſollicita; atque, ne ab aliis præripi ſibi videret futurum iſtud ſuæ Ciuitatis Palladium, vix *Diuodurum* in *Mediomatricis* usque progreſſum

reuocauit. Coërcendus tum erat vaſtus ille animus, Auditores, rariora hinc inde per gentes luſtrare, exterorum mores et inſtituta noſſe tam anxius, tam curioſus. Æquius tamen hoc ferre poterat, qui iam pridem, uniuerſa hiſtoriarum cognitione, totum in compendio mundum ſibi præſentem ſtitit; qui, quicquid recens et antiquus orbis, quicquid magnorum Heroum, quicquid Eruditorum et illa, et remotiſſima quævis tempora protulerant, cunctarumque gentium conſuetudines, in ſua cum mortuis conuerſatione dudum legit, vidit, et examinauit. Rediiſti ergo plenus gloria et exterorum elogiis, Inclyte KVHNI, et plenus ſimul veneratione, plenus pietate erga alteram hanc Patriam rediiſti: atque illa viciſſim reditu Tuo læta conferendis ſtatim, cumulandisque poſtea temporis in Te honoribus certare quaſi cum meritis Tuis videbatur. Neque e longinquo quærendæ tot dotibus Tuis remunerandis occaſiones: excellens ille Tuus ad omnia aptus, ad omnia formatus genius nullum ſubterfugiebat laborem, nulli imparem ſe ſenſerat oneri, nullo non dignum ſe reddidit honore. Quærebatur eruditi in Gymnaſio Viri opera; inuenitur in Kuhnio. Requiritur deinceps in eodem Græca et mox Poëtica traditurus; præ multis eligitur Kuhnius. Dandus eſt Scholæ Gymnaſiarcha; Kuhnius id muneris ſuſcepit. Poſcit ſibi Cathedra Moralis Philoſophiæ Doctorem; cum applauſu illa accipit Kuhnium. Hiſtoria Lectorem atque Interpretem petit, et digniorem Kuhnio non invenit. Quæritur tandem Ludouico Magno Orator; unus, inquam, reſpicitur,

tur, deſignatur, omnium votis expoſcitur Kuhnius. Hæc illa tot munera, tot dignitates ordinatim in ipſum collatas, mira dexteritate, et illuſtri cum nominis ſui fama per longam annorum ſeriem condecorauit; atque ita condecorauit, Auditores, ut Eius Muſeum, aliquod quaſi Europæi Orbis Muſeum eſſet, in quo collecti ex maximis regnis diſcipuli Eius doctrina imbuti, Eius eruditione exornati ſunt. Ex his ille magnus tractandorum ingeniorum artifex Aulis, Ciuitatibus, Academiis Proceres, Conſiliorum Moderatores, Magiſtratus, Doctores Profeſſoresque formauit; qui glorioſe in Patriam reduces reportata ex tanto Viro ſpolia inter præcipuos itineris ſui theſauros retulere: illuſtres quoque poſtea futuri tantarum dotium præcones, a quibus porro ubique propagaretur latiſſime decantata Kuhniani nominis gloria. Fuit enim et hoc inter rariora Oratoris noſtri decora; quod, cum multifaria et diuerſa prorſus emineret ſcientia, tam prompte tamen, tam perſpicue, tam facile cuncta alios doceret, ac ipſe didicerat; vaſtiſſimi iſtius Oceani inſtar, qui eadem facilitate, promptitudineque reddit, quas ex uniuerſa terra accipit, aquarum ingentium moles. Itaque cum alius Politicam, alius Iuris naturæ et gentium, alius morum diſciplinam; alius hiſtoricam antiqui, medii, vel recentis æui ſcientiam, alius ſtyli puritatem, alius eloquentiam ex ipſo percepiſſet; omnes in eo ſolo coniuncta inuenerunt, quæ vaſtiſſimam tot ſingulorum alibi eruditionem exhaurirent. Adeo omnium artium capax, dies et noctes inquies, ac æternitatis anxia mens nihil inta-

ctum, nihil intentatum reliquit, nihil ingenio ſuo abſtruſum inuenit. Verum his tot tantisque diſciplinis, ex veterum iudicio, excultus eſſe debuit, qui ad ſummum in eloquentia faſtigium peruenturus erat. Adeptus eſt illud KVHNIVS, Auditores; neque Veſtrum quisquam, ut puto, refragabitur; quibus toties iucundiſſimum ſuæ facundiæ delicium felix Orator exhibuit. Et hic ſane ipſa potius fama loquatur; illa KVHNII tam longe diffuſa per gentes, diffuſa per literatum orbem fama; ex qua iam univerſum mihi aliquem eruditorum conſenſum audire videor, qui ex ipſo Apollinis iudicio ſummos illi in omni eloquentia honores decernant. Neque enim in uno tantum dicendi ſcribendique genere diuina illa Defuncti facultas præualuit. Idem ille, qui mox hiſtorico, mox philoſophico, mox alio ſtylo, quæcunque voluerat, terſe et eleganter expreſſerat; qui nunc tenui, nunc acri, nunc venuſto, pro varietate rerum, dicendi genere perorauerat; idem, inquam, ille, cum altius extollendus erat animus; ita ſuæ ſublimis eloquentiæ vela pandit, ita genium ſuum extulit, ita rebus conceptus ſuos accommodauit, ut, an ipſa in illis rebus formandis natura, an in iis ſtylo depingendis felicius verſaretur Orator iure ſemper dubitaſſes: tanto ſententiarum pondere, tanto verborum apparatu, tanta periodorum concinnitate, quicquid concepit animo, deſignauit ſtylo, oris et vocis grauitate expreſſit: ita quidem, ut, cum ſingularem Orationibus ipſius gratiam ipſa Eius adderet recitatio, nihil tamen earundem lectio, quod multis Oratoribus ſolenne fuit, poſtea demeret.

Maxi-

Maxima hæc et immortalitate iam digna iudicatis, Auditores, quæ partem tantum immenſæ iſtius KVHNIANÆ eruditionis conſtituerunt. Tot eximiis facultatibus, tot ſtupendis, quæ vidimus, miraculis ſummum quoque et rariſſimum ornamentum addidit Poëticam, et magna ſæpe cum noſtra delectatione non minus, quam admiratione addidit. Quoties ille, cum proſa modo oratione omnium animos oblectaſſet, Poëticis mox conceptibus intentus, eosdem in enthuſiasmum quaſi ſecum rapere, magno et raro ſcribendi artificio, nouerat. Merebare his dotibus Tuis, MAXIME KVHNI, ut non in hac tantum Academia, ſed in ſuperbo illo Romani Capitolii Palatio, qui honor olim Magno Petrarchæ contigit, laurea corona diuinus Poëta condecorareris; qui tam eminenti ratione tot ornamenta poſſediſti, ut utrum felicius illum Ciceronis torrentem, an ſacram Ouidii venam repræſentares, dubios reddideris temporum noſtrorum Apollines. Et felix profecto Te alumno Argentina in Te vidit, quod in Maximo Oratore ſuo Roma non vidit; cuius cum miraretur facundiam, minime tamen mirata eſt Poëſin. Itaque non æquaſſe Te tantum Ciceronem, ſed et ſuperaſſe dicerem, niſi Tua mihi modeſtia manum iniiceret: adeo in Te uno quid efficere poſſet, oſtendere voluiſſe natura videtur; unus Tu nobis pro populo, unus pro turba, unus nobis totus quaſi Parnaſſus fuiſti. Sed talem eſſe oportuit, qui Ludouici Magni laudibus celebrandis dignus cenſeretur. Multorum ſeculorum partus requirebatur, qui tantum Principem dignis elogiis condecorarer.

ret. Fuit autem et hæc, LVDOVICE MAGNE, peculiaris Tua præ multis omnium temporum Heroibus felicitas, quod, cum Tu rerum geſtarum magnitudine extremas terræ partes coniungeres, cum tot illuſtria, tot immortalitate digna ederes facinora, inuenires quoque, et ipſe Tibi formares Viros immortales, qui vivum Te iam immortalitati conſecrarent, et vel mortui poſtea adſcriptam cœlo famam ad ſeram omnium ſeculorum transmitterent poſteritatem. Hunc Tu Monarcham in terris Maximum per tria et quod excurrit luſtra, ſumma cum Tua gloria, et publico ſeculi huius applauſu, quotannis præſentem et victricibus laureis circumfuſum in hoc ipſo loco exhibuiſti, Orator Maxime. Quam erecti omnium animi, cum Tu ſublimis eloquentiæ veſtigia premens Ludouicum Tuum, nunc ex reducta pace, nunc ex formatis mundo Regibus, nunc ex multitudine hoſtium, nunc ex amore Ciuium, nunc ex Hiſpania, nunc ex Germania, atque, ut artis Tuæ miracula ad ſummum perduceres, ex ipſa tandem hoſtium victoria Magnum, paradoxo plane argumento, repræſentares. Quam attoniti omnium animi, cum Tu ſtupendos Maximi Regis ſucceſſus ſuperbo et conſueto Tuo ſententiarum verborumque apparatu æquares. Quam perturbatæ omnium mentes, cum Tu vaſtiſſimi totius Galliæ regni luctum in triſtiſſima Sereniſſimi utriusque Delphini, et ipſius tandem Ludouici Tui morte ipſe conſternatus, at facundus Orator, inaudito animos mouendi artificio, ſiſteres. Adeo nos rapuiſti, quo volueras; adeo noſtrum affectum vel

vel expreſſiſti, vel Tuum nobis occulta arte communicaſti. Tecum lætabamur; Tecum lugebamus; Tecum triumphos, Tecum lugubres nænias cantauimus. Itaque ſi in perpetuo Suetonii elogio ponitur, quod eadem libertate ſcripſit, qua Cæſares eius vixerant; longe excellentior eſt Tua gloria, qui eadem magnitudine ſcripſiſti, qua Ludouicus egerat: et ſi Te maior non potuiſſet Ludouico contingere Orator; Tua quoque profecto ſingularis hæc fuit felicitas, quod Maximum in terris Heroem laudandum Tibi Maximo Oratori diuina obtulerit prouidentia. Quid mirum ſi ſuperba hæc quondam et aſſueta miraculis Tuis cathedra, nunc Oratore tanto priuata, et veteris ſuæ in celebrandis Heroibus gloriæ ſuſtentandæ anxia horret. Sed Tu quidem iſtis immortalibus cœleſtis facundiæ tuæ monumentis iam pridem effeciſti, ut iure Tibi accinamus, quod plenus olim admiratione Herois ſui Plinius Imperatori Traiano, rem Romanam ad magnitudinis faſtigium perducenti, acclamauit: Oneraſti ſucceſſores tuos. Neque vero hæc omnia, quanquam maxima, veri magnique Oratoris exemplar omnino perficiunt, Auditores. Honeſtatem quoque in Viro ſuo dicendi perito requiſiuit ille Romæ quondam ſuæ Deus Cato; et cum eo tota Rhetorum Oratorumque vetuſtiorum caterua. Et hunc Virum ſane bonum, ſi quis unquam mortalium, magno cum conſenſu omnium, quotquot eum propius venerari potuerunt, KVHNIVS ſemper et per totam vitam expreſſit. Cuncta in ipſo ſimplicia et intemerata ad morem Maiorum et innocentiam compoſita, redivi-

vum

vum nobis ipſum in eo Catonem repræſentarunt. Adeo ſeculi vitiis abripi ſe haud paſſus eſt, ut inter peruerſos variorum temporum mores innoxia ille ſemper vita incorruptus decurreret. Eminuit in ipſo veneranda quædam animi magnitudo, qua ille quicquid læti, quicquid acerbi, quicquid triſtioris ipſi oblatum, eadem mentis æquabilitate et incredibili conſtantia pertulit ac ſuperauit. Sed hæc ipſa animi magnitudo, quæ ultra communem hominum ſortem ipſum extulerat, vera tamen ſui cognitione adeo illum quoque depreſſit, ut humilitate cum infimo quouis certaret. Ubi ille unquam proteruius honores et munera ambiuit; tam remotus ab omni ambitu, Auditores, ut vel maximas dignitates, ſi hac via impetrandæ fuerant, recuſaſſet; ſed et ſponte oblatas recuſauit; adeo a tumore honorumque pruritu alieniſſimus erat. Candorem et ſinceritatem eius, quæ nihil ficti, nihil affectati, nihil temporis cauſa vafre aut callide aſſumpti in ipſo tolerauerant, illi præſertim experti ſunt; quibus propiore eius amicitia et intimiore commercio frui datum erat. Patronus fuit ſine fraude et fallaciis; amicus ſine fuco et immutabilis. Iuſti et æqui rigidiſſimum ſeruatorem ut iterum tota eius vita, ita bini quoque, quos geſſit, Academiæ Magiſtratus, et nouem, quos vocant, Decanatus loquuntur. Acceſſit decora omnium eius morum, vultus et totius corporis grauitas, quæ omnibus ipſum contuentibus ſingularem quandam venerationem impreſſit, Orationi Eius miram Maieſtatem conciliauit, et cunctas illius actiones inſigni gratia auctoritateque condecorauit.

Pie-

Pietatem ultimo loco commemoro, Auditores, cum illa quendam reliquarum etiam virtutum complexum et cumulum quaſi in KVHNIO ſiſtat, quæ ipſum ad egregia cuiuscunque generis officia habilem promptumque reddidere. Neque hic tamen ſilentio prætereunda eſt illa Eius generoſa in alteram hanc Patriam pietas; quæ intimis quaſi ipſius medullis tam alte defixa inhæſit, ut vel opimas apud exteros recuſarit conditiones, ut in hac ciuitate ab initio vel mediocres gratiſſimus Ciuis acciperet; atque adeo inſignem Ciceronis ſui in Patriam caritatem et ardorem ſuo quoque exemplo imitaretur. Sed quam pia, quam tenera fuit Eius in ſuos præſertim per duplex coniugium ſanctimonia. Ut oculos, ut viſcera ſua eos amauerat, in id quam maxime intentus Optimus Parens, ut, qui ipſum iam ſanguine, moribus quoque poſtea et ingenio præcipue referrent. Quodſi tuum hic affectum, ſi tuum hic dolorem exprimere mihi daretur, mœſtiſſima familia, toto nunc eloquentiæ flumine inundarem, ut exhiberem acerbiſſimum luctus tui ſpectaculum; ut oſtenderem, quantum Maritum, quantum Patrem, quantum Protectorem, et quam carum Tibi caput ereptum intenſiſſimis lacrymis defleas. Sed quid tuum ego exprimam affectum, qui meo declarando ſum impar; meo, inquam, qui Tuo quidem proximus, imo ſimilis eſt. Et ipſa inprimis relicta a tanto Viro, cunctisque ſexum ſuum decentibus ornamentis condecorata coniux triſtiſſima, memor feliciſſimi heu! quondam conſortii; memor arctiſſimæ iſtius per integra quatuor luſtra animorum concor-

diæ; omnibus his uno iam ictu ereptis, quid ſolatii in his terris ſibi ſupereſſe videret, niſi ſuperſtes tanto marito inſignis Parens tam acerbæ calamitati leuamen afferret; qui ampliſſimis ſuis, quibus Academiam hanc pridem ornat, meritis atque virtutibus tenerum quoque Parentis affectum addere miſcereque iam pridem conſueuit. Fruere diutiſſime, deſolata Familia, illuſtri meritorum Patris Tui fama; et quod Tibi iam acerbiſſimum vulnus Libitina inflixit, collato in Te aliunde felicitatis cumulo reſarciat prouidentia. Tantus fuit in Orbe, tantus in Academia, tantus in Familia fuit, decus quondam noſtrum, KVHNIVS. O Virum omni præconio, omnibus votis noſtris ſuperiorem! Tot ſeculis Italia unum Ciceronem produxit; tot reuolutis ſeculis alter, ſed in his terris, exortus eſt Cicero. Quodſi reuiuiſceret Romanus ille Senatus; ſi ſpectaſſet parem hanc cum ſuis Oratoribus facundiam; non ſuas tantum artes migraſſe trans Alpes miratus eſſet, ſed inuidiſſet plane theſaurum hunc Regno, ut rerum geſtarum magnitudine, ita literarum quoque gloria Imperii ſui æmulo. Eant nunc, qui veterum tantum decora extollunt, recentium incurioſi. Quicquid gloriabunda vetuſtas oſtentauit, oſtentauit quoque et ſinu adeo ſuo fouit Argentina. Utinam adhuc oſtentaret; utinam adhuc foueret! Sed aliter diuinæ viſum eſt prouidentiæ. Debilitas ſtomachi ſexaginta quinque annorum Virum affixit lecto, et febris tandem ardens placide inter ſuſpiria noſtra exſpirantem omnino oppreſſit. Exſpiraſti ergo, Heliconis univerſi deliciæ, MAXIME KVHNI, et

Tecum

Tecum quaſi illa publica literati orbis felicitas, illud eximium præ aliis huius Academiæ decus exſpiraſſe videntur. Ergo Tu, Optime tuorum Pater, hoc quam maxime tempore, rebus ubique conclamatis, quo altius quid cœlum minari videtur, quo unus noſtrum eras ſolatium, quo Tuo fere tantum ſpiritu vivebamus, Tuam illam domum, tot cara Tibi pignora, quæ ineffabili Tui deſiderio anguntur, cœleſtis gaudii plenus relinquis. Relinquis omnino, et ita iam reliquiſti, ut ab omni mortis terrore liber, nullis plane rerum humanarum curis obnoxius, eadem qua vixeras magnanimitate, moribundum Te quoque oſtenderis. Ita noſtra certe duriſſima eſt ſors, Tua felix et æternum felix. Ita tandem ad veram illam, quam toties anhelaſti, ſecuramque animi quietem lætus tranſiiſti. Emaceratum illud corpus Tuum, quod tot infirmitatibus hactenus conflictatum; cui tanquam ergaſtulo Tua excellens anima fuerat incluſa, ad ſua reditu-rum eſt primordia, ut in cœleſtem quandam ac immortalem naturam pereundo reformetur. Dum melior pars Tui inter ſublimia cœleſtium geniorum commercia, in æternis illis beatorum palatiis, ſublimis perennisque triumphat. Sed non minus in hoc mortali æuo immortalis quoque perennisque triumphas. Tu, qui in ore, qui in mentibus omnium eras; Tu, qui nominis magnitudine univerſum fere orbem æquabas, nunc gloriæ Tuæ diuturnitate, et æterna ſcriptorum Tuorum laude vaſtam temporum profunditatem æquabis. Vives, excelſa anima, in cœlo, vives in terra, donec virtus, donec

eruditio, donec Tuus ille Cicero vivet. Quid mirum ergo, ſi ingeminamus Tibi voces, quas triumphabunda olim Harmodio Heroi ſuo Græcia acclamauit: Nequaquam mortuus es, Cariſſime KVHNI. Nos id in poſterum conſolabitur, quod omnia, aſſidente Tibi amantiſſima uxore, dulciſſimis liberis, et me quoque, quem filii inſtar in deliciis habueras, quem præ multis in oculis tuleras, Tibi præſtita ſunt a nobis officia, Tibi fletum, Tibi querelas, Tibi eiulatus, Tibi lamenta dedimus, et dabimus ſemper, Te lugebimus ſemper, Te deſiderabimus ſemper. Salue genuina et poſtrema vetuſtatis ſoboles. Salue et æternum Vale. Quodſi non omnem rerum terreſtrium curam depoſuiſti, ſi Tuorum adhuc memor es, ſi mei denique, qui Te optimo Parente ac Præceptore, Te illuſtri ſtudiorum teſte et Patrono ſum priuatus, ulla adhuc cura Te tangit, ſuſcipe ſupremum hoc munus, quod planctu, quod lacrymis, quod ſemianimis in ſqualore Tibi offero, offeramque ſemper, donec feliciſſima utriusque ſors æternum nos rurſus coniungat.

D I X I.

ORATIO

ORATIO INAVGVRALIS

HABITA ANNO MDCCXXI.

HISTORIARVM ET ELOQVENTIAE PROFESSORIS MVNVS QVVM AVSPICARETVR.

Quod fauſtum, felix, ſalutare ſit, atque Academiæ fortunatum! Superiorem hanc cathedram publica auctoritate ego primum conſcendo, Auditores ſuis quisque condecorati elogiis; Vos ex ea me dicentem nunc primum contuemini. Equidem ad animum meum quum reuoco, quæ ante hos ſeptem menſes in ipſa hac exedra, Muſis et Apollini ſacra, peregi, tanta ſe mihi offert mutatio rerum, in alium fere locum ut delatum me reputem. Tum enim ſub venerandi Præceptoris et deceſſoris mei præſidio hiſtoricæ diſputationis ſpecimen, inſpectantibus vobis, exhibui; ignarus eheu! fatorum, quorum prouidentia factum, ut erepto mox Academiæ tam caro capite, non repetendus mihi modo fuerit hic ipſe locus, deflendæ tanti Oratoris morti, ſed et conſcendenda paulo poſt ſuperior, quam vacuam ille reliquit, Oratoria et Hiſtoriæ cathedra. Hanc ſortis meæ conuerſionem hodiernus tamen dies me docet, qui diſcipulum, nihil tale cogitantem, Magiſtri ſui loco admouet. Neque vero dignitate hac quantum oneris mihi ſit impoſitum, difficulter perſpicio. Terret

me primum vaſtus ille muneris, quod aggredior, campus, qui per tot regnorum, principatuum ortus et occaſus, per omnia politioris literaturæ ſpatia ſe extendit. Terret, quod in ea ciuitate, in ea Academia docendum, in qua veteris dicendi grauitatis exempla, ab ipſo reſtauratæ eloquentiæ tempore perpetua perſtant. Terrent me denique tot Virorum celebrium, STVRMII, IVNII, BOECLERI, BERNEGGERI, OBRECHTI, KVHNII nomina, qui excellentibus doctrinæ et eloquentiæ monumentis immortalem gloriam ad omnem temporum poſteritatem reliquerunt. Venerandis his Literatorum Reipublicæ Viris iuvenis ego tiro ſuccedo. Verum enimuero illuſtria, quæ terrere me deberent, tot clarorum Virorum exempla, animum meum potius erigunt, et ad altiora exſtimulant. Decora anteceſſorum offerunt mihi incitamenta virtutum, quas ſi non aſſequi aut exprimere, imitari certe atque indies efficacius imitari conabor.

Recreat quoque et non parum me confirmat ſingularis veſtra, Patres Academiæ Conſcripti, quam ex ſingulis veſtrum vultibus perſpicio, humanitas; quamque unanimi veſtro in me eligendo conſenſu comprobare voluiſtis. Utinam vobis, quibus reſarcienda fuit KVHNII ſtatio, alter quoque oblatus fuiſſet eius genio ſimilis, qui ipſum doctrina et uſu rerum æquaret; in quo veſter reuiuiſceret favor, in quo veſtri oblectarentur animi. Optanda hæc, non ſperanda ſunt, Auditores. Honorificum eſt veſtrum de me iudicium, quod in aliquam

quam Kuhnianæ dignitatis ſpem ſuccedere me poſſe credidiſtis. Omnes laboris et induſtriæ mea neruos intendam, ut ſpei, quam de me tam benigne concepiſtis, reſpondeam; nec aliud grati animi pignus Vos a me requirere videmini.

Sed nunc ad Te ſpeciatim me verto, Chriſtianiſſimi Regis in Argentoratenſium ciuitate Prætor, Vir Perilluſtris et tot meritis gravis, qui tanta cum felicitate ciuium hanc urbem gubernas. Patieris, Mæcenas Maxime, ut, Tuæ in me benignitatis publica quum tot teſtimonia proſtent, publicum quoque devotæ Tibi mentis meæ in frequenti hac Procerum, Vrbis et Academiæ ciuium concione documentum Tibi gratus exhibeam. Tu me exterum, Argentinenſes inviſentem Muſas, præter amorem elegantiorum literarum nihil afferentem, ſingulari et potenti Tuo dignatus es patrocinio. Oratoriam et Hiſtoricam inferiorem hanc Cathedram, Te fauente, tremens qui non ſemel conſcendi, nunc velificante et adſpirante Te, ſuperiorem hanc lætus conſcendo. Per Te creſcit, floret, et ad longam annorum ſeriem firmata eſt publica huius Academiæ ſalus. Fruere diutiſſime excelſo illo fortunæ et amplitudinis Tuæ faſtigio. Cum fama et gloria Tua perennabit quoque huius Vrbis felicitas, perennabit huius Academiæ ſalus; doctrinæ Tuæ et illuſtrium virtutum, ut et reliquarum laudum Tuarum perpetua ad ſeram poſteritatem conſecrabitur memoria.

Verum

Verum et Tu, Eminentiſſime Cancellarie, Vir generoſiſſime, atque Tu, Magnifice grauiſſimeque Scholarcha, debita gratæ mentis formula ex hoc iam loco publice mihi compellandi eſtis. Macti prudentia, macti virtute, Viri illuſtres, illoque fruamini diu ſplendore, qui ex veſtris pro Republica et Academia curis atque laboribus vobis accedit.

Vos tandem, quos partim Præceptores nuper, nunc etiam Collegas ſalutare licet, Magnifice Academiæ Rector, Spectabiles Facultatum Decani, cæterique Ampliſſimi inclyti huius Lycei Profeſſores, Vos, inquam, prima quoque vice hac ex cathedra ſuperiore publice alloqui mihi contingit. Equidem ſine ſumma iucunditate nunquam in memoriam reuoco illam, qua me, ab eo ſtatim tempore, quo in hac ciuis eſſe cœpi Academia, proſecuti eſtis, humanitatem. Quid ſupereſt, quam ut Vos, rara orbis literati lumina, qui huius Academiæ decus tam glorioſe propagatis, diutiſſime Collegas, fautores atque amicos ſalutare mihi liceat. Cumque nihil prorſus ſit, quod pro veſtris in me meritis non poſtulare et exigere a me queatis, ſtrenue faciam, ut fide, ſtudio, reuerentia, officiis erga vos nulli me ſecundum eſſe intelligatis, atque adeo beneficii, in me collati, vos nunquam pœniteat. Ceterum demandatam mihi Hiſtoriarum et Eloquentiæ Profeſſoris prouinciam inaugurali Oratione more maiorum auſpicaturus, de Eloqventiae Romanae fatis breuiter diſſerere conſtitui, animos veſtros mihi fauentes exorans.

Ars

Ars dicendi, ſocietatis mortalium anima, non univerſum modo naturæ regnum, ſed diuina quoque ambitu ſuo immenſo complectitur. Illa ſapientiæ miniſtra et comes de humanis et cœleſtibus rebus nunc ſimplici, nunc ſublimi, nunc vehementi ſtilo, at ſemper ordinate, ornate et perſpicue loquitur. Ardua hæc ars per omnes nationes et urbes, per regna et per imperia migrans, diuturno ſeculorum curſu tam diuerſa experta eſt fata, ut eodem in ſtatu, eodem in loco nunquam diu ſubſtiterit. Non de inflata et turgida Orientalium, ſed de virili et maſcula, ſpeciatim Romanorum Eloquentia mihi ſermo eſt. Nationum character ex ſermone elucet. Ex linguis diiudicas populos. Hi doctrina, ſcientiis et artibus quo magis floruerunt, eo magis quoque dicendi arte et eloquentia polluerunt, quæ ſine illis nonniſi loquentia et inanis dicacitas eſt.

Sapientia non eloquens ſicca et arida eſt; eloquentiæ iuncta magnos legislatores, iudices, magiſtratus, belli duces atque heroes produxit, quos nulla orbis natio maiore numero, quam Græca atque Romana produxit. Maieſtate Imperii harum gentium creſcente, eloquentiæ quoque creuit maieſtas; decreſcente eloquentiæ ſagatæ atque togatæ dignitas decreuit. Heroica tempora quot claros bello Duces, totidem Oratores oſtentarunt facundos. Milites, Ducis exemplo et oratione animati, non ad prœlium, ſed victoriam feſtinarunt. Nemo veſtrum eſt, Auditores, qui non cum voluptate legat ſermones, quibus Agamemnones, Achilles, Hecto-

res, Alexandri, Scipiones, Cæſar ille Iulius, Pompeius, Druſus et Germanicus ille Cæſar exercitus ſuos allocuti ſunt. Nouimus ſtupendos euentus, quos non minus facundiæ Ducum, quam virtuti bellicæ, tribuendos æqui rerum æſtimatores mecum facile iudicabunt.

Quanta vis ſit eloquentiæ togatæ, duo illa Græcorum et Romanorum lumina, Demoſthenes atque Tullius, docuerunt. Incredibilis eorum in florentiſſimis urbibus fuit dominatus. Regum, Magiſtratuum fata ab eorum ore pendebant. Ciues abſoluti, damnati; leges fixæ, refixæ; bella indicta, ſedata, pro Oratorum arbitrio. Inteſtina tranquillitas, ſeditio, rebellio, in eorum manibus fuit.

Tullius, cuius ingenium par imperio, in quo natus erat, qui ex omnium Oratorum virtutibus compoſitus, quantam per omnes nationes et populos, ad omnium temporum profunditatem, ſibi famam parauit? Ars dicendi ad ſummum, mortalibus quod attingere datum eſt, perfectionis faſtigium tum aſcenderat. Sed cum ipſo Imperio quoque mox cœpit nutare: Aureum illud eloquentiæ ſeculum, quod Auguſteum vocamus, poſt obitum Auguſti, qui Principatum cum libertate miſcuerat, vergebat ad finem. Tyrannis, Eloquentiæ heroicæ hoſtis, veritatis impatiens, potentes Oratores repudiat; aſſentatores ingenioſos admittit; Poëtas blandiloquos amat.

Seculum Eloquentiæ nouum Tiberius aperuit Cæſar; plenum adulationis, ſeruituti obnoxium, quod Poëtas plurimos, nonnullos hiſto-

hiſtoricos, paucos Oratores produxit; nec illos quidem Ciceroni comparandos aut Craſſo. Quintilianus et Plinius in claſſe hac tenent primatum. Ille Domitiano carus ſuo iam tempore corruptæ eloquentiæ cauſas quæſiuit, ad cauſidicos, aduocatos relegatam conqueſtus, quibus Oratoris non competat nomen. Quintilianus Declamationes ſuas, ingenii et ſucci plenas, Orationum titulo inſignire non auſus eſt. Plinius, floridæ et ingenioſæ elegantiæ conditor, Imperatoriæ Ciuilis prudentiæ penu, concinnitate, breuitate et arte nulli Oratori ſecundus, Traiano Imperatori familiaris et carus, in hac eloquentiæ periodo regnat. Tum vero ex ſolio ſuo decidit diuina facundia; ex Romano ſenatu et populi Romani dominatoris concionibus ad Centumviros fori ciuilis iudices deiecta. Conſenuit Cæſareis his ſeculis dicendi maieſtas, in paucis Panegyriſtis et Declamatoribus ex parte ſuperſtes, ſed ſe extollere non auſa.

Tum vero illecebroſa quædam Profeſſorum Eloquentiæ natio invaleſcere cœperat, Rhetorum et Sophiſtarum nomine nota, qui ieiunæ et laſciuientis Orationis genere ſequentium ſeculorum corruperant tempora; venditantes argutias, cincinnos et fucos, tanta cum audacia, ut iuuentutis corruptores, ſolenni tandem Senatus Romani decreto damnati, Vrbe cedere cogerentur. Rhetoris et Sophiſtæ nomen, olim honoratum, tum contemtui habitum; Eloquentiæ priſcæ imitatores Patronorum appellatione inſigniri tum ſueuerant.

Romana facundia cum Romanorum Imperio paulatim ſe extendit trans Alpes, ad Gallos præſertim. Iulius Agricola, origine Gallus, ille Britanniæ domitor, apud Britannos, quibus per octennium præfuit, cum literis latinis eloquentiam quoque introduxit Romanam.

In Gallia noſtra Gabinianus, Agricolæ ſuppar; tertio Eumenius ſeculo, ſequenti Auſonius, Paulus Rhetor, Gregorius, Galliarum Præfectus, Tetradus, Drepanus, Pacatus, Mamertinus et paulo poſt Sidonius Apollinaris eloquii Romani laude floruerunt. Auguſtodunum, Lugdunum, Burdigala, Treuiri urbes, dicendi doctrina celebres, Rhenenſibus his oris non transmiſerunt doctores. Triboci noſtri, ex Germania ſeculo primo cum Nemetibus et Vangionibus in Galliam transgreſſi, literarum rudes, dominationem quidem ſubierunt Romanam, ſed ab illis non edocti ſunt artes.

Cis Rhenana hæc noſtra et univerſa Trans Rhenum Germania, humanioris literaturæ ignara, cum Chriſtiana religione Romanam quidem linguam, ſed rudem et barbaram accepit, omnis cultus ignaram; quod Fulradi, San-Dionyſianæ prope Pariſios Abbatiæ ſeculo VIII. Rectoris, ex Alſatia oriundi, Waldrami et Erckenbaldi, Argentinenſium Epiſcoporum, Ioannis de Dambaco, Petri et Thomæ et Ioannis de Argentina aliorumque Alſaticorum mediæ ætatis ſcripta, barbaro ſtilo concepta, teſtantur.

Poſt

Poſt barbarum Europæ millenarium æuum, veteris Romanæ Eloquentiæ auroram Alſaticis urbibus et oppidis Wimphelingius, Gebvilerus, Rhenanus, Schurerius, Sapidus, Schottus inferre cœperunt; ſucceſſores eorum Sturmius, Sleidanus, Iunius, Gerbelius veterem Romam et Græciam Argentorato intulerunt. Liberata eſt a barbariæ vinculis Alſatia beneficio Italiæ, quæ Byzantio a Turcis capto, doctos fugitiuos recipiens, literas Græcas accepit, quæ refocillarunt latinas, quas Itali populis transalpinis miſerunt.

Gratum Italis animum teſtatura Argentoratus typographicam viciſſim artem transmiſit Italiæ. Præſtantiſſimæ huius artis exercitio factum eſt, ut de literarum reſtaurandarum gloria cum ipſis Italis Hiſpani, Britanni, Galli Germanique certarent. Argentoratus in Germaniæ Galliæque confinio poſita, lucem ab utraque accepit; lucem reddidit utrique. Utrique ſemper cara et conſtans amica. Reviviſcere vix cœperant literæ, quum Muſis intra mœnia ſua Heliconem erigere decreuerat Argentoratus. Academiæ eius origines Carolus Quintus vidit, probauit; Maximilianus II. dignitates addidit, Ferdinandus II. honorum omnium ſuperaddidit culmen. Iura Ludouicus Magnus et eius Pronepos firmarunt. Annuas grates Optimo Principi ſolennes perſoluimus. Exedra hæc quotannis in templum conuertitur, in quo pro ſalute et gloriæ perennitate Principis vota ſuſcipimus. Per duo iam ſecula, vel inter ipſos Martis furores, incolumis ſtat ſemper Argentinenſis ſtudiorum Uniuerſitas; tantoque ſub

Rege florebit, vigebit felix, inuicta, fidelis et conſtans. Otia, quæ Cæſaribus Germanis olim debebamus, nunc Galliæ Ludouicis debemus. Sub tranquillo hoc et placido benigniſſimi Regis Gallorum imperio, tu quoque otio literario ſecure frueris, florentiſſima Iuuentutis noſtræ Academicæ Corona; et Vos præſertim, Adoleſcentes generoſi, qui ex diuerſis Europæ partibus ad Heliconem noſtrum, zelo et literarum ardore pleni, conueniſtis.

Vos, qui in aulis, in exercitibus, in legationibus, in dicaſteriis Principum magnæ fortunæ præſidia quæritis, artis dicendi et Hiſtoriæ politicæ ſtudio certam ad votorum veſtrorum complementa vobis viam parabitis.

Comitabor Vos per amœnos Eloquentiæ et per vaſtos illos Hiſtoriæ univerſæ campos; non per circuitus, ambages et devia, ſed regia via, quam fidi et docti nobis commonſtrarunt ductores. Ad vetera, ad medii et iunioris æui Imperia ac regna Vos peregrinator deducam; abſconditas eorum vobiſcum quæſiturus origines, progreſſus et fata. Notitiam rerum, quæ vobis neceſſariæ ſunt, non ex rivulis vel ſcatebris, ſed ex fontibus ipſis haurietis. Ad emetienda hæc doctrinæ itinera æmulatio veſtra cum meo ſi certabit labore, Academiæ noſtræ propagabitur honos; Veſtra in Exercitibus, Aulis, Urbibus, Academiis, Principatibus, Regnis, Imperiis renitebit gloria; gentibus ac familiis veſtris accedet ſplendor; de claris et doctis ciuibus veſtra gloriabitur patria.

D I X I.

ORA-

ORATIO
DE PYRRHONISMO HISTORICO
HABITA IN AVSPICIIS RECTORATVS ACADEMIAE ANNO MDCCXXVIII.

Traditi mihi ſunt Academiæ faſces, ita volente Senatus Academici decreto, Auditores omnium ordinum ſplendidiſſimi, et ego illos lætus capeſſo. Capeſſo in ea Academia, quæ felix Muſarum Charitumque domicilium; ſtudiorum metropolis, doctrinæ palæſtra. In ea Academia, in qua florens ex omnibus Europæ partibus et erudita iuuentus. Ex altera parte occurrit muneris ipſius amplitudo et grauitas, quæ robuſtiores humeros, rerum experientia firmatos, requirit. Subleuat me ex parte altera, quod dignis ſub præſidibus, prudentibus ſociis res eſt gerenda. Te enim ante omnes compellare iam liceat, Ordinis noſtri decus princepsque, Eminentiſſime Cancellarie, cum Magnifico illuſtrium Scholarcharum Collegio. Veſtris auſpiciis, vobis dirigentibus, munus aggredior. Veſtro ſub ductu nunquam fluctuabor; veſtro aſpirante favore, recto ſemper curſu feretur Academica navis. Et vos heic mihi ſaluete, ſine quibus muta hæc pulpita, ſurdi parietes, deſerta ſubſellia, omnium Facultatum Profeſſores doctiſſimi. Vos, quibus Academiæ dignitas, ſalus literarum tam

chara

chara ſemper fuit et commendata, qui in me eligendo tam fuiſtis unanimes, fuiſtis concordes, mihi quoque conſiliis, prudentia ſublevando haud unquam defuturos ut ſperem, mea de veſtro in me favore concepta fiducia facit. Faciam quod mei a me muneris ratio poſtulare videtur, et cum inter præcipua Rectoris officia ſit, vitiis indicere bellum, velitationem cum Scepticis initurus ſum. Sedebitis vos iudices, dum ego PYRRHONISMVM HISTORICVM profligare conabor.

Quæ ad derogandam Hiſtoricis Scriptoribus fidem vel a priſcis, vel a noſtrorum ſeculorum Pyrrhoniis fuere prolata, Auditores, ad duo præſertim capita reducuntur, ignorantiam nimirum et malignitatem. In perfecto Hiſtoriarum Scriptore requirit Cicero, ut nihil falſi dicat et nihil veri non dicat. Patent hinc duo vitia, Hiſtorici virtutibus oppoſita, ignoratio veri et relatio falſi. Illud vero præmonitos vos eſſe volo, Auditores, Hiſtoricum talem, qualem Tullius nobis depingit, nonniſi in ideis reperiri Platonicis. Perfectam rerum per orbem geſtarum narrationem contexent Hiſtorici, cum Mathematici Circulum perfecte quadrabunt. Hæc tamen non impediunt, quo minus detur certitudo hiſtorica, quo minus et ſua conſtet hiſtoricis fides; modo caute in illis legendis verſemur et debita veritatis criteria ſuo loco et tempore adhibeamus. Sed quam facile hic in extrema prolabitur ingenii humani imbecillitas et arrogantia? Exſerit ſe hoc in omni narra-

artium et diſciplinarum genere, ſed præſertim in ferendo de rebus narratis iudicio.

Sunt, qui fabuloſis æque ac veris rebus ſine criterio promiſcue fidem addicunt, adeoque nimis creduli ſunt. Ex altera parte ſunt quoque nimis moroſi, qui evidentia rerum hiſtoricarum documenta in dubium vocare non erubeſcunt, vagis argumentis innixi.

Enimuero non raro euenit, ut in legendis bonæ notæ Hiſtoricis vel tædium, vel nauſea, vel etiam indignatio excitetur, cum eos anilibus fabulis pollutos conſpicimus. Non moramur hic Annii Viterbienſis, Inghirami, Turpini abſurdas et mendaces ineptias, qui potius falſariis et impoſtoribus, quam Hiſtoricis accenſendi. Elegantes vero ſunt nugæ et monſtroſa mendacia, quæ de Arimaſpis, Gryphis, Pygmæis et Gruibus, quæ de Cynecephalis, Hippopodibus, Trogloditis tradidere Plinius, Mela et Solinus. Relegata ſunt pridem hæc animantia in Mori Utopiam vel Platonis Atlanticam. Quis ferat illa de epotis ab exercitu Xerxis fluminibus; de Atho monte velificato, de mari tabulis conſtrato, de Amazonibus, Sibyllis, de Machinis Archimedeis, quæ et ſexcenta huius generis alia, mendax in Hiſtoriis Græcia ſuis Annalibus inſeruit? Ad Romanos ſi progrediamur, quis æquus rerum arbiter illa de Conditoribus Romæ, de Numæ cum Egeria commerciis, de Termini Dei contumacia, de

Caſtoris et Pollucis pro Romanis contra Latinos commilitio, de Iunonis reginæ ſtatua, cum Romam Veiis migrare vellet, annuente, de Clelia cum decem virginibus trans Tiberim natante, de Tucciæ cribro, de naue, qua Bona Dea vehebatur, a Veſtali tracta, de Thraſymeno lacu ardente, et alia plura huius generis commenta a Liuio, Dionyſio, Plutarcho aliisque paſſim tradita, in rerum fide dignarum numero vellet reputare? Condonemus hæc Scriptoribus, receptas in patria traditiones memorantibus, quarum omiſſio piaculum fortaſſis et in ſacras cerimonias iniuria credebatur. Illis, qui nondum ære lauantur, hæc faciant fucum. Lector prudens, reiectis illis, quæ veritatis ſpecie deſtituuntur, reliquis non denegat fidem; accedente præſertim aliorum teſtimonio. Non expectatis a me, Auditores, ut priſcorum Ægypti, Chaldæorum et Phœniciæ Annalium apologiam inſtituam. Manethonis, Eratoſthenis, Beroſi fragmenta gentium illarum hiſtoriæ vix lucem accendunt. Ille ipſe toties decantatus Sanchoniathon, ſi Scaligero et Dodwello credas, inter ſpurios Scriptores reputandus videtur. Meris ergo coniecturis indulgent, qui in rebus tam remotis ordinandis occupantur, quas Romanorum doctiſſimus Varro, ſuo iam tempore, inter obſcura reputauit. Nec diffitetur Marshamus, qui ex recentioribus primus tenebris his lumen aliquod inferre conatus eſt. Tam longinquam priſcorum ſeculorum antiquitatem cum clariore hiſtoriarum luce quis æquus rerum iudex compararet.

At

At potentius longe præſidium hiſtorici Pyrrhonismi fautores in magnis erroribus, a quibus nec optimos Scriptores liberos conſpicimus, reperire ſe credunt; Vopiſcus, inter Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ clarus, fatetur nullum ex Hiſtoricis eſſe, qui non aliquid falſi contineat. Herodotum hiſtoriarum parentem Cicero appellat, et ille tamen antiquos iam expertus eſt Criticos. Nec defuerunt iuniores, qui eum reprehendunt. Formicas, quas canum magnitudine apud Indos extare tradit, inter ludibria retulere Critici, donec inter munera Turcarum, Sultano a Perſis transmiſſa, formicam Indicam, mediocris canis magnitudine, mordacem memorauit teſtis oculatus Busbeequius et ex ipſo Thuanus. Alia huius generis plura ſuſpecta in Hiſtorico hoc lectores deprehenderunt, quæ temporum decurſus et ad remotas regiones itinera non falſa eſſe nos docent. Strabo Danubii fontes prope Adriaticum mare; Arrianus non procul ab Ionio Germanorum ſedes ponit; Stephanus Byzantius Francos reputat Italiæ populos, Viennam Galilææ oppidum memorat. Iuſtinus Abrahamum Regem Damaſci appellat, et cum Tacito atque Suetonio de Iudæis nonniſi pugnantia tradit. Iornandes, Procopius, Oroſius et Spartianus Getas cum Gothis; Crantzius Vandalos cum Venedis perpetuo errore confundunt. Sabellicus Danos cum Dacis miſcet atque D. Ottiliæ in Alſatia montem ponit in Bauaria; Voſſius, magni iudicii et vaſtæ doctrinæ Scriptor, in libro de Vitiis ſermonis Societatis Sorbonicæ inſtitutionem ad

Robertum, S. Ludouici fratrem, refert, quam ad Robertum, S. Ludouici Sacellanum, a vico natali de Sorbona dictum, referre debuiſſet. Victorius Sirius in aſſignandis Ludouici M. natalibus duplici peccat errore, menſe Decembri Lutetiæ Pariſiorum eum natum eſſe ſcribens, qui nonis Septembribus in Fano S. Germani prodiit in lucem. Non mirum ergo, ſi vel Principes Hiſtoricorum ſuos inuenere Criticos, ſuos Polliones. Ita Herodotum Plutarchus, Thucydidem Dionyſius correxit; Hellanicum ab Ephoro, Ephorum et Antiochum, Philiſtum et Calliam a Timæo correctos tradit, et ipſe poſtea ab Hegeſippo correctus et errorum poſtulatus.

Verum enimuero ipſæ hæ correctiones fidem hiſtoricam non parum confirmant. Rigidiores illi Ariſtarchi, qui cuncta ad veritatis amuſſim examinant, dum falſa et erronea proſcribunt, ceterorum veritatem agnoſcunt. Num quis veſtrum eſt, Auditores, qui vel temporis momento de noui orbis inuentione, de Sinarum, Tartarorum et Mogolis Imperio, moribus et inſtitutis, de Iaponum Inſula, de Cingiskani et Tamerlanis rebus, ſeriam dubitationem inſtitueret, quamuis de his rebus multa vel fabuloſa, vel falſa enarrata legiſtis? Num Indorum hiſtoriæ, tot erroribus olim obnoxiæ, ſua non conſtat fides, quando Herreræ, Acoſtæ, Ouiedi, Garcilaſſi allegantur? Et quamuis ſubleſtæ hinc inde ſint fidei, peregrinantium tamen iuniorum Commentarii, illorumque cum Hiſtoricis, quos memoraui,

con-

conſenſus et veſtrum, Auditores, meretur conſenſum. Si gravium virorum de rebus geſtis teſtimonia magnifacimus viventium, cur eisdem mortuis et in Scriptis ſuis rediuiuis, fidem denegaremus, qui in clariſſima orbis luce verſati, de temporum ſuorum fatis poſteritatem inſtruere ſtuduerunt? Num Cæſari, num Ammiano res geſtas ſcribenti, minus credendum, quam ore narrantibus, præſertim, quando ea, quæ ipſis inſpectantibus acta, recenſent? Regeris fortaſſis, ſuſpecta plerumque eſt de propriis rebus narrantium fides; vel Ciceroni, de ſe commemoranti, non temere credendum.

Eſt hoc alterum, quod veritati hiſtoricæ obiicitur argumentum, Auditores; a corruptela Scriptorum deſumtum. Lector ſapiens in lectione hiſtorica caute procedit. Scriptoris candor ſi ex Scriptis eius elucet; ſi erratis vitiisque ſuis detegendis non abſtinet, ſi ea, quæ tradit, aliorum eiusdem aut proximæ ætatis, vel exterorum quoque et hoſtium teſtimonio firmantur, nulla ratio ſuadet, ut in dubium vocetur ſcribentis auctoritas. Num illuſtrius veritatis documentum Cæſareanis Commentariis accedere potuiſſet, illo Ciceronis et Hirtii elogio, qui eos rectos et venuſtos, celeriter at emendate conſcriptos omniumque iudicio probatos, ringente licet Aſinio Pollione, profitentur?

Si et aliis ex Græcia Latioque Scriptoribus; ſi Villharduino, Ioinvillæ, Cominæo, Bellaio ex Gallis; ſi Coriis, Poggiis, Ammiratis

ex Italis, bella vel negotia, quorum ipſi interdum pars magna fuerunt, memorantibus, idem ab exteris et popularibus perhibitum veritatis teſtimonium, cur illis denegares aſſenſum?

Cœcus ſui ipſius amor Scriptores ſubinde corrumpit; Plurimos partium ſtudium egit transuerſos, qui vel odio vel adulatione, vel nimio in patriam et populares amore, non tam veritati, quam ſuis obedierunt affectibus. Zoſimum ubique hoſtem Conſtantinus et Theodoſius in eius experti ſunt hiſtoria; Procopius ſuis, quæ in Iuſtinianum et coniugem vivos effudit elogiis, et atroci, quam, mutata mox perſona, in mortuos euomuit, criminatione vel improbi adulatoris, vel exquiſitæ nequitiæ ſibi famam apud poſteros comparauit. Meyerus ille Flander in Ludouicum XI. nimis iniquus eſt. Eliſabetham, ut Tiſiphonem ex furiis rediuiuam, pinxit Sanderus, quam Charitum numero, ſi hæreſim excipias, vel hoſtes adſcribunt. Iouius in aula Henrici II. obſcuriſſimo cuique claritatem generis pollicebatur mercede. Mommorantius Annas, Franciæ ſtabuli Comes, ab eo non aliam ob cauſam traductus eſt, quam quod neſcio quid impudenter petens tuliſſet repulſam. Aretinum præterimus, cuius ſtilum toties Principum donis corruptum quis neſcit? Velleio, Tiberii et Seiani adulatori, in rebus huius Principis enarrandis diffidimus. Plerisque ſui temporis Principibus ſuperiore ævo pennam venalem obtulit Gregorius ille Letius, alios redditurus immortales, qui unde ſuæ proſpice-

ſpiceret vitæ vix ipſe habebat. At magno hiſtoricæ veritati præſidio utraque hæc ſeruit Scriptorum factio, Auditores; ſi ex infenſo ſcriptore laudes, ex præcone vituperia deſumas, veritati haud dubie litabis. Secutus hanc viam eſt inſignis Hiſtoriæ Bauaricæ Conditor, Aventinus. Ille Henrici IV. Imperatoris hiſtoriam expoſiturus, tam diuerſa ſcriptorum vel in Imperium vel in Sacerdotium ſtudia cum animaduertiſſet, conciliandæ contrarietati ex hoſtibus Henrici virtutes, ex laudatoribus eiusdem vitia deſcripſit.

Sed quid denique de frequenti ſcriptorum in patriam ſtudio dicemus? damnati huius maculæ Græci, damnati Latini. Quam paucos ceterarum nationum Hiſtoricos hæc non infecit contagio? Maculam hanc Thucydidi nemo inurat, gentilibus ſuis ob id ipſum inviſo, quod nimium virtutem in hoſte laudauit. Polybio, Dioni, Plutarcho, Suetonio nemo denegauerit candorem. Ex recentioribus Baconi, Grotio, Thuano, Guicciardino non idem ſi tribuas elogium, in tantorum virorum manes iniurius videaris. In bellorum Punicorum Hiſtoria fautoribus Pyrrhonismi hiſtorici Mothano Vayerio, et Baylio ſuſpecta eſt Romanorum, gloriæ ſuæ nimis inſeruientium, narratio, a qua longe diuerſam in Pœnis, ſi ſupereſſent, ſcriptoribus reperiremus. Polybius ipſe diuerſa de bellis his tradidiſſe memorat Fabium atque Philinum. Omnia recte feciſſe Carthaginenſes viſi ſunt Philino, Fabius in diuerſa diſceſſit.

Conſi-

Conſiderate, quæſo, Auditores, in hoc argumento præſidii quid num Pyrrhonismus reperiat. Metus potentiæ Pœnorum iniuſta primi belli, a Romanis illati, cauſa fuit; nec iuſtior auxilii Mamertinis lati fuerat prætextus. Neutrum horum Romani ſiluere ſcriptores. Docuit trium bellorum euentus, Romanos in fine eorundem fuiſſe victores. An vero Liuius cruenta vulnera Romanis ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thraſymenum lacum, ad Cannas illata ſilet? num tacet Romanorum in urbe iam trepidantium terrorem, num præterit Conſulum temeritatem et ſtolidam ſæpe ferociam? et tamen Candorem Liuii deſiderat Vayerius. Sine Romanorum victoriis euerti num potuit Carthago? Philini et Fabii ſcripta vidit Polybius, contulit ea maturo iudicio prolixamque belli Punici reliquit Hiſtoriam. Magno et prudenti hoc duce uſus eſt Liuius; aliis inſuper monumentis ſtipatus. In præcipuis conſtans inter eos concordia regnat; Hannibalis per Alpes tranſitum ſi excipias, quem Polybius per Penninas, Liuius per Cottias dirigere videntur. Sed quid miramur in tanta antiquitate diuerſas ſæpe Hiſtoricorum de bellis ſententias, Auditores, quando ferocium, ſuperioribus ſeculis inter Anglos Gallosque, bellorum ſcriptores dubios ſæpe relinquunt lectores, cuinam parti adſcribenda ſit victoria; quando Froſſartus et Monſtreletus in diuerſa ab Anglis haud raro diſcedunt? Quoties utraque pars reportata ex præliis commoda iactitauit? At magnam rei dubiæ lucem affundunt Acta illa apud Britannos, Anna regnante, ex Angliæ Regeſtis a Rymero et Sanderſono

ſono publicata; quae vtriusque nationis hiſtoricos, partium ſtudio ſaepius abreptos, ad genuinam veritatis normam reuocant. Nec immunes ab hoc vitio reliquarum nationum deprehendas ſcriptores. Ioannes ille Magnus, haud incelebris Suecorum Hiſtoricus, Gutis ſuis, quos Suecos eſſe putat, Gothorum, Getarum, Scytharumque res geſtas attribuit; quas ſi demas, exiguus futurus eſt liber, quem ille ex aliarum nationum geſtis in ingens conſarcinavit volumen. Oratio, quam Venetorum Legati, rebus eorum deſperatis, ad Maximilianum habuerunt, veram eſſe pernegant Veneti juniores, eam licet vt veram prodiderit fidus et florens rerum Italicarum ſcriptor Guicciardinus. Hiſtoriam de collo Barbaroſſæ calcato apud eosdem fruſtra confutabis. Eccleſiæ Gallicanæ libertates Italus ſcriptor nonniſi privilegia vocat. Dantes Aligherius Hugonis Capetii, atque adeo regnantium nunc Galliæ Regum, ſtirpem a laniis Pariſienſibus deducit; errore in Hiſtoriis quibusdam inde exorto, quod eius maiores Normannis tot ſtrages intulerant, vt Carolus quondam Saracenis, Martellus inde vel Malleus Saracenorum nominatus. Quot Germaniæ familiis e contra bellum indices, ſi eas a Witechindo deſcendere negabis.

Num hæc et infinita hujus generis alia nos impediunt, Auditores, quo minus genuina rerum indagetur origo, quo minus vera ſecernantur a falſis? num in rebus iudicandis veritas non poteſt erui,

 quia

quia cauſarum Patroni eam detorquent? Ex ipſo cauſarum conflictu, ex ipſo partium ſtudio emergit veritas.

Hiſtoricos, partium ſtudio deditos, in rebus, vbi nec amori, nec odio, nec aſſentationi locus eſt, perſpicaces et ſinceros deprehendas. Inquirendum in ætatem, patriam, ſtudia et mores ſcribentium. Conſulendi qui extra affectus ſunt poſiti; qui eiusdem ætatis, qui rebus geſtis vicini. Temporis filia eſt veritas, ex obſcuro quæ ſæpe, quanquam ſero, prodit in lucem.

Quoties in rebus noſtri temporis cæcutimus. Non ſemper in ſcribentis poteſtate ſitum eſt, occulta rerum geſtarum exponere momenta. Nota eſt Henrici III. Galliæ Regis Britannica ad Eliſabetham Legatio, qua Pomponius Bellevreus Mariæ Scotorum Reginæ, a Procerum Concilio ad mortem damnatæ, ſalutem ſolenni oratione, a Thuano memorata, flagitabat. Ignorarunt tum Britanni et Galli, Oratorem clandeſtina a Rege accepiſſe mandata, vt in priuato cum Regina colloquio ſupplicium Stuartæ urgeret, quod Henricus timuerat, ne illa Guiſiorum cognata, quam Anglica iura poſt Eliſabetham ad Regium ſolium vocabant, Henoticam in Gallia factionem, quam Ligam appellant, firmaret. Effugerant hæc ſagacis et perſpicacis Thuani ſolertiam. Bellevreus diu poſt reuelauit hæc ſecreta Maurerio, cuius filius ſuis Belgii fœderati commentariis rem tam memorabilem, a Letio quoque commemoratam, inſeruit. Luſitanicæ

Domus

Domus Regiæ origines, tam variis ſcriptorum ſententiis agitatas, ex Regio Gallorum ſtemmate derivandas, ſuperiore demum ſeculo nobis detexit inſignis ille rerum Gallicarum indagator Theodorus Godofredus; ipſis Luſitanis tam illuſtri Regum ſuorum origine iam glorioſis.

Childericus Francorum Rex, ante hæc quindecim luſtra ex ſuo reſurgens apud Neruios ſepulcro, quantam rerum Francicarum primordiis lucem in tanta obſcuritate conciliauit? Ita dies diem docet. Ita caute in rebus hiſtoricis procedendum, caute de rebus relatis pronuntiandum. Inter credulitatem et pyrrhonismum mediæ inſiſtendum eſt viæ.

D I X I.

ORATIO
DE ELOQVENTIAE PRAEMIIS
HABITA ANNO MDCCXXIX.
IN PROMOTIONE PHILOSOPHIAE DOCTORVM.

Selectos ex Helicone ſuo Adoleſcentes in publicam totius Academiæ lucem producit Sapientiſſimus Philoſophantium Ordo, Auditores ſuis quisque elogiis condecoratiſſimi. In decurrendo artium et litterarum ſtadio plures per annos diligenter verſati, nuper reputati ſunt digni, qui ſolennibus diligentiæ præmiis atque inſignibus, in ſublimiore Cathedra, inſpectantibus et applaudentibus vobis, condecorarentur. In illuſtrem ergo hunc locum, quindecim filiis auctus et ſtipatus, procedo atque florentes illos bonæ mentis alumnos almæ matri Academiæ offero; trium liberorum iure quinquies glorioſus.

Præbet hoc mihi iucunda et læta gratulandi argumenta; gratulandi vniuerſæ Argentinenſium Ciuitati, quæ ſub Maximi Regis auſpiciis felix, artium liberalium ſtudia in ſuo Helicone feruere, et maiora indies capere incremeuta lætatur; gratulandi Academiæ, quæ amœnas fructuum ſuorum primitias patriæ deuoto mentis affectu offert; gratulandi denique ipſi Academicæ iuuentuti, quæ hanc ſtudiorum ſedem perpetuis augmentis creſcere, auditoria diſcentium coetu repleri, brabeuteria feſtiuo perſonare applauſu lætatur. Ita pax et honos in hoc Muſarum domicilio firmas ſibi ſedes conſtituunt.

Macti

Macti eſtote virtute et ingenio veſtro, qui præcipuas heic laudes decerpitis, Candidati Cariſſimi. Academia ſuis vos exornat decoribus, in vobis ſua efflorеſcere inſignia non ſine ſumma iucunditate contuebitur. Quæ vero vobis largiatur bona? quæ diuidat munera amantiſſima mater? Nec diuitias, nec opes. Dedit illa vobis, quod longe maius, longe præſtabilius eſt, bonam mentem, doctrinam, humanitatem. Cohoneſtabit vos denique illis muneribus, quæ vos non pretio, non hominum imperitorum iudicio, ſed ex Sapientum auctoritate æſtimabitis.

Quum autem ceremonia, cuius peragendæ gratia hanc cathedram conſcendi, ex more maiorum, breui auſpicanda ſit Oratione, nihil noſtro propoſito conuenientius me facturum eſſe reputaui, quam ſi de *Eloquentiæ præmiis* pauca ad vos verba facerem, cum eorum victores talibus ornare præmiis priſci et medii æui conſueuerit antiquitas, qualia et nos hodierno die in caſtris Mineruæ militantibus impertiri ſolemus.

Cum ſolennium ludorum ſpectaculis dedita olim præ ceteris gentibus fuerit ſolers Græcia, tantus in illis viſus eſt apparatus, tam rara in illis edita ſunt virtutis ſpecimina, vt non præcipui modo iſtius regionis proceres, ſed ex remotioribus quoque terris heroes tantæ feſtiuitatis cuperent eſſe ſpectatores. Celeberrimus quisque Philoſophus illis intereſſe haud dedignatus eſt. Hinc factum, ut paulatim certaminibus athleticis, in quibus de robore, de dexteritate, de viribus et pernicitate corporis præſertim agebatur, ingeniorum quoque adiicerentur

rentur certamina, in quibus inter eloquentiæ cultores haud minor exorta eſt æmulatio, quam inter ipſos pugiles atque athletas. De corporis robore et agilitate dum hi certarunt, illi de animi dotibus earumque felicitate inter ſe pugnauerunt.

Laudatus eſt a Socrate Agatho ob raram et inſignem ſapientiam, quam præſentibus plus triginta mille Græcorum teſtibus eluxiſſe commemorat Plato. Herodotum, ludi cum agitarentur Olympici, in illis quoque egiſſe certatorem, hiſtorias a ſe conſcriptas prælegendo, auctor eſt Lucianus. Demoſthenem illuſtri huic interfuiſſe celebritati refert Plutarchus. Recitabantur in ea a Lamacho Myrrhinæo Alexandri et Philippi Regum encomia, quibus eleganter et ex tempore reſpondit Demoſthenes. Lamachus victus pudore e conuentu aufugit. Victoribus in huiusmodi ingeniorum conflictu præmium tradebatur corona: Demoſtheni vero aurea ab Athenienſibus decreta fuit, non tam ob publicum, Græcia inſpectante, certamen, quam quod non deſtitiſſet agere, dicere et ſuadere ea, quæ Reipublicæ et populo viderentur vtilia. Decretum hoc in eleganti ſua *pro Corona* oratione interpretatus eſt Orator. Singulis victoribus ſingulæ diſtributæ ſunt coronæ, quibus tanquam ſpoliis opimis noua decora acceſſerunt gentibus atque familiis victorum. Hinc Orationum et Tragœdiarum Scriptor artisque Rhetoricæ Profeſſor Theodectes, Pharſalica ciuitate oriundus, ex tredecim ſacris litterarum certaminibus, octo retuliſſe

coro-

coronas a Stephano Byzantino memoratur. Qui in his agonibus aduerſarium plus quam ſemel eloquentia vicerant, eorum quoque fores palma coronatas fuiſſe, Græcorum monumenta teſtantur. Enimuero in Odeis etiam et Theatralibus ſcenis, ſiue Pythicis, ſiue Iſthmicis vt et in Gymnaſiorum exedris propoſita fuerunt pugnantibus præmia. Tragœdorum victoriam hircus nobilitauit, unde Tragœdiæ nomen exortum. Epicorum carminum pronunciatoribus agnus proponebatur, qui ἀρνῳδοὶ hinc appellari ſolebant. Menander Comicus octo dramatibus victor euaſit, exiguo ſecundum A. Gellium numero, cum centum et quinque repræſentauit Comœdias, in quarum plerisque a Philemone, longe inferiore Poëta, ambitu et gratia præualente, fuerat deuictus.

Græcorum in plerisque imitatrix Roma hæc ingeniorum et eloquentiæ certamina in ſuam quoque tranſtulit rempublicam. Ludis in Capitolio conſtitutis, coronas victoribus datas et ſtatuas in eorum municipiis poſitas antiqua Inſcriptio docet: *L. Valerio L. F. Pudenti. Hic cum eſſet annorum XIII. Romæ certamine Iouis Capitolini luſtro ſexto claritate ingenii, coronatus eſt inter Poëtas Latinos omnibus ſententiis iudicum. Huic plebs vniuerſa Hiſconienſium ſtatuam ære collato decreuit.*

Pertinent huc illæ Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum recitationes, quibus frequenter interfuit Cæſar Auguſtus. Spectat huc quin-

quinquennale illud et ſolenne Ludicrum, ab Imperatoribus nonnullis Ioui conſtitutum, in quo Oratorum etiam conſpiciebantur commiſſiones. In talibus ludis ipſe Nero Imperator in Orcheſtram deſcendit, et Carminis Latini coronam, magno eorum, qui de eloquentia contenderant, conſenſu accepit; qui honos etiam Palfurio Suræ in eodem Capitolino certamine, mira quadam Oratorum declamantium voluntate, inſpectante Domitiano, fuit delatus.

Tranſiit ex Italia in Galliam laudabilis ingeniorum certantium conſuetudo. Lugdunenſis Agon, in veteri hiſtoria tam late celebratus, ſolennis totius Galliæ Conuentus, id habuit ſingulare, quod Græcæ Latinæque facundiæ in illis ederentur ſpecimina, tanto cum vincentium honore, vt Suetonio referente, ipſi victi ſuos victores præmiis decorare et laudes eorum iuberentur componere. Inſtituta ſunt hæc agonalia a Caio Caligula. Tantus fuit in puniendis malis Oratoribus rigor, ut qui diſplicuiſſent, Scripta ſua vel lingua vel ſpongia delere cogerentur, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo, Arari nimirum vel Rhodano mergi maluiſſent. Occaſio inde Iuuenali deſumta, vt grauem deſcripturus timorem diceret:

Palleat vt nudus preſſit qui calcibus anguem
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Scilicet ad aram a Sexaginta Galliarum populis in Auguſti honorem Lugduni iam olim erectam, cuius cuſtodiæ trecenti augures et

ſexa-

ſexaginta haruſpices fuerunt electi. Græcæ hæ et Latinæ, quæ recitabantur, Orationes florentis iam tum in Gallia eloquentiæ ſunt teſtes. In Gallia, quæ Herculem Ogmium facundiæ Deum, aureis catenis ex ore procedentibus mortales ligantem, priſco cultu venerata eſt. Similem ingeniorum æmulationem aluit quoque vetus Tectoſagum metropolis, quæ *Palladia* hinc a Martiali appellatur *Toloſa.*

Renouata ſunt medio æuo Eloquentiæ certamina, conſtituto in antiqua hac Ciuitate, ſub Seculi decimi quarti primordiis, Rhetorum Collegio, cum reliquam fere Europam denſa litterarum humanarum oppreſſiſſet caligo. Quis veſtrum ignorat, Auditores, annuam et ſolennem *Ludorum*, quos vocant, *Floralium*, ipſis Maii Calendis, in illa vrbe celebritatem, qua hodieque eloquentiæ proſaicæ atque ligatæ magno certantium numero producuntur ſpecimina, et quatuor victoribus Amaranthi, Leucoii, Lilii et Heliotropii flores ex auro, argento, præuia cauſſæ cognitione, decernuntur præmia; conſtitutis ex Octouirorum, vt ibi vocantur, Capitolinorum ordine, tribus Agonum iudicibus, qui *Manutentores* vocantur et Hellanodicarum more, ſerio huic ludicro ordinando ſunt deſtinati. Clementia, ex vetuſta Iſaurorum oriunda proſapia, hos ludos inſtituit. Sepulcralis inſcriptio in Stylobate, cui ſtatua eius in Capitolio Toloſano inſiſtit, conſpicua docet, celebrandis his ludis ruſtica et vrbana prædia ſua deſtinaſſe Iſauram; addita conditione, vt tempore ludorum roſæ ad eius monu-

mentum deferrentur, de reliquo autem fierent epulæ, quod celebre Syſſitium a Clementiæ legatariis, Octouiris illis municipalibus, in Capitolinarum ædium Prytanæo, Symmiſtis ex Græcanico ritu ad illud inuitatis, non ſine publica et geniali lætitia inter tibicinum ſonos, poſtridie illius certaminis celebratur. Siue iam veteri huic Toloſatium traditioni fidem tribuamus, ſiue cum graui hiſtoriæ Occitanicæ Scriptore Catello, a Septemuiris doctrinæ amantibus illuſtre hoc ludicrum inſtitutum credamus, feruent ea ab aliquot ſeculis in illa Ciuitate, magno cum eloquentiæ incremento et flore.

Quid denique de illis Eloquentiæ certaminibus ediſſeram, Auditores, quæ Gallicæ præſertim linguæ ornandæ et promouendæ cauſa in Regia Pariſiorum Academia ab Armando Rihelio hunc in finem inſtituta, Lutetiæ peraguntur. Quam late tanti inſtituti gloria et utilitas pateat, illuſtres huius parentis filiæ, per regnum diſperſæ, docere uos poſſunt. Prodierunt ex illa magno numero coloniæ, Arelatenſis, Sueſſionenſis, Nemauſenſis, Andegauenſis, Cadomenſis, Monspelienſis, Burdigalenſis et nuper denique Maſſilienſis Academiæ, in quibus eadem perficiendæ Eloquentiæ ſtudia feruent. Regnum glorioſum! quod elegantioribus ſtudiis tam vaſtum et amœnum aperit campum, quod cætera quoque regna imitentur.

ORATIO-

ORATIONES THOMANAE IN CANONICORVM INAVGVRATIONIBVS HABITAE. *)

INAVGVRATIO

ANNO MDCCLV.

Sermo in Capitulo.

Adduco vobis, viri Illuſtres, Ampliſſimi, Neo Canonicum, animo corporeque valentem, qui a Venerando huius Collegii Præpoſito inauguratus eſt more maiorum. Ceremonia peracta, impoſito pileo, qui non libertatis tantum, ſed et honoris ac dignitatis olim fuit inſigne. Supereſt, vt eundem in beneficii collati poſſeſſionem immittam.

Stipendium ſiue Præbenda, quæ tibi, Noue Collega, obuenit, huic affixa eſt loco, a latere Decani. In Collegio hoc non de rebus

*) Ab eo tempore, quo Sacra apud Argentoratenſes mutata ſunt, D. Thomæ Collegiata Scholæ publicæ iuncta fuit. Præbendæ Canonicorum in ſtipendia Profeſſorum mutatæ. Profeſſor ſuo ordine eligitur Canonicus. In Canonici inauguratione, examine eius peracto, Capituli Senior eundem in conclaue particulare ad Præpoſitum ducit, qui pilei impoſitione ei beneficium confert. Inde Senior cum nouo Canonico ad Capitulum redit, in Chorum deinceps et Quæſturam ducendo. In Capitulo aſſignatur ei ſedes, in Choro ſubſellium, in Quæſtura ei vinum propinatur. Ad ceremonias has referendi ſunt, qui ſequuntur Sermones.

ad doctrinam ſpectantibus, ſed de œconomicis differes. Illud enim ſcientiarum et artium apud Argentinenſes fulcimen eſſe voluerunt maiores; Alexandrino illi Muſeo apud Ægyptios ſimile, quod præmium doctrinæ fuit atque merces virtutis.

Collegiata hæc Eccleſia antiquitate originis nulli facile cedit. Florentius, Arbogaſti in Epiſcopatu Argentinenſi ſucceſſor, pro Scotis, popularibus ſuis, ſeculo VII. eam inſtituit. Hi Monaſticum ordinem ſecuti ſunt nunquam, ſed ſub Regula Eccleſiaſtica, quam Chrodegangus et Amelacius deinceps ſuppleuerunt, Fratrum Cathedralis Eccleſiæ inſtar, in communione vixerunt; ſeculo XII. in Canonicos mutati ſeculares. Diſſidium religionis libertatem adauxit, quam Chriſtiana ſapientia moderatur. Vitam regularem agimus Profeſſores; Canonici Regulares licet non ſimus.

Prima per octo ſecula ex Collegio Thomano vix unus alterue prodierat litteratus, qui innotuit orbi. Poſtremis his prodiere centeni et prodire non ceſſant; quorum tu longam ſeriem, vir doctus, augebis.

Equidem ſi tibi iniungerem, munia Capitularia ut diligens obeas, nobiscum ut vivas amice, virtutibus tuis diffidere viderer, quæ omnibus notæ ſunt; Collegis notiſſimæ, qui Te cooptauimus Collegam lubentes et læti. Poſtremum nunc locum in Capitulo occupas. Dent tibi ſuperi, longæuitate vitæ ut emergas ad primum.

In

In Choro.

Subſellium hoc, Canones quod vocant *Stallum*, tibi aſſignatum in Choro eſt, ſub ambone, qui a naui Eccleſiæ ſeparat Chorum. Ambonem ab utraque parte Lector, nunc Euangelium, nunc Epiſtolam lecturus, conſcendit. Fratres Thomani olim in ſubſelliis his ſua ſacra peregerunt; quæ in Cathedras Academicas conuerterunt maiores. Tu in Cathedra tua Auditoribus doctrinæ et ſapientiæ pandis oracula, in diesque plura et maiora repandes.

In Quæſtura.

Exhibenda ſunt tibi denique in Quæſtoriis ædibus ſtipendii tui, quod percepturus es, Symbola. En panem et vinum; deguſtabis utrumque. Thomanis fratribus frumenta præſertim, aliis, quos alibi inſtituit, reditus vini largiores Florentius attribuit; veluti præuidens, venturum eſſe tempus, quo Capitulum hoc in Apollinis et Muſarum Heliconem mutandum, quibus non Liber Pater amicus, ſed amica eſt Ceres. Redituum iſtorum perceptionem primus ego tibi exhibeo et animitus gratulor, fidem et amicitiam tibi ſpondens ſinceram. Egregiis tuis ſapientiæ donis in poſterum fruetur Capitulum; tu iucundis Capituli donis ad ſeram poſteritatem tuam fruere ſoſpes et felix.

ALIA FORMVLA ALIO TEMPORE.

In Capitulo.

Capitularem hunc locum, quem tibi aſſigno, quem prima vice nunc occupas, non Eccleſiaſticus, non Politicus, non Academicus, ſed Oeconomus occupabis Senator; ſententiam tuam dicturus de rebus, ad œconomiam quæ Capituli ſpectant. Quotiescunque in hoc noſtro comparebis Collegio, memineris fidei, quam debes Capitulo; memineris modeſtiæ, breuitatis, ſilentii, quæ Canonicum decent. Conclaue hoc Concordiæ templum eſt, quod tu ſapientibus conſiliis, negotiorum gerendorum dexteritate et diuturna rerum experientia ornabis.

In Choro.

Præcipuus inaugurationis tuæ actus eſt, qui *Inſtallatio* vocatur. Stallus recipit Canonicum, qui in eo preces et hymnos dirigit ad cœlum, atque officii ſui præmium accipit Canonem, unde Canonico nomen, non a Canone vitæ.

Deceſſores noſtri obſcurorum temporum non genuini fuerunt ſectatores Thomani; nimium profecto et nimis diu creduli. Venit tandem tempus, quo licuit dubitare. Tum vero Stalli Thomani in publicas Academiæ conuerſi ſunt Cathedras, Capitulum quas alit Thomanum; filiæ et ſociæ ſuæ mater nutrix ſuccurrens.

ALIA

ALIA FORMVLA ALIO TEMPORE.

In Capitulo.

Illuxit tibi tandem primus ille Capitularis tuæ dignitatis dies, honorande Collega, quo tu in antiqua hac D. Thomæ Exedra accipis locum, non ut in eo doctrinæ et eruditionis tuæ, quæ Literato orbi iam pridem innotuit, ſed dexteritatis tuæ in adminiſtratione rerum documenta edas. Senaculi huius ſymbola ſunt Libertas et Veritas. Veritas non ſemper lucida eſt; quandoque occulta. Ad penetralia eius nos tendimus omnes; ſed diuerſas ſæpe vias ingredimur. Unde libertate eſt opus, ſed libertate ſobria et moderata, quæ pridem tibi propria eſt, quæ ex omnibus tuis factis elucet.

Doctores ex Hippocratis Schola Capitulum noſtrum poſtremis his ſeculis ornarunt non pauci. Centenarius ille ſenex *Sebizius*, tot meritis in Rempublicam literariam et in hoc Capitulum clarus, inter illos eminuit. Ad huius longævitatem ut tu quoque aſcendas, univerſus hic mecum Conſeſſus exoptat.

ORATIO-

ORATIONES PALATINAE.

ORATIO PRO INAVGVRATIONE ACADEMIAE ELECTORALIS THEODORO-PALATINAE

HABITA D. XX. OCT. MDCCLXIII.

MANHEMII IN BIBLIOTHECA PALATII.

Nouus Palatinus Helicon, ad Nicri confluentes et Rheni, in venerabili hoc Palladis ſacrario ſolenni ceremonia inaugurandus exſurgit, Celſiſſime Sacri Romani Imperii Princeps, Archi-Principis Germanorum Palatini Legate. Viſum eſt Carolo Theodoro, Electori Auguſto, literarum et artium magno Statori, Neccaranis in Odonianæ ſiluæ aditu Muſis aliæ ſorores ut iungantur ad Rhenum.

Viſum eſt Ei, ad Cæſaris Auguſti Imperatoris exemplum, in ipſo Auguſtali Palatio ſuo nouus ille, familiaris ſibi, ut reſideat Apollo; duplici ratione ut Palatinus dicatur. Viſum eſt Ei, inſtituta hæc literatorum Sodalitas ut Academiæ Electoralis Palatinæ inſigniatur elogio. Patieris, Modeſtiſſime Princeps, ut Academiam Theodoro-Palatinam literatus orbis vniuerſus appellet.

Quod itaque ſummus ille omnium orbium arbiter fauſtum et felix eſſe iubeat, Octobris Vigeſimus huius Anni MDCCLXIII. dies fortunatus ille aureusque dies eſt, quo Academia Electoralis Theodoro-Palatina Scientiarum et Elegantiorum Literarum in Annalibus Mundi ſuos

figit

figit Natales; quo Phœbus Palatino-Rhenanus nouum ſeculum condit, conditique memoriam renouabit quotannis.

Immortale hoc Principis immortalis eſt opus, Auditores; magnanimi Principis, ad artes promouendas ſingulari fatorum beneficio nati; quem non ambitioſa quædam gloriæ cupido, ſed flagrans ille doctrinarum omnium amor, quo cœleſte eius inflammatum eſt pectus, ad conſilium hoc ſuſcipiendum induxit.

Primam Muſis Palatinis et Germanicis ſedem Rupertus I. Elector cum Fratre Rudolpho Heidelbergæ, quæ Regia tum Palatinatus, conſtituit. Carolus Theodorus quadringentos poſt annos Manhemii, in noua ſua Regia, condit ſecundam. Illa omnium diuinarum et humanarum literarum Magiſtra et Genetrix longæua euaſit. Hæc ſoli Palatini admiranda eruet ex viſceribus terræ, populisque Europæ contemplanda proponet; munifici conditoris ſui nunquam non memor.

Muſæ ſub Heidelbergica Principum Electorum Periodo in his tractibus, ut iam dictum eſt, natæ; ſub Simerenſi in florida conſtitutæ iuuenta; ſub Neoburgica bellicis proſtratæ furoribus; ſub Sulzbacenſi periodo priſtinum gloriæ et dignitatis recuperabunt ſplendorem.

Illa Palatinis totique Pieridum choro tam cara Freheri, Gruteri, Parei, Freinshemii, Spanhemiorum, Rusdorfii, Hachenbergii, Tolneri,

Hartſœckeri nomina in amœna hac Nympharum et Gratiarum ſede aliis ſub nominibus, tam felicibus ſub auſpiciis, paulatim reſurgent.

Veſtrum eſt, Academici Viri, quos Principis ſapientis iudicium ad ornandum hoc Lyceum Manheimenſe ſelegit, ſcriptis et laboribus doctis Eius vota complere. Veſtrorum ego laborum futurus ſum fidus comes et ſocius.

ORATIO
HABITA IN ACADEMIA THEODORO-PALATINA
D. XXVI. APRIL. MDCCLXIV.
POST FERIAS VERNALES.

Academia Theodoro-Palatina, quam in auguſta hac Muſarum ſede infantem Vobis nuper produxi, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſuis quisque condecorati elogiis, reuoluto ſex menſium ſpatio adoleſcens iam prodit.

Una hyems Academiam embryonem interceſſit et iuuenem. Adoleſcit ea Magnanimo ſub Principe et ad virilem ætatem magnis paſſibus feſtinat.

Primitias, liba, far toſtum quæ timide vobis nuper obtulerat, opimas et lautas vobis offert iam dapes.

In veteri Roma bonæ literæ et artes cum Imperio creuerunt. A Romulo ad Auguſtum octingenti fere anni effluxerant.

Carolus Theodorus Palatinorum Romulus erit atque Auguſtus.

Diſcat omnium ſeculorum ætas, quam cito adoleſcant Muſæ docto ſub Principe; quantam vim in mortalium animos exerceat magni Principis exemplum.

Diſcant Principes, quam celeri gradu ad immortalitatem eos promoueat gloria literarum.

N 2 Diſci-

Diſcite et vos, Academici Viri, quantus ſit in Academia vigor, quæ ſancte et inuiolabiliter ſuas leges cuſtodit.

Libera ut perpetuo floreat, ſerua ſit legum, ad normam earum æquo et certo ſemper pede procedat; ſtatori ſuo Principi cara, ciuibus exterisque venerabilis.

Præloquendi officio ſatisfeciſſe me puto, Auditores. Expedienda ſunt, quorum cauſſa hæc inſtituta panegyris.

Ante omnia parentandum eſt manibus Seileri, quem Collegio noſtro fata eripuerunt, antequam ſuum in eo locum occupaſſet. Inde Academicorum laborum Vobis exhibenda ſpecimina, ut Academia, Palatinis præſertim rebus intenta, quid agat, quid non agat, intelligatis.

ORATIO

ORATIO
HABITA IN SOLENNI ACADEMIAE THEODORO-PALATINAE CONVENTU DIE XXV. OCTOB. MDCCLXIV.

Annuam natiuitatis ſuæ Periodum primam Palatina felix tranſegit Academia, Auditores omnium Ordinum dignitate meritisque venerandi. Tertius Actus eſt, quo illa in ſacrata hac Muſarum et Apollinis ſede, in ſplendida et numeroſa Procerum ciuiumque concione, animis et auribus erecta, comparet.

Comparet, ſaluo et ſoſpite magno Statore, quem ſingularis nuper prouidentia cœli terris ſuis orbique literato tam benigne ſeruauit. Utinam perpetuum ac immortalem ſeruaret! Academia Actu primo inaugurata, elucidatæ ciuilis et naturalis Palatinatus Hiſtoriæ ſpecimina Vobis repræſentauit ſecundo.

Hodierna panegyri ea vobis declarabit, quid eius præſcripto in enodandis Palatinis rebus vicinarum et remotarum regionum præſtiterint exteri.

Stimulat mortalium animos virtutis æmulatio. Excitant præmia; trahit gloriæ cupido.

Proſpexit hæc ſublimi ſua mente magnanimus Academiæ Sator, omnibusque Europæ literatis quotannis propoſuit præmium; illis

nempe, qui difficilem Palatinatus, vel politicæ vel naturalis hiſtoriæ ſoluturi ſunt nodum.

Athletæ quindecim, ex variis Germaniæ et Galliæ partibus, Comitum Palatinorum origines et ſtatum, apud Romanos et Francos, primaque eorum ſub Merovingis et Carolingis domania hoc anno inveſtigarunt; omnes de præmio reportando ſolliciti.

Commentationes eorum Academia Iudex critico et ſeuero ſubiecit examini, easque in tres omnino claſſes diſtribuit.

Primæ claſſis Commentatores quæſtionibus propoſitis nullo modo ſatisfecerunt; extra oleas vagati et in alia omnia dilapſi.

Ad ſecundam claſſem referimus illos, qui ſtadium ingreſſi per illud quidem diligenter decurrunt; argumentum tamen nec ſatis copioſe, nec ſatis docte tractarunt.

Tertiæ, quæ prærogatiua claſſis eſt, Diatribas aſſignauimus duo; quæ nimirum reputatæ ſunt dignæ, ut in publica literarum luce ſuo tempore compareant.

Iudices cum hærerent in bivio, cuinam ex Diſſertationibus æmulis addicerent præmium; munificus interueniens Princeps, ex machina Deus, remuneratur utramque.

Ita ex agoniſtico certamine bini æquo marte victores prodibunt athletæ, in illuſtri hac procerum et ſpectatorum coronandi corona; olym-

olympionicæ proclamandi, ſine faſtu et pompa; huc usque incogniti; ex ſchedulis aperiendis mox cognoſcendi, licet forte abſentes. Reliquas clauſas mox deſtruet ignis.

His omnibus de rebus plura Vos edocturus eſt Academiæ Orator, qui et ea Vobis patefaciet, quæ augendo huius Collegii decori ſuperioribus ſtatutis ſuperaddere decreuit Conditor auguſtus, ſaluti et gloriæ eius ſemper inuigilans.



ORATIO

HABITA IN PUBLICA ACADEMIAE ELECTORALIS PALATINAE CONCIONE DIE XVIII. APRIL. MDCCLXV.

Semeſtria ſacra celebramus, Auditores. Ad literarios labores breui ex interuallo redit Academia; magnis ſub auſpiciis tuta, florens et felix.

Germanorum omnis æui Annales a pluribus iam luſtris dum voluo atque reuoluo, nullus mihi ex omnibus huius gentis Principatibus fertilior Principibus doctis, quam Archi-Palatinatus Rheni occurrit. Profunda ignorantiæ caligo univerſos Europæ populos cum per decem ſecula preſſiſſet, in Nicro-Rhenanis partibus diſſipare eam cœpit Rupertus ille, Palatinus Elector, qui uniuerſæ Germaniæ Procerum primus in Regia ſua Heidelbergæ communem omnium diſciplinarum Parnaſſum condidit; ciues ſuos eorumque vicinos a ferocia mentis ad vitam ut cultiorem traduceret. Euenit hoc Carolo IV. imperante.

Primogenita hæc Literatæ Germaniæ filia primogenitam apud Bohemos mox filiam peperit, Academiam Pragenſem, quam idem Carolus, exemplo hoc excitatus, inſtituit; quamque aliæ deinceps apud Germanos longo ordine ſecutæ ſunt ſcientiarum ſcholæ, Uniuerſitates quas vocant.

Rupertus Palatinus, Cæſar Academiam, magni patrui partum, in oculis geſſit, priuilegiis adauxit, ornauit ac extulit.

Ludo-

Ludovicus, Cæſaris filius, maximum ei præſidium addidit, inſtituta Bibliotheca, quam in Exedra Baſilicæ S. Spiritus, a patre exſtructæ, poſuit, conquiſitis undiquaque optimæ notæ ornauit Codicibus; quamque Otto Henricus, huius Lineæ poſtremus, omnium totius Germaniæ Bibliothecarum conſtituit principem.

Iohannes, Ludovici frater, Sueciæ, Daniæ et Norvegiæ Regis Chriſtophori genitor, ut et Ottones Mosbachii, pater filiusque eius magnos inter Muſagetas Gentis Palatinæ cenſendi ſunt omnes.

Verum enimuero Scholaſtica fuit hæc prima Periodus Palatinatus Literati, philoſophicis tricis et quæſtionibus otioſis occupata, quæ homines non tam bonos ciues, quam ſophiſtas reddidit, nec animos ſatis mitigauit. Clauſit hanc epocham bellax Fridericus, perpetuas inter turbas tamen fautor literarum; Philippo Ingenuo, ſucceſſori ſuo, gloriam relinquens, ut muſis Palatinis nouam faciem induceret; ex triſti et ſeuera eam redditurus amœnam.

Duumuiros idoneos in vicinia reperit, Dalburgium et Venningerum, in quibus ad excitandas elegantiores literas ingens præſidium. Ex Spanheimenſi Comitatu appellatus eſt Trithemius; ex Marchia Badenſi Reuchlinus; ex Alſatia Wimphelingus et Gallus; ex Friſia remota Rudolphus Agricola, magnum illud literaturæ humanioris inſtaurandæ lumen et decus.

Hos inter Septemuiros, Germaniæ Sapientes, Philippus Elector partitus eſt operas; operarum ipſe Rector et Præſes. His filiorum ſuorum educationem commiſit; his libros, erudiendis filiis conſcribendos, iniunxit. Hi in Aulam, in Academiam Palatinam, in Academias, vicinas et remotas, ſcriptis et conſiliis ſuis, bonas literas et artes, felici nec lento cum ſucceſſu, introduxerunt. Alexandrinum Philadelphi Muſeum a Nilo ad Nicrum translatum fuiſſe dixiſſes. Odonianus Heidelbergenſium mons, inexpectata rerum conuerſione, Pindus euaſit. Græcia et Roma translatæ ad Rhenum. Conuerſionem hanc Literarum Palatinarum ego lætus commemoro, Auditores. At alteram, quæ inſecuta eſt, rerum politicarum cataſtrophen, qua omnis Palatinatus conquaſſatus et horrida tempeſtate fere euerſus eſt, cum contemplor, horreſco. Num quis veſtrum crederet, Auditores, poſt tam fauſtum, felix, lene et literatum viginti octo annorum regimen Philippi Ingenui, Principem tam mitem, tam benignum, a Muſis ſemper obſeſſum, ab hoſtilibus denique exercitibus ſeptem fuiſſe obſidendum; Cæſare ipſo ductore, Cæſare, qui bonas literas non minus, quam Philippus adamauerat. Maximilianus, quo benigniorem Imperatorem non habuit Germania, tantæ cladis eſt auctor. Fata hæc velo obtegere malo, quam triſtem eorum vobis refricare memoriam. Ad aureum Simmerenſium Seculum Vos potius aliud in tempus invito. Tum vero Palatinus Helicon ſummæ apicem gloriæ attigiſſe videbatur; Theodoriani præcurſor.

ORATIO

ORATIO
HABITA IN PANEGYRI ACADEMIAE
DIE XVII. OCTOB. MDCCLXV.

Auguſta in Exedra auguſtam allocuturus panegyrin, Auditores omnium ordinum et dignitatum ſuis quisque condecorati elogiis, de auguſto quoque argumento præfandum eſſe exiſtimaui, *de Palatinis Electoribus doctis ex linea Simmerenſi.*

Nationibus et Familiis Illuſtribus alma rerum mater natura certos characteres et notas frequenter impreſſit, quibus unam ab altera haud difficulter diſtinguimus. Argiuorum Inachidæ, Ægyptiorum Lagidæ, Syrorum Seleucidæ, Iudæorum Maccabæi veterem orbem id iam ſatis docuerunt. Simmerenſes Palatinos præ aliis diſtinxit eruditio et doctrina literarum.

Soboles docta, quaſi inflammata a Phœbo, quæ hereditario iure indolem illam in filios atque nepotes transmiſit; quæ cum ſanguine Imperium, cum imperio ſcientias propagauit et artes; aliis ipſa præfulgens.

Sapientiſſimus Philoſophorum, Plato ille diuinus, illas præ aliis beatas fore Respublicas pronuntiauit, in quibus regnarent philoſophi, aut Reges philoſopharentur.

Simmera, extinctis Comitibus, ad Palatinos tranſlata, Ottone Henrico ſine prole extincto, Electorali ſolio transmiſit Fridericum, huius nominis tertium, ex Simmerenſibus primum.

In hunc Cæſar et Imperium omne coniuraſſe videbantur, ut eum ſolio Electorali expellerent, quod Publicæ Pacis incapacem credide-rant; nec Romanis, nec Proteſtantium ſacris addictum.

At Fridericus, in Comitiis Spirenſibus, magnifica oratione et docta cauſſam ſuam ipſe tam fortiter egit, ut Cæſar, Electores et Principes, maſculam et patheticam eius eloquentiam mirati, odium in amorem conuerterent, Friderici ſe declararent amicos.

Henricus Valeſius, Caroli IX. Galliæ Regis frater, in Poloniæ Regem electus, Electorem noſtrum Heidelbergæ inuiſens, vehementer commotus eſt, quum hic Pariſienſem Hugonottorum Lanienam grauibus ei exprobraſſet argumentis. Heidelbergenſe Sapientiæ Collegium ille multum adauxit. Educandis Nobilibus ſcholam Equeſtrem inſtituit Selzæ.

Balduinus, Donellus, Grynæus, Langius, Neander, Xylander, Leonclavius, Lotichius, cara Literatis nomina, ad Athenæum Palatinum undique confluentes, a Friderico vocati, amati, remunerati, tum illuſtrarunt has terras.

Ludovicus, Friderici ſucceſſor, ſeptennali regimine theologica magis, quam ſeculari fuit occupatus doctrina; ex illius temporis genio, ſed

ſed minus eloquens patre; de filio ſuo in artibus et ſcientiis educando mire ſollicitus fuit. Extant Conſilia a Strupio, Pancratio, Micyllo aliisque Viris doctis Electori hunc in finem ſuppeditata, quæ non caruerunt ſucceſſu.

Fridericus IV. tertii nepos, de Hiſtoriæ Palatinæ cultura ſollicitus, Hermannum Witrichindum, Heidelbergæ Profeſſorem induxit, ut concinnam eius Epitomen in Electoris et filiorum uſum componeret, quam Fridericus V. e germanico in gallicum eiusque filius, Fridericus Henricus, in latinum tranſtulerunt ſermonem.

Hic in Dedicatione patrem, Bohemiæ Regem, ita alloquitur: „Quid aſſecutus ſim, Maieſtatis Veſtræ iudicium eſto. Mihi ſatis „fuerit, ſi ex præcepto Catonis otii mei rationem approbauero, ſimul„que oſtendero, domeſtica hæc decora mihi non muta ſimulacra, „ſed viva exempla eſſe ad virtutem et gloriam.„

Dignus magno Principe ſermo.

At ipſe hic primogenitus Regis, literis apud Batauos egregie inſtructus, magnam de ſe ſpem ubique excitans, in medio doctrinæ et virtutis curſu Domui ſuæ et Muſis ereptus, quindecim annorum iuvenis, haud procul Amſtelodamo, ſuffocatus eſt aquis; dubium relinquens eruditum orbem, magnitudine animi Carolum Ludovicum fratrem æquaturus, an ſuperaturus fuiſſet, ſi ad gubernacula Palatinatus ſediſſet.

Secundo genitus hic Regis filius, Weſtphalica Pace Palatinatui ſuo reſtitutus, doctrinam et fortitudinem mentis ſi iungas, ex deceſſoribus ſuis nullum habuit æqualem.

Magna quidem, ſub poſtremis Fridericis, Gruteri, Freheri, Lingelshemii, Parei literaria apud Palatinos gloria.

At Caroli Ludovici ætas quantum præualuit. Morientis Palatinatus hic reſtaurator et ſtator vivida ſua mente omnia reuocauit in vitam. Urbibus urbes, agris agros, commercia commerciis, literas literis, at omnia maiore quam antea cum ſplendore, reſtituit; ipſe ſcientiarum et artium perſpicax cultor, promotor; medias inter Muſas ſemper armatus et iurium ſuorum fortis defenſor, ſuo docuit exemplo, Bellonam quoque poſſe conciliari cum Muſis.

Quanta Aulæ lumina tum fuere Rusdorfius, Blarerus, Ramingius, Peilius, Wolzogenius.

Quam illuſtria in Iuris Publici doctrinis Danckelmanni, Bœckelmanni, Thulemarii, Cocceii, Hachenbergii nomina. Pufendorfius, nouus ille nouæ diſciplinæ creator, nationum et iuris gentium doctor, ad cuius oracula pace et bello prouocant populi, a Carolo Ludovico inuitatus, vocatus eſt, atque inſigni ornatus ſtipendio, ut primam in orbe literato iuris naturæ et gentium Heidelbergæ erigeret cathedram, quam ibi magna cum nominis ſui gloria ornauit.

Caroli

Caroli Ludovici inſtitutum prudens alios certatim Europæ Principes commouit, ut tam laudabile ſequerentur exemplum. In elegantiori illa literarum humaniorum doctrina, quantam ſibi Freinshemius, Laurentius Begerus, famam in omnium ſeculorum pepererunt Annalibus.

Apollines hi Palatinum Parnaſſum et Aulam, ſub Electore docto, doctrinæ ſuæ radiis dum late colluſtrant; polyhiſtores Voſſii, pater et filius, ex Palatinatu prodeuntes, ſtupendos eruditionis Theſauros apud exteros effundunt. Tantum Palatinatui debet orbis literatus.

Tantum Palatinatus Simmerenſibus ſuis Electoribus debet.

Veſtrum eſt, Proceres Palatini; Veſtrum eſt, Palatini Academici, omnibus viribus eo conniti, Theodorianum ut ſeculum Simmerenſe adæquet.

Sed iam progrediendum ad ea, quæ in Conuentu hoc ſolenni tractanda expectatis, Auditores.

Ad te itaque me conuerto, Vir docte, qui Academiæ noſtræ ab Actis es, teque inuito, rerum agendarum ut initium facias, atque auguſtam hanc edoceas Concionem, quid circa præmia doctrinæ diſtribuenda Academicus noſter decreuerit conſeſſus.

ORATIO

ORATIO
HABITA IN SOLENNI CONVENTV ACADEMIAE PALATINAE
MDCCLXVI. MENSE OCTOBRI.

Quotiescunque in ſplendida hac Virorum illuſtrium et doctorum corona ad dicendum exſurgo, toties tenero pietatis affectu me commotum perſentio. Commouet me veſtra frequentia, Auditores, veſtrum ſilentium, veſterque conſenſus, quo muſis noſtris delectari vos tam conſtanter, tam aperte profitemini.

Infantiam earum ſpe pleni vidiſtis; adoleſcentiæ applauditis, applauſuri ardentius, documentis frequentibus quum eritis edocti, fructus eius in publicos uſus ſeſe latius diffundere.

Altius pietatis meæ ſenſus aſſurgit, cum oculos attollo et beneficum illud Palatinatus Numen, cuius auſpiciis hæc otia debemus, e longinquo adueneror. Immortalitas, quam ille Muſis in ſuis terris parauit, preſſo Eum pede proſequitur, monumenta et aras Ei apud poſteros iam parans.

Academicorum laborum primitias Ei nuper obtulimus; ex quibus intimos obſequii noſtri ſenſus Ille non minus dimenſus eſt, quam alii Principes ex triumphalibus arcubus, quos amor et veneratio populorum eis erigit, metiuntur.

ORATIO

ORATIO

IN SOLENNI ACADEMIAE PALATINAE PANEGYRI RECITATA

MANHEMII DIE XXVII. APRILIS MDCCLXVII.

Hyperborea hiems, hominibus ac animalibus horrida, terræmotibus plena, nuper dum premeret Europam, Palatinus Helicon immobilis ſtetit, viruit atque fructus produxit, quos ex parte vobis læti nunciamus, Auditores. Academia autumno præterito ex ſinu ſuo dimiſit ſocium, Gallico ſub cœlo conquiſiturum diuitias, quas Pomonæ Palatinæ et Floræ redux iam dicat.

Paulo poſt ex gremio quoque noſtro profectus eſt alius, qui varia Neptuni et Amphitrites dona marina, ut et ex viſceribus terræ, metallorum, lapidum figuratorum, gemmarumque multifarias ſpecies Pinacothecæ Palatinæ intulit; ſpectaculo inquilinis futura et exteris. Præter hos Italicum quoque et Gallicum iter ingreſſurus eſt breui Academicus nouus, admiranda veteris Romæ et Græciæ oculis ut eruditis colluſtret, doctiorque reuertens, noua antiquitatis ſpolia in gazam Palatinam et in Academiæ ſinum effundat. Sed et bini ex Collegio noſtro ſodales, quibus Topographiæ et Hiſtoriæ Palatinatus eruendæ commiſſa eſt cura, conſuetum ſuum peregerunt literarium iter.

Quid ab illis in hoc genere iam præſtitum ſit, ipſi vos, Auditores, in hoc loco edocuerunt non ſemel, atque edocturi ſunt porro.

Poſt tot calamitates Palatinarum terrarum; poſt tanta incendia atque Martis furores, tot illuſtria adhuc iisdem in terris ſupereſſe monumenta, non pauci iam pridem mirati ſunt mecum. Solum Palatinum, quod omnia profert, innumera occultat, quae indagatio ſollicita nouo hoc ſeculo in lucem producet.

Exercitamenta haec ſunt Academiae, vix infantiam egreſſae; tam magnanimo ſub auſpice quid ſperare non licet? docto ſub Principe, qui literarum amori regiam munificentiam iungit, optimus Academiae ſuae Stator et Pater.

ORATIO
IN SOLENNI ACADEMIAE PALATINAE PANEGYRI RECITATA
MANHEMII D. XXII. OCTOB. MDCCLXVII.

Academia Platonis, omnium, quæ a viginti duobus ſeculis floruerunt, Academiarum mater, in ſuburbano Athenienſis Academi horto prognata, exedræ ſuæ frontiſpicio inſcripſit: *Nemini Geometriæ ignaro ingredi fas eſto.* Academia Theodoro-Palatina, in Auguſtali Principis ſui conſtituta Palatio, Conclaui ſuo inſcribit: *Palatinarum rerum incurioſus ne intret.* De Academicis ordinariis id intelligendum eſſe nemo non videt. Homo, alienis in rebus perſpicax, in ſuis cœcutiens, accuſatur vecordiæ. Sapiens domi rem bene conſtituit, antequam excurrat ad exteros.

Innixa his fundamentis Academia, quidquid Palatinatus vetus, medius et nouus, in ſacris et profanis, in ſuperficie et profunditate terræ, per omnia naturæ regna produxit, omnia eius per ſeculorum decurſum, facta, geſta, fata, omnes rerum conuerſiones ſollicita et indefeſſa ſcrutatur. Roma vetus, primis temporibus circa matrem vagata, pedem extra Italiam non auſa proferre, ad ætatem virilem provecta, magnam orbis complexa eſt partem. Enimuero ita conſtituta eſt hominum indoles, Auditores. Ingenia paulatim incaleſcunt; creſcit æmulatio cum doctrinæ progreſſu; excitant præmia, virtutis acuendæ calcar et ſtimulus.

Palatinæ terræ, quæ Ducatibus, Marchiis, Principatibus, Comitatibus et Dominiis conſtant, theſauris, quos ignorauerant, tam diu indormientes, ex ſuo tandem reſurgentes lethargo, eruditos iam oculos in omnes partes circumferunt; abdita et arcana rerum ſcrutantur, conquirunt iam et colligunt omnia in Academiæ uſus. Hæc Symbolas confert, ratiocinia communicat, diſcutit, emendat, corrigit, in Commentarios redigit, atque Acta ſua transmittit ad poſteros, ut habeant hi, quod imitentur, quod ſuperent.

Academia, laborum ſuorum rationem, in ſplendido hoc Muſarum Sacrario, publice reddere ſolita, veſtrum in conſpectum rurſus prodit, Auditores; ſolenni hoc die expoſitura vobis, quid priuatim ſit actum, quid propediem, quid in poſterum agendum. De otio noſtro, de conatibus noſtris ex Diatribis, quas prælegemus, penes vos iudicium eſto.

ORATIO

ORATIO
HABITA IN ACADEMIA ELECTORALI PALATINA
MANHEMII DIE XIV. APRIL. MDCCLXVIII.

Quinquennalia Imperii quintum ſaluus, ſoſpes et felix celebrauit Sereniſſimus Stator noſter, Carolus Theodorus, Auguſtus Palatinus Rheni, Auditores omnium Ordinum et dignitatum ſuis quisque condecorati elogiis.

Quanto cum apparatu Auguſtalia ſua Sacra vetus Roma peregit, poſtquam regiminis ſui molem per quinquennia diſtribuiſſet Cæſar Auguſtus, quinto quoque anno deponens reſumensque imperium.

Quinquennales hinc per prouincias et urbes dominationis Romanæ agones et ludi; ambitioſæ ceremoniæ. Palatinorum Rhenenſium minor eſt ambitio et ſplendor, ſed maior in Principem animorum propenſio, effuſio cordium, ſincerior affectus.

Hilaria hæc publica ex Parnaſſo ſuo Palatinæ Muſæ nuper exultantes viderunt; præſertim Academia, Auguſti Inſtitutoris ſui primogenita, et ipſa quinquennalis iam filia, quæ ſolennibus Votis et ſua tum iunxit; in ſplendida hac Auditorum corona, me interprete, nunc eadem repetit; fida rerum geſtarum obſeruatrix et cuſtos.

Annalibus Rheno - Palatinis aureo ea inſcribit colore: Carolus Theodorus, vigeſimo quinto regiminis ſui anno, virtutis, per quin-

quennia quinque toga et ſago conſtanter exercitæ, remunerator, defenſor.

Teſſera Ordinis eſt Palatinus Leo, annis deſtinatus et meritis, Hubertino trecentorum annorum fratri nunc vinculo iunctus; iunctus et Eliſabetano, Palatina Auguſta, Patriæ Mater, quem nuper inſtituit.

Felix Palatium, in quo Phœbus et Phœbe, cnm Muſis et Gratiis, conſtante concordia et amicitia vivunt; Socii et Sociæ, Rectore et Rectrice ſuperbientes communi.

A ſuperiore hoc Rheno ad inferiorem quum oculos conuerto, Auditores, Cæſaris Verda, Colonienſis nuper, nunc Palatina ciuitas, nouum Auguſto noſtro gratulandi argumentum occurrit.

Vetus hoc Imperii, dein Iuliacæ Domus Patrimonium, ab ea diſtractum, quadringentos poſt omnes ad ſuum tandem Dominum redit, atque noua ab eo felicitatis expectat præſidia. Cæſarisuerda e longinquo ſororem ſuam Manhemium veneratur et dominam. Rhenus Palatinus, in ſinu ſuo gaudens, Palatinæ Domui in ripis ſuis inſignia potentiæ gratulatur augmenta, quæ in Theodorianis Annalibus et in Hiſtoria Palatina nouam epocham condunt.

Futura Theodoriani imperii Quinquennia ſingulas Indulgentiſſimi Principis vitæ periodos nouis beneficentiæ documentis, Germania Galliaque vicina gratulantibus, per longam annorum ſeriem ſignabunt.

ALLO-

ALLOQUIA.

UNIVERSITATIS STUDIORUM ARGENTORATENSIS NOMINE ALLOQUIUM AD STANISLAUM I.

POLONIÆ REGEM DIE IV. JUL. MDCCXXV. QUO APPULIT ARGENTORATUM.

Auſpicatus Tuus ad Urbem Argentinam adventus Procerum Europæ oculos in eam convertit, Regis Chriſtianiſſimi futurus Socer. Filiam Tuam a Muſis et Gratiis educatam publicæ felicitatis Palladium, in Galliam adducis; Rex, Regno non uno, ſed pluribus dignus. Miſicones illos, Caſimiros, Iagellones, Sigismundos, Poloniæ Salomones, ore, mente ac moribus refers; Principis Sapientiæ ſine labe exemplar, cuius memoriam Academia noſtra conſecrabit ad poſteros.

AD

AD FILIAM STANISLAI, FUTURAM FRANCIAE REGINAM, ARGENTORATI

DIE EODEM.

Madame!

L'Univerſité de cette Ville eſt la premiere de celles de toute la France, qui a le bonheur de rendre ſes hommages à Votre Alteſſe Roiale, comme future Reine de France; Reine auſſi grande par ſes vertus, que le Royaume l'eſt par ſa puiſſance.

Nous ne ceſſerons iamais de faire des voeux pour la haute et ſublime alliance, qui va s'accomplir et qui accomplira les deſirs ardens de tout le Royaume, qui par Vous, Madame, et par Votre exemple deviendra heureux.

AD ANTINUM DUCEM, LEGATUM LUDOVICI XV. EXTRAORDINARIUM AD CERIMONIAS NUPTIARUM. DIE XXXI. JUL. MDCCXXV.

Les Deputés de l'Univerſité de Strasbourg ſe preſentent à Votre Excellence, pour Lui temoigner leurs trés reſpectueux hommages. Nous reſpectons en Elle le ſublime caractere, dont le plus grand Monarque L' a revetu pour l'Auguſte Ceremonie, qui intereſſe toute la France et ſes Alliés.

Le grand titre de Protecteur des Arts et des Belles Lettres, que Vous reuniſſéz, Monſeigneur, dans votre perſonne, Vous rend reſpectable à tout le monde.

Vous ne trouverez nulle part plus d'admiration, plus de reſpect, que dans l'Univerſité de Strasbourg.

AD AURELIANENSEM DUCEM, QUI REPRÆSENTAVIT REGEM DIE NUPTIARUM. XII. AUG. MDCCXXV.

L'Arrivée de Votre Alteſſe Royale en cette Ville engage l'Univerſité, à Lui preſenter ſes trés reſpectueux hommages; à un Prince, qui reunit dans ſa perſonne tout ce que le ſang de Bourbon a de plus eclatant par deſſus toutes les familles Roiales de l'Europe.

C'eſt dans l'Auguſte Maiſon d'Orleans, que les Muſes ont toujours trouvé une puiſſante protection. Elles en rendront compte à la poſterité, et nous, Monſeigneur, toujours attentifs aux actions glorieuſes de notre Monarque, n'oublierons jamais celles d'un Heros, que le ſang et le merite approchent à la plus brillante de toutes les Couronnes.

AD

AD STANISLAUM I. DIE NUPTIARUM FILIÆ EJUS CUM LUDOVICO XV. ARGENTORATI XV. AUGUST. MDCCXXV.

Inter publicos gratulantis Tibi Europæ applauſus, Auguſtiſſime Rex, ad ſolium Tuum quoque accedit Literata Argentoratenſium Univerſitas, Tibi Literatiſſimo Principi animo ac mente devota. Celebratæ ſunt hodie Regales Nuptiæ. Maria Lescinskia, quam unicam Tibi Filiam cœlum reliquit, in Francico Borboniorum ſolio ſublimis iam ſedet Gallica Iuno, et cum Illa virtutum Paternarum maieſtas in eodem refulget.

Ex iuncto hoc Borbonio et Polonico ſanguine heroica prodibit progenies, duratura æternum; quæ Tibi ſimillima, Galliam imperio, Orbem gubernabit exemplo.

AD NOVAM REGINAM FRANCIAE
DIE NUPTIARUM ARGENTORATI
XV. AUG. MDCCXXV.

Madame!

L'Univerſité de Strasbourg ſe jette au pied du trone de Votre Majeſté, pour réunir ſes voeux à ceux de toute la France ſur le grand evenement de ce jour.

Notre Monarque partage avec Vous, Madame, la plûs brillante couronne de l'Univers. Les Muſes animées par l'etalage de Vos ſublimes vertus, Vous prépsrent des temples et des autels.

Par Votre fecondité le ſang des Bourbons s'alliera avec les Grandes Maiſons de l'Europe. Votre ſiècle ſurpaſſera celui de Louis le Grand.

AD REGINAM FRANCIAE
QUUM DISCEDERET ARGENTINA
DIE XVII. AUG. MDCCXXV.

Madame!

Vous batés à occuper le trone, qui Vous attend et qui deviendra plus brillant par le luſtre, que Vous allez lui donner.

Nous ſuivrons Votre Majeſté, en admirant toujours Vos eminentes Vertus;

Heureux ſi nous pouvons par là nous attirer la protection de la plus digne Reine des François.

AD REGINAM POLONIAE

EODEM DIE.

Madame!

Tout l'eclat, qui environne notre Monarque, reluit aujourd'huy ſur Votre Auguſte Fille, qui va occuper le trone de la France. A ſon Regne nous voions revivre les tems heureux des ſiè cles d'or. Votre gloire, Madame, et notre bonheur ſe reuniront dans la Princeſſe, dans la quelle Vos vertus ſe reuniſſent.

AD

AD EUNDEM STANISLAUM

DIE QUO ARGENTINA DISCESSIT.

Diſcedis Argentorato, Clementiſſime Regum, ſed non diſcedit a Te Argentoratus Literata; magnanimitatis Tuæ admiratrix pia, conſtans, fidelis.

Ad extremum Te Septentrionem ſequemur, ſi patriam Tibi Tuam aliquando redditurus eſt ordo fatorum.

Quæcunque pars orbis Te Rectorem accipiet, vivet felix, literata, tranquilla, Te cuſtode ſecura.

AD

AD PRINCIPES HASSO-DARMSTADIENSES, ARGENTORATI
STUDIORUM CAUSSA QUUM VERSARENTUR, GRATULATIO
SUB AUSPICIIS A. MDCCXXXVIII.

Meſſeigneurs!

Recevés les hommages et les voeux auſſi ardens que ſinceres de nos Muſes, qui honorent autant Vos Vertus, que Votre ſublime Naiſſance. Nous marquerons de ces Sentimens toutes les années de Votre Vie, et nous en chargerons nos Annales.

Quelle gloire pour notre Univerſité d'avoir formé l'eſprit et le coeur de trois Princes, qui feront l'ornement et les delices d'une des plus reſpectables Maiſons de l'Europe et qui ſe feront reſpecter par toute la Poſterité.

AD

AD PRINCIPEM SABAUDICAM ANNAM THERESIAM,

QVVM PRINCIPI ROHANAEO-SOVBIZIO NVBERET

A. MDCCXLI.

Madame,

La haute alliance, que Votre Alteſſe Sérêniſſime vient de contracter, nous promet une ſuite de Heros, qui egaleront les Victors, les Emanuels et les Amadées de Savoye.

Ils joindront à l'heroisme Votre grandeur d'ame, Madame.

Vos graces et Vos brillantes vertus ſerviront aux Princeſſes d'exemple et de modele.

AD PRINCIPEM ROHANAEO-SOVBIZIVM DE VENTADOVR, EPISCOPATVS ARGENTINENSIS COADIVTOREM, QVVM EPISCOPVS IN PARTIBVS INFIDELIVM CONSTITVERETVR.

DIE IV. NOV. A. MDCCXLII.

Monſeigneur,

L'Univerſité, qui ne perd jamais de vue Vos grands evenemens, Vous voit aujourd'hui decoré de la Croſſe et de la Mitre, et Vous en fait ſes trés reſpectueux complimens.

Vous vous hâtés, Monſeigneur, à parvenir à la gloire du grand Prince, qui Vous deſtine au trone de ſon Egliſe. Vous ſuivés ſes traces; Vous imités ſes Vertus.

Puiſſiés Vous le ſurpaſſer et monter aux plus hauts degrés de toutes les dignités de l'Egliſe Chrêtienne.

AD

AD LVDOVICVM XV. QVVM E BELGIO ARGENTORATVM VENISSET, OBSESSVRVS FRIBVRGVM. DIE VI. OCT. MDCCXLIV.

Sire,

La plus fidele des Univerſités de Votre Royaume offre à Votre Majeſté ſes Hommages et ſes Voeux.

Penetrée de joye de la Convalescence et de l'arrivée de ſon Auguſte Monarque, elle confond aujourd'huy en Vous, Sire, le Pere du Peuple et le Protecteur des Muſes avec le Liberateur de l'Alſace et avec le Heros.

C'eſt à ces Eloges de Vos rares Vertus, Grand Roy, que nous conſacrons nos travaux. Heureux, ſi nos expreſſions pouvoient répondre à l'effuſion de nos coeurs et meriter la continuation des Graces du plus Puiſſant, du plus Gracieux et du plus Cheri des Souverains de l'Europe.

AD SERENISSIMAM LANDGRAVIAM HASSIAE VICTORIAM CHRISTINAM, QVVM NVBERET ROHANAEO PRINCIPI SOVBIZIO CAROLO.

MENSE DECEMBRI. A. MDCCXLV.

L'Univerſité de Strasbourg, accoutumée à recevoir des Graces de la Séréniſſime Maiſon de Heſſe, joint ſes applaudiſſemens à ceux du Public ſur l'alliance, que V. A. S. vient de contracter.

Si nos voeux ſeront exaucés, Madame, Vous donnerez une nombreuſe poſterité à la grande Maiſon de Rohan, qui reunira les hautes vertus de l'une et de l'autre; qui brillera dans l'Egliſe et dans l'Etat; qui ſera les delices de la France et l'admiration de l'Europe.

AD DELPHINAM FRANCIAE MARIAM IOSEPHAM CVM E SAXONIA TRANSIRET IN GALLIAM ATQVE ARGENTORATVM ADIRET. DIE XXVIII. IAN. MDCCXLVII.

Madame!

La Saxe, toujours fertile en Heros, eſt la Patrie commune de Vos Ancêtres et de nos Rois Capets.

Vous paſsés en France, Madame, pour y perpetuer cet Auguſte Sang et pour participer à l'eclat, qui l'environne depuis prés de mille ans.

Cherie de la Providence, elevée par un des plus reſpectables Monarques de l'Europe, conduite par les Vertus et les Graces, c'eſt Vous, que le Ciel deſtine à être la ſource de la felicité des peuples, Femme et Mere des DAUPHINS.

L'Univerſité animée par la confiance en Vôtre puiſſante Protection, qu'elle Vous demande, Madame, Vous preſente tout ce que le zêle le plus ardent et le plus profond reſpect lui peuvent inſpirer.

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM AMANDVM GASTONEM ROHANIVM, ARGENTINENSEM EPISCOPVM,

MENSE SEPTEMBRI A. MDCCXLVII.

Quotiescunque ad Urbem hanc noſtram adventas, Eminentiſſime Eccleſiæ Princeps, omnis ſexus et ætas in occurſum Tuum feſtinat. Quum Urbem intras, non modo Clerus Tuus, ſed et omnes civium ac literatorum ordines lætantur, exultant; Te præſente geſtientes et læti. Tanta eſt oris Tui majeſtas et gratia, ut ſummi et infimi in Te amando conſpirent; Roma et Gallia in Te ornando æmulentur.

Omnium Purpuratorum Collegii Tui princeps, apud omnes nationes gratioſus, oraculum Galliæ, omnium in Te mentes atque ora convertis; dignus Eccleſiæ Tuæ qui æternus interſis.

Vovet hæc Academia noſtra, non uno benignitatis Tuæ documento Tibi pridem devincta. Magnanimitas Tua non modo in eos, qui Tuis ſacris addicti, ſed et in eos ſe extendit, qui ſunt ſacris ſeparati.

AD

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM CARDINALEM ROHANAEO-SOVBIZIVM ARGENT. EPISCOPVM

DIE XV. MAJI MDCCL.

Les grandes Vertus de feu Votre Grand Oncle transmiſes à Vous, Monſeigneur, ſont d'heureux préſages, que Votre Alteſſe Eminentiſſime voudra auſſi continuer les mêmes graces et bontés à l'Univerſité Proteſtante de Strasbourg, quoique ſeparée de Vous.

AD

AD LUDOVICUM XV. COMPENDII QUUM ALSATIAM ILLUSTRATAM EI SCHOEPFLINUS OFFERRET JULIO MENSE A. MDCCLI.

Sire!

J'offre à Votre Majeſté l'Hiſtoire de Votre Province d'Alſace, qui Vous adore.

Vos Ancêtres y ont ſouvent triomphés ſur les ennemis de la France. Vous, Sire, Vous y triomphés ſur les coeurs.

Notre Rhin ne cede rien à Votre Seine. Il dreſſe partout des Autels et des Monumens d'Amour à LOUIS LE BIEN AIME'.

AD

AD CARDINALEM EPISCOPUM, PRINCIPEM ROHANAEO-SOUBIZIUM ARGENT.

A. MDCCLII.

L'Univerſité Proteſtante réitere toujours avec joye ſes hommages à Votre Alteſſe Eminentiſſime, lorsqu' elle La voit arriver en cette Ville.

Nous reconnoiſſons en Vous, Monſeigneur, le ſang des Robans, allié aux anciens Souverains de Bretagne et de Navarre, qui ont toujours protegé les Sçiences et les Arts.

La barriere, qui nous ſepare de Vos ouailles, Monſeigneur, nous réunit pourtant à tous ceux, qui reſpectent l'eclat de Votre pourpre et admirent Vos ſublimes vertus.

AD MARCHIONEM HOSPITALIUM, QUUM LEGATUS AD IMPERATRICEM RUSSORUM EX RUSSIA REDIRET IN GALLIAM.

A. MDCCLX.

Monſeigneur!

Le nom de l'Hopital eſt ſi cher et ſi précieux à la France et à toute la Republique des Lettres, que nous voyons avec admiration le nouvel eclat, que Votre Excellence y ajoute, par ſes brillantes Ambaſſades dans l'Europe Auſtrale et Septentrionale. Ces Ambaſſades, Monſeigneur, nous préſentent un modele d'Ambaſſade difficile à imiter; Ou trouver tant de Vertus reunies dans une perſonne publique? La Souveraine de Ruſſie Vous à rendu juſtice; Vous l'avés rendue amie de la France.

AD

AD REGEM DANIAE
QUUM LUTETIA IN REGNUM SUUM REDIENS
ARGENTORATUM INVISERET.
DIE XVII. DECEMBRIS. MDCCLXVIII. *)

Sire,

Vous préparez une brillante Epoque d'un Regne glorieux, qui rendra Vos Peuples heureux.

Nous nous préparons à l'admirer et à joindre les Eloges de Chrétien VII. à ceux de Louis XV. votre Allié et votre Ami.

---

*) Schœpflini, ex Belgico ſecundo intra biennium itinere vix reducis, valetudo impedivit eum, ne Regem adiret. Bernsdorffius Adminiſter Regis, Schœpflinum inviſens, Alloquium hoc obtulit Regi.

AD MARCHIONEM DE MIREPOIX, QUUM LUDOVICI XV. LEGATUS PROFICISCERETUR VINDOBONAM.

MENSE DEC. MDCCXXXVII. *)

Monſeigneur,

Les Souverains ont leurs yeux fixés ſur Vous. Vous allés conſommer l'Ouvrage d'une Paix perpetuelle entre les Maiſons de France et d'Autriche, brouillées depuis pluſieurs Siécles. Cette importante Revolution annonce une grande tranquillité à l'Europe. Le Rhin, qui à ſervi jusqu'ici de rempart aux deux Empires, va les reunir à jamais. L'Alſace ſera le lien ſacré de cette heureuſe Union.

*) Hoc cum ſequenti Alloquio, quod utrumque ſerius ad me transmiſſum fuit, poſt reliqua colloco, non ſervato, qui ſervari debuerat ubique, annorum ordine.

AD MARCHIONEM DE MIREPOIX QUUM LEGATUS LUTETIA VINDOBONAM REDIRET.

A. MDCCXXXIX.

Monſeigneur!

Recevés les Complimens reſpectueux ſur la recompenſe éclatante, que Vous venés de recevoir du Grand Roy, dont Vous repréſentés la perſonne. Vous retournés à la Cour de Vienne, où Vous faites les delices du Souverain et l'admiration de la Cour.

J'en fus temoin, Monſeigneur; l'Univerſité, des ſentimens de la quelle je ſuis l'interprète, oſe ſe flatter de la continuation des bonnes graces d'un protecteur auſſi eclairé et auſſi ami des lettres.

PROGRAMMATA FUNEBRIA.

IN FUNERE M. IO. IACOBI MOSCHEROSCHII, PASTORIS ECCLESIAE PALAEO-PETRINAE. A. MDCCXXXVI.

Qui præda mortis nuper eſſe videbar ipſe, iam octogenarii Senis vobis mortem annuntio, *Academiæ Cives*. Eius exuvias hodie in polyandrio, ſolitis Chriſtianorum ceremoniis, reponemus. Obiit nudius tertius M. Io. Iacobus Moscherosch, Palæo-Petrinæ Proteſtantium Eccleſiæ Paſtor egregius, qui ante ſenectutem curavit, ut bene viveret, in ſenectute autem, ut bene moreretur; Baſſi, grandævi illius ſenis, ſententiæ memor, mortem non magis timendam eſſe rati, quam ipſam ſenectam, cum hæc adoleſcentiam, mors vero ſenectutem neceſſaria ſequatur. Sepeliemus eum ſine ambitioſa lamentatione aut planctu, ut veteres olim Maſſilienſes ſuos mortuos ſepeliebant. Quid attinet enim aut humano dolori indulgere, aut Numini invidiam fieri, quod immortalitatem ſuam nobiscum partiri noluerit? Meretur autem Viri tam probi, tamque chriſtianis moribus imbuti Vita, ut ea, omiſſis verborum lenociniis, ſimplici narratione, qualem eius in agendo candor poſtulat, tradatur memoriæ; id quod brevi et expedito iam penicillo ſumus facturi. Argentorati Moſcheroſchius noſter, Anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſeptimo,

natus

natus eſt, Patre *Io. Chriſtophoro*, profeſſione Chirurgo, publica deinceps auctoritate Iurato, Matre *Maria Kærcheria*; quorum ille Anno huius ſeculi ſexto nonagenarius, hæc vero ſuperioris Anno nonageſimo octavo, ſeptuaginta ſeptem annos nata, haud immatura ſane morte defuncti ſunt; filio ſeram pariter provectamque præſagientes ætatem. Quatriduo poſt nativitatem, in ipſa Argentoratenſium Baſilica ſacris Chriſtianorum initiatus, a primis ſtatim infantiæ ſuæ incunabulis piam parentum ſuorum in educando operam expertus eſt; a quibus, procedente ætate, Scholæ primum Nicolaitanæ et novennis denique puer publico noſtro Literario Ludo, felicibus auſpiciis, traditus eſt, Samuele Schalleſio Gymnaſii Antiſtite. Ephebos tandem egreſſus eo ipſo, quo Romani ſæpe togam virilem ſumere conſueverant, octavo nimirum decimo ætatis anno, ad Publicas Academiæ Lectiones ex Trivio promotus eſt; a quo tempore uti cœpit contubernio condiſcipuli ſui, *Samuelis Silberradii*, quem primarium Proteſtantium Argentinæ Templum per plures dein annos fidiſſimum Paſtorem conſpexit, Ab huius enim Patre, eiusdem Eccleſiæ Diacono, in commune cum filio conſortium ſuſceptus, amicitiam, quam quinquennii illius tempore, quo in contubernio hoc vixit, adoleſcens cum adoleſcente contraxerat, ad Silberradii, alterius quaſi Pyladæ ſui, mortem ſancte conſtanterque ſervavit illibatam. In ſtadio Literario cum verſaretur Moſcheroſchius nullum profecto diligentis Muſarum filii officium neglexit, ſed publicos artium et ſcientiarum Profeſſores publi-

publice privatimque docentes frequens ſedulusque audivit, atque diverſa diverſi generis exercitamenta apud eosdem inſtituendo effecit, ut Encyclopædiam quandam ſub egregiis ſibi Ducibus mature pararet. In Eloquentia et Hiſtoricis enim Samuelem Schalleſium, Chriſtophorum Artopœum et Ulricum Obrechtum; in Græcis Ioachimum Kühnium; in Logicis et Metaphyſicis Ioan. Fauſtium; in Mathematicis Iulium Reicheltum; in Moralibus Ioach. Zentgravium; in Phyſicis Rudolphum Salzmannum ſolidos fidosque Doctores expertus eſt, eo ſane cum ſucceſſu, ut profectuum ſuorum publice redditurus rationem, philoſophicam *de Tempore* Diſſertationem conſcriberet, eandemque, Anno ſuperioris ſeculi poſt ſeptuageſimum ſeptimo, ſub Ioannis Fauſtii moderamine propugnaret, ac privato tandem publicoque examinibus probatus, dignus cenſeretur, quem paulo poſt ſapientiſſimus Philoſophorum Ordo Doctoratus mitra condecoraret. Tam felicibus munitus præſidiis ad ſacræ tandem Sophiæ limina progrediendum ſibi ratus eſt profanæ ſapientiæ ſacris tam probe initiatus Adoleſcens. Ad hoc enim ſtudium a teneris occulto quodam ſtimulo amoreque ferebatur, omnia, quæ vel natura ei obieciſſe videbatur, improbo labore ſuperaturus obſtacula. Spretis ergo, unanimibus licet, amicorum conſiliis, ſolo Numinis ſtipatus auxilio, Chriſtianæ Eccleſiæ Miniſterio totum ſe conſecrare ſancte conſtanterque decrevit. Et in hac ſane palæſtra tum domi, tum in exterorum oris, haud minus fidos atque inſignes, quam in Philoſophicis olim, expertus eſt agono-

agonothetas et magiſtros. Inſtitutiones Theologicas, Concordiæ Formulam et Eccleſiæ XVti atque XVIti Seculorum Hiſtoriam eo auditore Argentorati tum docuit Balthaſar Bebelius; Controverſias atque Decalogum Iſaacus Fauſtius. Sebaſtianum Schmidium vero, multis publicis cum negotiis diſtrictum, non potuit audire privatim docentem. Enimvero ad alias quoque Germaniæ Academias uti ſeſe conferret, rebus ſuis haud parum proficuum fore reputaverat. Ad tempus ergo Patriæ valedicturus duobus ante menſibus publicam ad Nicolaitanos concionem recitavit, cum prius iam, Bebelio viam monſtrante, Homilias privatim declamaſſet, atque in ſuperiore Hausberga primum Declamationis ſacræ ſpecimen in ſolenni plebis edidiſſet conventu.

Octogeſimus Seculi ſeptimi decimi Annus fuit, cum pius noſter ſacræ militiæ domi per ſeſquiannum athleta migraret ad exteros. Appulit Gieſſam Haſſorum, a Conſultiſſimo Dornio, Archi-Sculteto et Sereniſſimo Haſſiæ ex Darmſtattinorum Familia Landgravio a conſiliis, humaniſſime exceptus hoſpitio. In celebri hac muſarum ſede clariſſimis eius temporis Doctoribus ſedulus auditor adhæſit. Hanneckenium Controverſias Religionis et Menzerianam Exegeſin, Rudrauffium Diſtinctiones Theologicas, Clodium Hebraica et Syriaca explicantes audivit; in Homiletica quoque arte, ut et publice privatimque diſputando ſeſe diligenter exercens. Poſt hæc Saxonicas

Academias, Lipſienſem præſertim atque Vitembergenſem petere in animum induxerat; ab amicis ſuis Bernhardo Wagnero et Samuele Silberradio, qui in illis partibus verſabantur et in quorum conſortio vivere illi iucundiſſimum erat, quam maxume invitatus. Verum hoc ut mutaret conſilium, et peſtifera lues, illis temporibus Saxoniæ infeſta, et Parentum in patriam eum revocantium iuſſa fecerunt. Antequam Gieſſæ valediceret, Theologicam *de Principio Credendorum* Diſſertationem conſcripſit, eamque Hanneckenio dirigente defendit. Relicta mox Gieſſa viſisque in tranſitu Marpurgo, Hannovia, Magontiaco, Schwalbaco, Francofordia, Wisbada, Heidelberga, Frankendalia, Wormatia et Spira, collecta apud exteros ſpolia reportavit ad ſuos, atque omnis generis exercitia ſacra, quibus futurus Eccleſiæ Miniſter rite præparandus eſt, continuavit in Patria. Cumque initio fere anni, qui reditum eius excepit, Altenheimii trans Rhenum ſacra paſtoris defuncti loco procurare cœpiſſet, factum eſt, ut Sereniſſimus Bada-Durlacenſium Marchio, civium ſatisfacturus petito, ordinarii ibidem Paſtoris munus eidem offerret; quod ne acciperet Moſcheroſchius, variis tum rationibus impeditus videbatur, cui in patrio iam ſolo proſpexerat providentia divina. Theologicum Ille heic examen ſubiit A. MDCLXXXIII. et a Sebaſtiano Schmidio ad ſacra Doctoris Chriſtiani munera initiatus, Hausbergæ ſuperioris gregi mox datus eſt Paſtor; triennio poſt ad Barrenſem vocandus Eccleſiam, cum interea temporis eiusdem Schmidii hoſpitio gratus utere-

uteretur. Barram acceſſit A. MDCLXXXVI. ibique ſacro muneri magna dexteritate fideque per tria fere luſtra præfuit, anno denique MDCC. ad Templi Palæo-Petrini apud Argentinenſes Diaconatum promotus. Quem per tota quatuor luſtra cum biennio pius et fidus exercuit, donec ei Parochianorum ſuffragiis ordinarii in eadem Eccleſia Paſtoris munus, Anno huius ſeculi vigeſimo ſecundo, committeretur; quod Ille, ingraveſcente licet ſenio, mira vigilantia et zelo ad vitæ finem usque geſſit conſtanterque exercuit; Viſitatoris etiam utriusque Collegii, Divorum nempe Guilielmi et Marci officio interea quoque non ſemel perfunctus.

Cœlibatum colere rebus ſuis haud proficuum fore ratus eſt Moſcheroſchius noſter. Ad matrimonium ergo progreſſus A. MDCLXXXVI. contraxit ſponſalia cum lectiſſima Virgine *Suſanna Maria*, *Samuelis Silberradii*, Palæo-Petrinæ Eccleſiæ tum Paſtoris fidiſſimi filia; in cuius dulci et iucundo connubio, octo, et quod excurrit, luſtra tranſegit, duobus Filiis totidemque Filiabus ex eadem ſuſceptis. Inter hos Filios, Filias, Generos dein, Nurus, Nepotes, Neptes atque Proneptim amorem ſuum partitus eſt Venerabilis Senex, omnium ſane deliciarum ignarus, niſi quas ex proſpero Eccleſiæ Familiæque ſuæ ſtatu ſubinde hauſiſſet. Neque profecto fuerat, quo cum fortuna quereretur, quæ Filium, Maritum, Patrem, Socerum Avumque præ multis aliis eum felicem reddiderat. Uſus quoque eſt per totum

fere vitæ ſuæ tempus valetudine ſatis proſpera; paucis morborum, ſi podagricos quosdam excipias, inſultibus obnoxius, quos ille ſingulari temperantia victus arcuerat. Verus eius morbus erat ipſa ſenectus, cuius privilegio Ille frui noluit, nec a concionibus nec ab aliis laboribus ſacris abſtinens. Quicquid ei reliquum erat virium, id omne Deo proximoque ad mortem usque conſecrare decrevit; gloriam ſuam laborum præteritorum ſtipendiis unice metitus. Itaque licet ante hos tres quatuorve menſes catarrho premeretur, remediorum tamen uſu aliquantum levatus ad ſuggeſtum rediit, quem XII. Kal. Novembres nuper ultima tandem vice conſcendit. Ab hoc tempore vitæ ſuæ fini præludere viſus eſt. Augebantur quotidie dyſpnœa anheloſa; virium imbecillitas, pedum tumores, catarrhus, inſomnia, aliaque ſenectutis provectæ mala. Fruſtra diureticis, abſorbentibus, diluentibus, diaphoreticis, humectantibus, roborantibusque remediis Medicus tot hoſtibus occurrere conabatur; ſuccubuit denique ætate et laboribus extenuatum corpuſculum, animamque præterito die Veneris, hora poſt noctem concubiam prima, placide et ſine prævio mortis angore efflavit, quum in hac vita totos ſeptuaginta novem annos cum ſeptem dimidioque menſibus pius tranſegiſſet. Quidni cum Cicerone heic exclamen: Proh Deum immortalem! quam illud iter iucundum eſſe debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura eſt. Cur fugienda nobis eſſet mors, quam certa immortalitas ſequitur. Nemo eſt, qui non gaudeat, ubi longa emenſus

maris

maris ſpatia, ſyrtes atque pericula, terræ appulerit. Appuliſti et Tu ad æternitatis portum, Beatiſſima Anima, et frueris iam puriore illa aura, quam piorum Manibus aſſignavit miſericordia divina. Fruere illa æternum, æternumque Vale. Veſtrum eſt, Academici Cives, Optimi Viri funus frequenti comitatu honeſtare, atque adeo poſt mortem quoque virtutes eius grata recordatione venerari. Invito Vos veteri formula: Moſcheroſchio exequias quibus eſt commodum ire, iam tempus eſt, ollus hodie efferetur, hora a meridie prima, ex Tribu Cerdonum ad Templum D. Petri, ut vocatur vulgo, Senioris, atque inde ad D. Helenæ Cœmeterium.

PP. Argentorati V. Eidus Decembres A. MDCCXXXVI.

IN FUNERE M. IOANNIS SCHMIDII, PASTORIS MUNICIPII BARRENSIS.

A. MDCCXXXVI.

Finis huius anni Eccleſiis noſtratibus fatalis eſt, *Academiæ Cives.* Una eademque nox abſtulit duos ſacerdotes, indole, fatis et annorum progreſſu impares, vitæ puritate et innocentia pares. Alterum annis meritisque onuſtum in ſera ætatis hyeme mors expectata Argentinæ oppreſſit; alterum in florida et decora iuventutis æſtate in Barrenſi Municipio inexpectata ſubegit. Obiit ibidem octavo Eidus Decembres M. Ioannes Schmidius, Proteſtantium eiusdem municipii cœtus meritiſſimus Paſtor. Acerbum profecto et lacrymabile funus! Virum Eccleſiæ ſuæ, Familiæ, Liberis et amicis cariſſimum, vita et moribus ſemper amabilem, tam præcoci fato rebus humanis ereptum, quis non ex animo triſtis lugeret? Ultimum antiſtiti ſuo nuper *Vale* dixit mœſtiſſimus Barrenſium populus, nunc eximio quoque Civi ſuo ex merito iuſta perſolvet Argentoratenſis Academia; nulla re ſuam in mortuum pietatem ſe magis oſtenſuram arbitrata, quam ſi vitam eius cum laude transactam, ſeræ poſteritatis conſecraret memoriæ, atque adeo virtutum eius imaginem, quantum in ea eſt, ſervaret æternam.

Seculum eſt, ex quo præclarum Schmidianæ Gentis ſatorem e Luſatia felicibus auſpiciis ad Alſatiæ oras appuliſſe reperimus.

Magna

Magna eſt huius proſapiæ gloria, quod illud ſacræ eloquentiæ decus, Ioannem Schmidium, quem Argentoratenſis Eccleſiæ *Chryſoſtomum* diceres, primum in his partibus veneratur auctorem. Sacerdotalis ex eo familia temporis ſucceſſu promanavit, quando filius eius, nepos proneposque, omnes ſacerdotio adſcripti, haud levem virtutis, induſtriæ et pietatis famam ad poſteros retulerunt. Pronepos nimirum eius fuit SCHMIDIUS noſter, Eckbolzhemii natus, Anno ſuperioris Seculi nonageſimo; Patre M. *Io. Adamo Schmidio*, Eckbolzhemiano Paſtore primum, atque in Prædicatorum deinceps Æde Diacono.

Quinquennis puer, cum in prima iam ætate haud leves ex eo emicuiſſent igniculi, communi patriæ Gymnaſio traditus eſt, tam felici in literis moribusque ſucceſſu, ut ſolennia diligentiæ præmia quum ſexies retuliſſet, inter commilitones denique anteſignanus et orator ad publicas Profeſſorum Lectiones admoveretur. Academicam indutus togam in lubrica ætate, deſidiæ et luxui nimium quantum obnoxia, ardenti literarum et virtutis amore accenſus eſt ingenuus adoleſcens, Deum labore dona ſua mortalibus vendere haud ſero edoctus. Itaque pertinaci ſtudio, ſacro quaſi voto, obligatus ad interiora Scientiarum Artiumque penetralia mature ſibi feſtinandum eſſe reputavit. Heic vero Moderatores atque Navarchos præclaros ſtudiorum nactus eſt, inſignes noſtratis Academiæ Viros, Kuhnium, Reicheltum, Bartenſteinium, Bœclerum, Silberradium, omnes

iam

iam e vivis egreſſos, quos Latina, Hiſtoriam, Mathemata, Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Morum, Iuris Naturæ Gentiumque doctrinam privatim publiceque tradentes tam frequens et ſedulus, tam erectus audivit, ut erudita tandem ſub Celeberrimi Lederlini, cuius Græcis quoque et Hebraicis Lectionibus lætus intererat, moderamine ſcripta propugnataque *De* Νηϛείᾳ Diatriba, in ſolenni Eruditorum conſeſſu et privatis examinibus abunde probatus, ſplendida Philoſophiæ Doctoris tiara inter ſeptem Candidatos ornaretur ſecundus; cum vix duodevigeſimum ætatis annum expleſſet. A Philoſophiæ penetralibus redux ad ſublimia Sacræ Sapientiæ limina absque mora ſibi pergendum eſſe ratus eſt Schmidius noſter, ſingulari ad rimanda oraculorum divinorum arcana a teneris inflammatus ardore; cumque in ſanctuarium hoc non impuris manibus audax irruiſſet, ſed excuſſis prius in Heliconis fonte ignorantiæ maculis, linguarum artiumque diſciplinis probe initiatus ingreſſus eſſet, mirum non eſt, quod piis conatibus eius cœleſtis ex alto adſpiravit benignitas. Invenit in Academia quoque patria Myſtas inſignes ſtrenuosque Doctores, Wagnerum, Pfeffingerum, Brechtium Barthiumque, quorum memoriam hodieque veneramur; apud quos Inſtitutiones Theologicas, Controverſias, Collegia Biblica, Hermeneutica, Homiletica, Lectiones item in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Librosque Symbolicos diligenter audiendo repetendoque effecit, ut per totum luſtri et quod excurrit ſpatium omnibus fere ſacris probe luſtratus, dignus omnino cenſeretur, qui

aliis

aliis divina myſteriorum arcana iam ipſe repanderet; Anno ſequenti, qui ſeculi præſentis vigeſimus primus erat, egregio Theologicæ eruditionis ſpecimine clarus, quo celebrem illam de *Lapſis recipiendis* controverſiam, olim in Eccleſia motam, dilucidavit, examinavit atque in ſolenni diſputantium conflictu ſuam de ea ſententiam, ſub Wagneri præſidio, maſcule docteque defendit. Gratulata eſt ſibi de erudito et amabili ſuo Cive Argentoratenſis Academia, gloriæ doctrinæque eius proficuum fore exiſtimans, ſi ad alia quoque orbis Literati evolaret Lycea. Evolavit ipſo Anni memorati vere Schmidius, a Mæcenatibus et Literarum in hac Urbe Patronis ad impenſas itineris ſuſtinendas egregie adiutus, rectoque per Francofurtum, Fuldam, Gotham, Erfurtum, Vinariam itinere ad Ienenſem Saxoniæ Academiam feſtinavit, ut illuſtrem illum Eccleſiæ Proteſtantium Doctorem Buddeum, ex cathedra docentem, præſens audiret, a cuius Fœrtſchiique, qui ambo ad plures iam abierunt, ore per integrum fere anni ſpatium pendere deinceps viſus eſt. Interfuit Lectionibus eorum Theologicis, quas illi ſuper Doctrinæ Chriſtianæ Axiomata, Controverſias recentiores, ſuper Acta Apoſtolorum, Hiſtoriam Eccleſiæ et de Officiis Paſtorum inſtituerant; non neglecto interea temporis Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæque Linguarum ſtudio, in quibus præeuntem habuit Ruſſium, Orientalis Literaturæ doctorem egregium. Sub initia veris Anni vigeſimi ſecundi Ienæ valedixit Schmidius, ad Fridericianam Halenſium tranſiturus Academiam, ubi ex illuſtrium Viro-

rum Breithauptii, Antonii, Franckii et qui etiamnum in vivis eſt, Ioachimi Langii, quos adivit, colloquiis egregios fructus, in munere ſibi ſuo non parum aliquando profuturos, reportavit. Maio menſe profectus eſt Lipſiam, Halberſtadium, Brunsvicum, Hannoveram, Guelferbytum, Helmſtadium, Magdeburgum. Metallifodinas ut conſpiceret, acceſſit Freibergam; indeque Dresda, Wittenberga, Berolino, Francofurto ad Viadrum, Stettino, Stargardia, Grypswaldia, Stralſunda, Roſtochio, Hamburgo, Luneburgo, Caſſellis, Gieſſa, Marburgo, Altorffio, Noriberga, Auguſta, Ulma, Stutgardia in tranſitu ſalutatis, ſalvus ſoſpesque proſperis vialibus redux, ſub ipſum anni finem, Patriæ ſuæ reſtitutus eſt, multis doctrinæ ſpoliis condecoratus adoleſcens. Vix penates ſuos reſalutaverat Schmidius, cum ordinis ſacri Primores, de honeſtando tam egregio cive ſolliciti, in Templo Neo Petrino ad veſpertinam diei Solis Chriſtianorum concionem Oratoris munus eidem conferrent. Inde in Seminarium Sacerdotum receptus, Mundolsheimenſis et Hausbergæ Medianæ gregis creatus eſt Diaconus; ad ſacrum Eccleſiæ miniſterium a ſacri Conventus Præſide D. Wagnero, præmiſſis examinibus, tertium poſt menſem ſolenni ceremonia inauguratus. Anno vigeſimo quarto ad Inferioris Hausbergæ et ad Obenheimenſem deinceps atque Gerſtheimenſem Diaconatum promotus non rara morum ſanctimoniæ, doctrinæ et prudentiæ in diverſis illis miniſterii ſui partibus documenta reliquit; ad ipſum Paſtoris munus mox promovendus, qui

qui tam fidam aliis paſtoribus operam promptus navaverat. Quazenhemium præ aliis ſibi Schmidium expetiit Anno vigeſimo ſexto, ut ſacris præeſſet. Triennio poſt Mundolshemianæ et alteri, quæ in Mediana Hausberga colligitur, præeſſe iuſſus eſt Eccleſiæ. Ante biennium hoc denique unanimi municipum Barrenſium conſenſu, invitus licet reluctansque, vocatus omnia fidiſſimi ſacrorum Chriſtianorum antiſtitis munia apud eos tam pie, tam ardenter tantoque cum zelo executus eſt, ut magnum ſui deſiderium ibidem reliquerit, morsque eius inter publicæ calamitatis documenta ab iisdem referatur. Tot egregiis, per omne vitæ ſuæ tempus, divinæ benignitatis ſpeciminibus clarus tum profecto eam quoque præſertim expertus eſt Schmidius noſter, cum ad coniugalem ſtatum progredi haud imprudenti conſilio decreviſſet. Accepit in conſortium tori, ante hos ſeptem cum dimidio annos, Virginem, omnibus quæ ſexum ornare ſolent dotibus conſpicuam, *Grauelii*, Civis et Mercatoris florentiſſimi filiam, ex qua *Ioannem*, ſeptimæ Curiæ apud nos diſcipulum (qui utinam abavum aliquando referret!) et *Annam Eliſabetham* hodieque viventes ſuſcepit. Matrimonium hoc ob dulcem concordiam, fidem, ſanctimoniam, animorum coniunctionem mutuamque caritatem, qua coniux ſibi coniugem anteponebat, dignum profecto fuerat, ut in feliciſſimæ ſocietatis abiret exemplum. Quoties inter præcipuas felicitatis ſuæ partes reputaverat Defunctus noſter, quod malorum matrimonii fere expers præcipuum vitæ laborumque ſolatium in lectiſſima Coniuge,

ſui liberorumque amante, reperiſſet; quo maiorem reputamus, quem ex mariti morte triſtis et mœſtiſſima vidua ſentit, dolorem: hunc veterum pictorum imitatione velo tegere ſatius eſſe puto, quam levi ſtilo aut penicillo imperfecte delineare. Ita paulatim ad illud devolvor, *Academici Cives*, ad quod non niſi animo reluctante vacillanteque calamo triſtis accedo. Promiſerat vitam longævam Schmidius, corporis habitu a teneris vegetus, quem ſingulari victus et affectuum temperantia ſervavit auxitque. Abſtinendo a noxiis parceque vivendo ad ſeram ſibi ſenectutem viam parare videbatur. At aliter viſum eſt providentiæ divinæ, cuius arcana taciti ſupplicesque veneramur. Fine Novembris ſubito horrore correptus eſt; cephalalgia vix tolerabili ſuperveniente augebatur febris, quæ continuæ quotidianæ mox induit typum. Acceſſit ſomnolentia, ſopor gravis et abalienatio mentis, per intervalla recurrens; haud obſcura ſtaſeos humorum in cerebri meningibus factæ indicia. Topicis remediis fruſtra ab experitiſſimis Medicis itum eſt obviam; maiore cum vi ſubinde redire viſi ſunt paroxysmi febriles, quos ſpaſtici motus tendinumque ſubſultus frequentes comitati ſunt, adeo ut indies ingraveſcente malo, viribusque exhauſtis, quarto poſt decimum morbi die inter adſtantium fletus, lamenta et gemitus conſtans Chriſti athleta, contemptis mortis et inferorum terroribus, ſpe et heroica fiducia plenus numini, a quo acceperat, immortalem reddiderit animam; poſtquam in mortali hoc ævo totos quadraginta annos undecimque fere menſes haud infelix tranſegiſſet,

giſſet, Vir ob egregias ingenii animique dotes vita longiore omnino digniſſimus. Eluxit in vivida eius pulchraque iuventa ſenilis prudentia, cum zelo inſigni et pietate coniuncta. Eluxit in rebus agendis ſolers dexteritas ſagaxque ſolertia. Alienus erat ab omni arrogantia et invidiæ labe; publici boni, ſi quisquam, ſtudioſus. Reverentia in Proceres, humanitate in infimos, in amicos candore, in omnes amœna quadam morum dulcedine nulli ſecundus. Invicti adverſus avaritiam fuerat animi, omnes ſuos in Chriſtiana ſapientia recondens theſauros. In proſperis humilitate, in adverſis conſtantia clarus, irrita ſanctiſſimæ, quam profeſſus eſt, doctrinæ præcepta crediderat, niſi ea ipſa exprimeret ſanctimonia vitæ. Annon Viri tam amabilis mortem lugeamus dolenter? ſi modo fas eſt mortem vocare, qua eius mortalitas, non vita finita eſt. Vivit enim vivetque ſemper, atque in memoria hominum et ſermone verſabitur, quantumvis noſtris receſſit ex oculis. *Feliciter!* Tibi ergo, *Feliciterque* ingeminamus, Beatiſſima Anima, quæ eo delata es, ubi victrix curarum, victrix calamitatum, nihil dubias rerum vices, nihil inſtabilem fortunæ rotam metuens, hilare, amœnum et immortali felicitate florens iam tranſigis ævum, tranſigesque æternum. Nos inter media aliorum naufragia adhuc incerti iactamur; nos Te certi ſuo quisque ordine temporeque ſequemur. PP. Argentorati XVI. Kal. Ianuarias MDCCXXXVII.

IN FUNERE GUIL. ERNESTI SCHOELERI ARTIS MEDICAE CULTORIS.

A. MDCCXXXVII.

Illætabile officii genus contra ſpem noſtram et vota præſtamus Ingenuo et Politiſſimo Iuveni, Guilielmo Ernesto Schoelero, Artium Medicarum ſolerti et præclaro Cultori; qui ab eo tempore, quo ad noſtram hanc acceſſit Academiam, eas morum ſtudiorumque rationes inſtituerat, ut nihil in vita virtute artibusque ſibi magis colendum reputaſſe videretur. Multa ille ex Helicone noſtro ſpolia domum reportaturus erat, quæ in publica dein commoda lætus impenderet; at quantopere et opinio eius et noſtra auguratio eundem fefellit! Iacet patriæ, parentibus, amicis et muſis morte præmatura ereptus. Non illum vigor ætatis, flos iuventutis, indolis probitas, morum venuſtas, et quæ alia in adoleſcentibus amare ſolemus, a duriſſima vi leti revocare potuerunt; dignum, qui longiſſime vitam produceret ſpesque de ſe conceptas plurimas clariſſimasque repræſentaret. Intraverat Schœlerus mortale hoc ævum pridie Eidus Martias, Anno Seculi huius quarto decimo, natus Rombergæ apud Montanos: Viro Ampliſſimo, Io. Guilielmo Schœlero, Sereniſſimi Electoris Palatini in Windeckiana Satrapia Fiſcali et Advocato ordinario, ac honeſtiſſima Matrona, Anna Gertrude Sauria, claris Parentibus; qui eodem quo natus eſt die ad ſublime ſacri Chriſtianorum lavacri myſterium

rium infantem promoverunt. Prima Literarum tirocinia in ædibus paternis tenello puero privati inſtillavere magiſtri, eo quidem cum ſucceſſu, ut egregiis eius ingenii dotibus diſcendique ardore commoti Parentes ad Neoſtadienſe apud Schwarzenburgenſes Gymnaſium dimitterent filium; ubi ea ipſi felicitas contigit, ut doctiſſimæ Fratrum Schragiorum bigæ, quorum alter Lycei illius Præſes et Moderator erat, alter Medicinæ Practicus hodieque in vivis eſt, hoſpitio contubernioque frueretur. Utrique ob probitatem indolisque præſtantiam in deliciis fuerat Schœlerus, in ſtudiis humanioribus, philoſophicis ceterisque, quæ ornant ingenium, diſciplinis et artibus tam egregie inſtitutus, ut græcarum præſertim Literarum et Antiquitatis doctrina præ multis aliis haud leviter imbutus videretur. Schragianum contubernium viam ipſi ad Medicinæ acroamata aperuerat, cuius fundamenta cum ibidem ſolide ieciſſet, ad Colonienſes dein profectus eſt, ut ſub celeberrimi Steinhauſii, Doctoris et Profeſſoris Medici, auſpiciis opus feliciter continuaret. Continuavit illud per annuum ſpatium miro fidiſſimi Præceptoris ſui cum applauſu, donec ultimam academicis laboribus impoſiturus manum, ad Argentoratenſes denique muſis avidus ardensque advolaret, ut inſignes famaque notiſſimos Iatrices noſtræ Triumviros publice privatimque docentes audiret. Suſcepit ingenuum Academia Civem ipſis Anni ſuperioris Idibus Majis et præclara ſtatim non ſperare tantum, ſed et confidere cœpit de Iuvene, ſublimia quævis veterum et recentium Medicorum dogma-

dogmata indefeſſo inveſtigante labore. Ampliſſimi ſane teſtes ſunt, qui eum magnopere amarunt, inſignes Machaones noſtri, Salzmannus, Sachſius et Eiſenmannus, artis Apollineæ proceres; a quorum ore ſedulus frequensque pependit auditor. Nobiliſſimæ primus Praxeos Medicæ, Chymiæ alter Rerumque Botanicarum, hic denique præter Inſtitutiones, Oſteologiæ et Anatomiæ placita, inſigni cum nominis ſui fama, tradentes Schœlerum, induſtrium naturæ indagatorem, non ſemel vivum laudibus læti extulerunt, quem mortuum eheu! iam triſtes extollunt. Extollit eum præ aliis, cuius contubernio et propiore commercio fuerat uſus, Cel. Eiſenmannus, Defunctum noſtrum in paucis cariſſimum paterna ſane benevolentia et amore complexus, qui raram eius pietatem, ſanctimoniam morum, ceterasque quæ Chriſtianum iuvenem decebant, virtutes egregio teſtimonio exornat, quique per omne illud, quo æger decubuit, tempus quicquid ex recondito Medicinæ penu ingenioſiſſima induſtria depromere potuit, undiquaque conquiſivit, ut muſis et parentibus civem filiumque cariſſimum ſervaret, ſi fuiſſet in fatis. Corripuerant eum paucis ante anni ſuperioris exitum diebus leves a laſſitudine, ſiti caloreque comitati horrores, notiſſima alias febris ephemeræ, per aliquot ſubinde dies duraturæ, ſymptomata; cui promtis et convenientibus fruſtra occurrebatur remediis; morbo ita creſcente, ut pridie Kalendas Ianuarias ardentis et malignæ febris haud obſcura ſe Medico manifeſtarent indicia. Diriſſima mox ſupervenere pathemata; anxie-

taS,

tas, æſtus ardens, vehemens capitis dolor, inexplebilis ſitis, conſtans inſomnia, deliria, proſtratio virium, rubicunda in cute mox apparentia, mox retrocedentia ſtigmata. Omnis incaſſum ſuſcipiebatur medela; octavo Ianuarias Idus, quarta verſus diluculum hora, tandem ſuccubuit æger, placida, quam toties optaverat, morte ad glorioſam immortalitatem translatus, cum in hac vita duos et viginti annos, decemque menſes, minus ſeptem diebus, tranſegiſſet. Funus poſtridie in S. Helenæ Cœmeterium Chriſtiana ceremonia deductum ibidemque oſſa eius ſepulcro mandata, levi ſub terra, magnum illum ſupremi mortalium iudicii diem expectatura, quieſcunt. Veſtrum eſt, Academiæ Cives, honeſtiſſimi Iuvenis, in virtutis ſtadio nobili curſu tam probe defuncti, memoriam maſcula imitatione venerari. Mœſtiſſimorum autem Parentum vulneri quo fomento medebimur? ſuo illi proſpicient dolori, cum meminerint, ſe genuiſſe mortalem.

PP. Argentorati VIII. Kal. Februar. A. MDCCXXXVII.

IN FUNERE IO. DANIELIS SCHEFFERI, ECCLESIAE PALAEO-PETRINAE DIACONI.

A. MDCCXXXVII.

Vix iuſta perſolvimus Palæo-Petrinæ Eccleſiæ Antiſtiti et iam Paſtorem feſtinatis gradibus Diaconus ſequitur, Vir Plurimum Reverendus Io. Dan. Schefferus; cuius exanime corpus conditorio ſuo hodie infertur. Adſpexit Ille publicam viventium lucem Argentorati ante Eidus Iulias die ſeptimo, Anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo ſexto, natus ſpectatiſſimo Viro Io. Friderico Scheffero, Cive Mercatoreque Argentoratenſi, et Matrona honeſtiſſima Dorothea Kœnigia. Biduo poſt ipſius in mortale hoc ævum introitum ſacro Chriſtianæ initiationis lavacro in ſummo Urbis templo ablutus, pios tenellæ ætatis rectores habuit parentes. Decennis deinde puer publici noſtratis Gymnaſii Magiſtris in diſciplinam traditus, inter prima bonarum artium tirocinia felix adoleвit, et poſtquam primum hoc literarum ſtadium laudabili prorſus diligentia improboque labore fuiſſet emenſus, civitatis Academicæ Iura duodeviceſimo ætatis anno promeruit. Graviora dein auſpicaturus ſolers Adoleſcens præclaris eius temporis Argentoratenſis Lycei Doctoribus publice privatimque frequens adhæſit auditor; in Logicis et Metaphyſicis Hartſchmidium, in Phyſicis Sebizium, in Hiſtoricis et Eloquentia patrem filiumque Artopœos, in

Morum

Morum Civiliſque Prudentiæ doctrina Kuhnium, in Mathematicis diſciplinis Reicheltum, in Linguarum ſtudio Pfeffingerum Heupeliumque egregios duces ſecutus. Et ſane per quinque annorum decurſum, quo philoſophantium conſortio interfuit, et morum integritate et impigro diſcendi ardore adeo ſeſe cunctis probavit, ut dignus cenſeretur, qui die octavo ante Idus Apriles Anni poſt Milleſimum ſexcenteſimum nonageſimi noni Doctoratus Philoſophici inſigniretur tiara; poſtquam, moderante Kuhnio, Diſſertationem *in Ovidii Metamorphoſeon Libros* in ſolenni Eruditorum conſeſſu propugnaſſet. Tam honorificis exornatus præmiis ad divinæ ſapientiæ limina pius acceſſit Schefferus, ut ſanctiſſimo ſacerdotii muneri ſe totum conſecraret. Initiaverant eum ad opus hoc ſacrum Zentgravius, Wagnerus atque Hartſchmidius, ſacrarum literarum Profeſſores; quibus Doctoribus tantum profecit, ut divina mox oracula non ſolum in publicis Chriſtianorum cœtibus frequenter explicaret, ſed et partæ doctrinæ ſpecimen Theologica *de Fine mundi* diſſertatione, ſub Wagneriano præſidio, publice repræſentaret. Nondum in ſacra militia integrum exegerat luſtrum, cum anno ſeculi, quo vivimus, ſexto in ſeminarium Sacerdotum præmiſſis examinibus reciperetur noſter, gregique in Fano S. Ioannis et Oberkirchæ Paſtor et ſimul Inferiori Hausbergæ, Pfulgrieſſenſibus et Blæsheimenſibus daretur Diaconus. Ab illo tempore per duos annos Zentgravii et per totidem Wagneri, Conventus Eccleſiaſtici Præſidum, hoſpitio eſt uſus. Anno MDCCX. ſeptimo

ante Februarias Eidus ad ſuperioris Hausbergæ Eccleſiam ſuffragiis civium vocatus, omnia ibi fidiſſimi Paſtoris munia toto miniſterii ſui tempore explevit. Tandem anno viceſimo ſeptimo, menſe Octobri Cœtus Palæo-Petrini Diaconus conſtitutus eſt; cuius ille muneris partes magna diligentia et zelo, quantum adverſa corporis eius valetudo viriumque imbecillitas permiſit, explere viſus eſt, atque adeo promovendæ gregis ſui ſaluti invigilavit diligenter. Inter inſignia divinæ benignitatis, quæ Defunctus extollere ſolebat, documenta haud ultimo loco repoſuerat, quod in iucundo dulciſſimæ Coniugis conſortio vivere ipſi daretur. Adſciverat ſibi thalami ſociam VII. Kal. Maias anno huius ſeculi undecimo, virginem omnibus ſexus ſui ornamentis conſpicuam, Dorotheam Salomen, M. Philippo Roſero, ad D. Guilielmi olim in hac urbe Diacono, progenitam; ex qua tres filios, filiasque ſex ſuſcepit. Illorum primus in cunis deceſſit; alter Philoſophiæ cultor et poſtremus tertiæ Curiæ diſcipulus hodieque ſuperſunt. Filiarum ſecunda nondum trimula ad æternitatem migravit; reliquæ cum mœſtiſſima matre fratribusque Parentis optimi deſiderium in planctus et lacrymas effuſæ teſtantur. Diuturniorem eius vitam ardentibus votis a cœlo petierat deſolata familia; ſed aliter viſum eſt voluntati divinæ. Erat Schefferus ab ipſis incunabulis corpore parum valido, nullo tamen morbo violento unquam proſtratus, ita ut rebus ſuis ſic ſatis ex voto ſupereſſe potuerit; ante hoc quadriennium demum tumoribus et lenta febri correptus.

ptus. Reſpirare quidem ex adverſa valetudine aliquoties cœperat, ſed vi morbi ſubinde ingruente, et exhauſto tandem viribus corpuſculo VIII. Eid. Febr. poſt horam nonam veſpertinam ſuccubuit, placida morte ad ſuperos translatus, poſtquam inter mortales vixiſſet totos ſexaginta annos triduoque minus quam quinque menſes; Vir inſigni in Deum pietate humilitateque, in cœtum Chriſtianum ipſius curæ commiſſum ſingulari fidelitate et vigilantia, in Proceres reverentia, in ſuos amore, in omnes humanitate, officiorumque promptitudine præ multis commendabilis. Merentur omnino Viri tam probi tamque ingenui virtutes, ut Vos, Academiæ Cives, beatis eius manibus feratis inferias, frequentique comitatu funus cohoneſtetis. Efferetur illud hodie hora a meridie prima e Tribu cerdonum ad Templum D. Petri, ut vocatur, ſenioris, atque inde ad D. Helenæ Cœmeterium.

PP. Argentorati V. Idus Februarias

Anno MDCCXXXVII.

PROGRAMMATA RECTORALIA

CUM DEPONERET MAGISTRATUM ACADEMICUM.

A. MDCCXXIX.

RECTORALIA SACRA Vobis indico, Muſarum Alumni, poſtremum Academici Imperii Actum proximo die Iovis editurus. Sex menſes ſunt, ex quo Illuſtris Argentoratenſium Athenæi Antiſtitem me creavit venerandus Procerum Literatorum Ordo. Vocant iam alium ad gubernacula leges. Amant alterna Camœnæ. Equidem non ſine ingenti lætitia dignitatis huius inſignia ſum depoſiturus, cuius decurſum nonniſi proſperis fatis Divina ſignare voluit providentia. Vireſcens olim Romæ in Palatio laurus, cum naturæ vigentis ſuperbiret colore, et ſuis firma radicibus ſtaret, lætum pariter et fortunatum omen habebatur. Vireſcit et noſtra Academica laurus, ſapientiæ conſecrata et longe felicioribus erecta auſpiciis. Stat illa ſuis radicibus firma ac florentes doctrinæ et artium ramos longe lateque per orbem diffundit. Gratulamur inſignem hanc Almæ Studiorum Matri felicitatem. Gratulamur et novo Academicæ navis Gubernatori, quem proſpera quoque fata expectare ſperamus. Eſt is, VIR

Maxime

Maxime Reverendus, Ampliſſimus atque Excellentiſſimus, Dn. Ioannes Leonhardus Froereisen, SS. Theol. Doct. atque Profeſſ. Publ. celeberrimus et Eccleſiaſtes liber facundiſſimus, Fautor atque Collega noſter multis nominibus colendus; qui Illuſtris Conventus Academici ſuffragiis nuper electus et ab Inclyto Magiſtratu confirmatus, proximo die Iovis hora ix. ſolenni ceremonia Academica Sceptra capeſſet. Inauguratio hæc more Maiorum cum ſit ſuſcipienda, omnes bonarum literarum Patronos atque Cultores, ut frequentes eidem intereſſe velint, decentibus formulis rogamus.

Argentorati PP. D. ix. Maji MDCCXXIX.

IN

IN ABDICATIONE RECTORATUS ACADEMICI.

A. MDCCXXXVII.

Fructibus pacis, nondum ipſa pace lætabamur, cum Magiſtratum Academicum nuper inirem; hodie inter Chriſtianas Europæ gentes res omnis transacta. Tam felicem ſucceſſum regiminis mei decurſus conſpexit, quo orbi Literato novus ſplendor et uberrima gratulandi ſubnata materia. Enimvero Lycea et Academiæ pari cum Rebuspublicis fortuna involvuntur plerumque. Eadem bellorum rabies, quæ ſumma imperia et maximas urbes proſternit, Scholis etiam atque Gymnaſiis fatalis eſt, quæ præcipiti ſæpe communique ruina contumulantur. Palladia quondam Civitas, illæ florentes Athenæ Atticæ, ipſius Sapientiæ veſtigiis ſacratæ, in loco, ubi floruerunt, iam fruſtra requiruntur. Quo feliciora reputamus noſtræ Academiæ fata, quæ ex gravi periculo martis, ad portas eius furentis, eluctata cum Regis ſui triumphis et Francici Imperii æternitate ſuæ quoque immortalitati videtur præludere. Huc ergo frequentem ſuam ſobolem vicinæ remotæque Civitates, Respublicæ; huc Populi Principesque transmittant; huc Germanus, Suecus, Danus, Bohemus, Hungarus et ex rigida Sarmatia Ruſſus Polonusque appellet, atque adeo Sturmianum illud ſeculum noſtro hoc ævo refloreſcere videat alma Argentoratus, ut ex hoc veluti oceano uberrimæ lymphæ rivulique dimanent, queis orbis literarum irrigetur, fœcundetur ubique.

Quan-

Quanto me efferri gaudio par eſt, qui in hanc Heliconis noſtri laudem et gloriam Rector ſemeſtris fere allectus ſum; præſertim quando ad augendam huius diei hilaritatem illud quoque accedit, quod Sereniſſimorum Principum ex Darmſtattino Haſſorum ſanguine Triga rariſſima, magna Teutoniæ-ſpes, Muſis adhuc noſtris vivida, florens ac vegeta intereſt et auguſtas Domus ſuæ palmas apollineis noſtris laureis humilibus miſcet. Rata faciet vota atque fiduciam æternus rerum humanarum arbiter et Rectorios noſtros faſces novo ſemper flore ac perennante virore decorabit. Tradam illos in manus *Viri Max. Reverendi, Ampliſſimi atque Excellentiſſimi,* Dn. Io. Andreae Gnilii, *S. Theol. Doct. atque Prof. Celeberrimi.* Scitote ergo, Cives Academici, perendinum diem, qui erit XVI. Maji, Novi Rectoris fore natalem; illi ènim, qui honores conſequuntur, *naſci* veteribus dicebantur. Facite quod veſtri eſt officii; convenite ad horam nonam in Exedra Academica maiore, pro Republica Tribocorum Literaria eiusque ſalute, pro Rectoris incolumitate proſperoque eius regimine vota nuncupaturi. PP. Argentorati pridie Idus Maias,

MDCCXXXVII.

PROGRAMMATA DOCTORALIA.

IN PROMOTIONE IV. CANDIDATORUM SECUNDAE ET TOTIDEM PRIMAE LAUREAE.

A. MDCCXXIX.

Hieronicarum ſingulares olim apud Græcos honores vetera paſſim monumenta loquuntur. Ornati ſunt hoc elogio, qui in quatuor celebratiſſimis olim Græciæ certaminibus evaſerant victores. Magnum erat eſſe Olympionicen, ſive in Olympiis viciſſe, imo, teſte Cicerone, maius fere habitum et glorioſius, quam Romæ triumphaſſe; magnum in reliquis et ſingulis quidem victoriam reportaſſe ludis; in omnibus autem ſimul ſi quis vicerat, illum divinis fere excipiendum honoribus reputabant. Hinc Hieronicæ picta et palmata veſte amicti, in curru ſuper mœnia disiecta, prælatis lampadibus et faculis, præcedente tubicinum fidicinumque turba, in Patriam Urbem deducebantur; tantis ſumtibus, ut illos legibus ſuis coërcendos cenſuerit Solon. Nomina eorum ab Hellanodicis in Commentarios ſunt relata; plurium ſimul urbium fiebant cives; ius proedriæ illis in ſpectaculis conceſſum; ſtatuis perpetuandæ ipſorum memoriæ fuerunt honorati. Hinc eſt, quod apud Platonem Atalantes anima, cum vidiſſet, quantos honores adipiſci poſſent athletæ, hanc vitæ futuræ conditionem elegit. Hinc illa Neronis Imperatoris cacozelia, Hieronicæ inſtar

inſtar, cum e Græcia veniſſet, Romam intrantis. Præcipuum tantæ victoriæ fuit inſigne corona; in Olympicis oleagina, in Iſthmiis pinea, in Nemeis ex apio, in Pythiis baccæ Apollinis. Riſit hæc dona Scythicus ille ſapiens Anacharſis, cum Solonem de his præmiis interrogaſſet; at ſimili occaſione Tigranes Artabani filius, apud Herodotum, maiori prudentia allocutus eſt Ducem: Papæ Mardoni! in quos viros ad pugnandum nos duxiſti, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis; quibus tanta frondium et florum eſt dignitas; quibus talis corona exiſtimatur præmium, non pretium, non merces. Ita ſentiunt generoſa pectora, quæ virtutis indicia, doctrinæ magnarumque dotium inſignia præſertim reſpiciunt; ac his præcipue delectantur muneribus. Idem animus eſt ſtrenuis noſtris in Ludo Literario Athletis, ornatiſſimis atque ingenuis Iuvenibus, quos, peractis nuper in vario diſciplinarum genere examinibus, dignos cenſuit Sapientiſſimus Philoſophorum Ordo, qui conſueto in Academiis more publicis condecorarentur honoribus. Peragetur hæc cerimonia proximo die Iovis XX. Octobris, ita decernente EMINENTISSIMO Univerſitatis CANCELLARIO. Noſtri officii eſt, ut omnes Literarum Artiumque Patronos atque Cultores ad hunc Actum decentibus formulis invitemus. PP. Argentor. d. XIV. Octobr.

MDCCXXIX.

QUUM CREARENTUR DOCTORES PHILOSOPHI IX. BACCALAUREI VII.

A. MDCCXXXVII.

Ordinis Philoſophici gradus honorum ſelecti ex Helicone noſtro Iuvenes et Adoleſcentes non pauci, virtute et doctrina ſua, ex benigno Procerum iudicio, commeruerunt. Conſtantes et ſtrenuos Muſarum athletas eo lubentius in publica Academiæ panegyri præmiis titulisque ornamus, quo frequentius, ſane magno cum dolore noſtro, accidit, ut lubrica Iuvenum ætas fatali vitiorum aut deſidiæ commaculetur contagio; æquum arbitrati, ut qui faſces laureatos eruditioni prætulerunt, et ipſi tiaris ac virentibus lauris grata alternaque vice decorentur. Solemne ergo nudius ſextus noſtra Decuria decrevit ſpectaculum. Ita nobis propitius et volens ſupremus ille rerum arbiter adſpiret! In perendinum indicimus Nuptias, quibus novem ingenuos ex Schola Philoſophica ſponſos cum amabili novem Sororum Caſtalidum corona, eorumque Anteſignanum ſpeciatim cum Calliope, Poëtices præſide, religioſa ceremonia maritabimus; ſeptem alios iuniores ad ſeptem artium liberalium Sacra uno eodemque actu initiaturi, ut ſeptem illorum Græciæ Sapientum exempla et, quod præſertim optamus, innocentiam vitæ aliquando ſectentur. Quodſi utri-

utrique huic numero ominis aliquid ineſſe pia haud temere reputavit antiquitas; ſi numero ipſe Deus impare gaudet, utrique huic Candidatorum ordini fortunata et felicia quævis augurari licebit; augurio tanto minus fallace, quod ex ipſa Iuvenum indole genioque illud deducimus. Adeſte modo, Proceres, Patres, Civesque Academici, huic actui frequentes, noſtrisque Sacris haud illibentes applaudite. Celebrabuntur illa in Exedra Academiæ maiore, quam Brabeuterium vocant, d. XII. Decembr. hora IX. PP. Argentorati d. IV. Eidus Decembr. MDCCXXXVII.

PROGRAMMATA INVITATORIA AD ORATIONES ALIORUM.

AD ORATIONEM IO. THOMAE SCHERZII CELEBRATURI IO. SCHENCKBECHERUM.

A. MDCCXXIII.

Quod bonum, felix et Literariæ Reipublicæ fauſtum ſit, lætas ex Schola Oratoria primitias Vobis offerre mihi iam contingit, PATRES CIVESQVE ACADEMICI. Et illæ ſane eo lætiores gratioresque videbuntur, quo maius Veſtrum in tuendis, propagandis, excolendisque politiorum literarum doctrinis ſtudium iam pridem magna cum Veſtra gloria et Academiæ huius felicitate comparuit. Inoleverat olim, et vel hodie plurimorum mentibus inſidet iniqua profecto et perverſa ſententia: Eloquentiam ſolis naturæ atque ingenii viribus efferveſcere, et impetu potius quodam conſtare, quam ullis artium præceptionibus contineri; hasque adeo merito tanquam ſupervacaneas negligi atque contemni. Et acceſſit porro, ut libere fatear, multumque inſtitutis Oratoriis nocuit, imperitorum quondam Scriptorum, qui ſe Rhetoricos Doctores appellari voluerunt, multitudo, qui grandis eloquentiæ viribus deſtituti, minutias magis ſectari, et pro vera Oratoria pueriles nugas Orbi literato obtrudere haud dubitaverunt. Verum enimvero, uti nos non facile tantum concedimus

ſec

ſed et quam maxime urgemus, multum naturæ et indoli in eloquentiæ ſtudio eſſe tribuendum, plurimumque adeo præſtantis ingenii felicitatem, aſſidua præſertim exercitatione corroboratam, valere; ita hoc æquus rerum æſtimator viciſſim nobis concedet, feliciſſimum quemvis genium ſine artis et diſciplinæ cultura facile in frequentiſſimos temeritatis errores impingere, facile pro vera et ſolida facundia, nonniſi ſiccum, confuſum, frigidum, tumidumve dicendi genus adipiſci. Inſuper cum nulla certe ſit tam vilis, tam proiecta ſcientia, nulla minimarum quoque artium, cuius non firma quædam extent, quibus nitatur, præcepta; num ulla ratione dubitare poſſe videmur, quin et ſua pariter formet foveatque dogmata potens illa Eloquentia, quæ una ceterarum Regina diſciplinarum omnes, quæcunque iam ſunt, vel aliquando futuræ, vaſtiſſimo ambitu ſuo complectitur; quæ per tot ſeculorum decurſum tot clariſſima nutrivit exercuitque ingenia; quæ ſuos Demetrios, Cicerones, Fabiosque produxit; quorum tam illuſtrium acerrimique ingenii virorum, ex præclaro admirandoque eloquentiæ uſu nullas eſſe obſervationes, quibus in dicendo vis, ordo et facilitas comparari poſſit, nemo, niſi præfracto in veritatem ſit animo, negabit. Et conſcia ſane convictaque huius veritatis ARGENTINA a primis ſtatim reductæ eruditionis et inſtauratæ Academiæ incunabulis Rhetorices et Oratoriæ Cathedræ proſpicere ſategit. Cuius Illuſtriſſimi teſtes STURMII, JUNII, FLORI, BERNEGGERI, BOECLERI, SCHALLESII, OBRECHTI, ARTOPOEI, KUHNII, ad omnem omnium temporum

poſte-

poſteritatem durabunt. Quæ veneranda cum reſpicimus nomina, magnam nobis impoſitam eſſe neceſſitatem cernimus, omnibus elaborandi viribus, ut iſtud Polymniæ palatium ſartum tectumque noſtro porro conſervetur Argentorato. Neque hic ſane de ingeniorum defectu conquerendi nobis occaſio datur, quæ ſubinde ſeſe oſtentant, et Maiorum noſtrorum laudem felici cum ſucceſſu ſectantur. Teſtem huius rei producturus ſum Vobis *Nobiliſſimum atque Doctiſſimum Iuvenem*, Dn. IO. THOMAM SCHERZIUM, Argentorat. *Philoſophiæ omniumque politiorum artium Cultorem ſolertiſſimum*; quem cum præſtantibus elegantis ingenii dotibus, pro ſua in ipſum liberalitate, natura large inſtruxerit, in eo tamen præcipua laude nobis ornandus eſt, quod tantarum dotium feliciſſimus cultor ſtrenuum præſertim Paternæ gloriæ et eruditionis æmulum iam pridem ſe nobis demonſtrarit. Neque vero ieiunum aut leve quoddam facundiæ ſuæ editurus eſt ſpecimen. Redivivum Ille ſiſtet Vobis Virum, quem Inclyta Argentoratenſium Reſpublica inter illuſtria olim decora magno cum fructu ſuo retulit, quem Academia, ob rariſſima et nunquam intermoritura in eandem merita ſuo hodieque iure colit et veneratur, IOANNEM illum SCHENCKBECHERUM, huius quondam Civitatis Tredecimvirum. Agite igitur, PROCERES CIVESQUE ACADEMICI,

MICI, et uti hoc inſtitutum eximium plane, laudisque plenum et nobis vehementer commendatum eſt, ita Veſtrum porro in elegantiores literas favorem et ad promovenda earum incrementa ſtudium frequenti quoque Veſtra præſentia proximo die Martis, XXVIII. Sept. hora X. loco conſueto læti teſtamini. PP. Argentorati d. XVII. Sept. MDCCXXIII.

AD ORATIONEM IO. GEORGII FUCHSII LAUDATURI MARCUM OTTONEM.

A. MDCCXXVI.

Quæ ſummi priſcorum temporum Rhetores præcipua parandæ Eloquentiæ adminicula ſtatuerunt, Ars et Exercitatio hodieque tam elegantis diſciplinæ præſidia conſtituunt. Miramur ergo ſubinde fata recentium ſeculorum; quæ cùm in plerisque Veterum gloriam ſupergrediantur, in artis dicendi ſtudio tanto plus laudis acquiſiviſſe ſe putant, quo propius ad eorum facundiam accedunt. Præivit omnibus Græcia, cuius Iudices olim, ne in iudiciis dormirent, fabas rodere conſueti, abrogarunt hunc morem, cum celebrata illa eloquentiæ fulmina in foris eorum detonarent. Translata inde ad Romanos Oratoria quam ſublimi expoſita fuit faſtigio; quam copioſi, vehementes, quam varii, et ad animos permovendos parati reperiebantur Oratores. Lucius Craſſus, eorum qui in Italia fuerunt facundiſſimus, cum cauſſas tractaret, horrere ſe ſolitum ipſe, ſub Antonii perſona, in *Oratore* ſuo fatetur Cicero; tantam vim animi, tantum impetum atque dolorem oculis, vultu, geſtu, digito denique ſuo ſignificaverat, ut non ſolum incendere iudicem; ſed et ipſe ardere videretur. Tullio non ſemel regnum in iudiciis obiiciebatur; quando vox eius atque

ſermo

ſermo velut imperatorius de ſævitia iudicum, de malevolentia hominum, de flagitio et ſcelere tot illuſtria ſtatuit trophæa. Magnus ille Plinius pugnaci et bellatorio ſtilo non ſemel e Foro palmas, e Curia triumphos grandi eloquentia ſua reportavit. Quantum apud hos effecerit exercitatio ex ipſius Ciceronis liquet exemplo; qui cum primis temporibus, quod ipſe in *Bruto* de ſe memorat, nimia commotione dixiſſet, in Aſiam ſe contulit et cum Philoſophis aſſidue verſatus, ſummis eloquentiæ Doctoribus ſe refingendum expoliendumque tradidit, ac longe quam profectus fuerat rediit valentior. Enimvero longe facilior illos ad eloquentiæ faſtigia trames perduxit; a teneris ſtatim annis in foro, in curia, pro roſtris quotidie magnorum Oratorum cernentes exempla; quibus in Republica, Orbis Regina, tanto potentiores ſe fore edocti fuerant, quanto magis alios ſuperaturi eſſent facundia. Ex iſta antiquitate pauci omnino in ſcriptis ſuis hodie ſuperſunt; quorum aureis præceptis et frequenti lectione innutrienda ſunt eorum ingenia, qui eximium aliquod in hac arte decus ſectantur. Præſtitit hoc, quem in Cathedram Oratoriam publice producemus, *Præcellens et Doctiſſimus Iuvenis*, Dn. IO. GEORGIUS FUCHSIUS, Argent. *humaniorum literarum Cultor ſtrenuus atque ſolers.* Is ut ſuorum in hoc ſtudio profectuum ſolennius ſpecimen ederet, dignum immorta-

mortalitate Virum, Argentinenſis quondam Curiæ fidus, magnumque Literatorum Mæcenatem, *MARCUM OTTONEM* in ſolenni Academicorum corona ſiſtere redivivum decrevit. Huius audiendi cauſa ut Patroni Civesque Academici proximo die Martis, XII. Martii hora IX. adeſſe faciles et dicenti haud gravatim annuere dignentur, ea qua decet reverentia et humanitate rogamus. PP. Argentorati

d. VI. Mart. MDCCXXVI.

AD

AD ORATIONEM IO. FRIDER. FRIEDII ALSATIAE DOTES EXPOSITURI.

A. MDCCXXVI.

Quam ſplendidum olim florente Romanorum Republica *Oratoris* fuit nomen, tam vilis decreſcente eorundem Imperio *Declamatoris* titulus cenſebatur. Vix ad ſummum conſcenderat decus Latina facundia, et ſuos ſtatim vidit corruptores; qui verborum lenocinia nimium ſectati, magnum diſciplinæ detrimentum attulerunt, quam ſuis tamen ſe artibus ornaturos eſſe ſperaverant. Exagitabat iam in aurea eloquentiæ ætate Mæcenatem ſuum magnus ingeniorum et veræ facundiæ æſtimator, Cæſar Auguſtus; eiusque in ſermone cincinnos imitando nonnunquam per iocum irriſit. Tiberium, novum aliquod et ſingulare dicendi genus aucupantem, quoties ſuis perſecutus eſt dicteriis idem Auguſtus; ipſius quoque Marci Antonii non ſemel increpans inſaniam, ea nimirum ſcribentis, quæ mirentur potius homines quam intelligant. Accedente poſtea ipſorum in Oratoria Doctorum corruptela, quid mirum, ſi adoleſcentes in ſcholis ſtultiſſimos fieri ſuo iam tempore pronuntiavit Petronius. Exorti nimirum tum Rhetores illi, qui abſtruſum et umbraticum eloquentiæ genus amplexi, mox *Sophiſtarum*, mox *Declamatorum* nominibus nota-

notabantur; qui id ſua doctrina, verborum tumore, vaniſſimo ſen tentiarum ſtrepitu et ventoſa loquacitate ſunt adepti, ut, cum i forum et publicam rerum agendarum lucem prodirent, in alium ter rarum orbem delatos ſe arbitrarentur. Audiviſſes in eorum ſcholi varia legum et inſtitutorum figmenta; producebant in ſcenam nover cas crudeles, parentes iniuſtos, perfidas uxores; miſcebant venena gladios oblinebant ſanguine. Vidiſſes Tyrannos edicta ſcribentes piratas cum catenis in littore ſtantes et alia id genus, quæ vocabant plasmata; quibus iuvenum ingenia non parum excitari credebantu Longe felicius in arte hac exercenda verſati ſunt vetuſtiores Romani qui iuvenes Oratores quam maturrime ex umbris in apricum produ centes ad vitam ſtatim civilem eos formarunt, omnemque eorun dicendi facultatem ad communes et ſalutares Reipublicæ uſus appli cuerunt. Et ne quid ex primo ætatis ardore periret, vel prætextat in publico ſæpe dicere coacti, facundiæ ſuæ rudimenta in illuſtriſſim Romanæ Civitatis depoſuerunt luce. Potens ille Tullius ad publica cauſſas et actiones minoribus iam annis acceſſit. Licinius Calvus Caius Cæſar, Aſinius Pollio ante Quæſtoriam ætatem iudicia ſuſcepe runt graviſſima. Hortenſius undeviginti annos fuerat natus, cun prima in foro verba feciſſet. Octavius Auguſtus duodecimo iam annc

Iulian

Iuliam pro concione laudavit. Non parum ergo conatus eorum ſunt approbandi, qui de illuſtribus argumentis florentiori iam ætate publice dicendi initium faciunt; qua flexilis adhuc mens eſt, ſpes et favor ubique paratus, imitationis capax ingenium. Perpendit hoc, quem in Cathedram Oratoriam producemus, erecti et politiſſimi ingenii Iuvenis, *Præcellens atque Doctiſſimus* DN. IO. FRIDERICUS FRIEDIUS, Argent. elegantiorum literarum Cultor eximius. Ille ab ea ſtatim ætate, qua eloquentiæ præceptis imbui iuventus poteſt; ſtudiis humanioribus initiatus et publicum nunc facundiæ ſpecimen editurus, ſuæ in patriam provinciam pietatis et illuſtrium, quibus eadem præ aliis gaudet, bonorum memor, in ſolenni Procerum Civiumque Academicorum Concione *ALSATIAE DOTES* ſuccincta Oratione exponere decrevit. Quem Actum ut proximo die Martis 11. Aprilis, hora IX. in Auditorio maiori ſua honeſtare præſentia Proceres Civesque Academici dignentur, decentibus formulis debitaque reverentia rogamus. PP. Argentorati VII. Calend. April.

MDCCXXVI.

AD

AD ORATIONEM IAC. FRID. MOLLINGERI LAUDATURI DIVUM LUDOVICUM.

A. MDCCXXXII.

Laudabilis olim in Epheſiorum Republica invaluerat conſuetudo, ut quotidie ex Veteribus unus, qui præ ceteris virtute valuiſſet, ſolenni recordatione a civibus recoleretur. Cum enim non in plebeiis tantum ingeniis, ſed in omnium fere mortalium mentibus magna ſit exemplorum vis, magna ad imitandum propenſio, nullum illuſtrius ſane ad veram gloriam incitamentum eſſe poteſt, quam ſi eximios frequenter contemplemur magnarum virtutum cultores, quos noſtris intereſſe cogitationibus et factis reputemus, quos nobis tanquam ſeveros imponamus cuſtodes hortatoresque. Talibus abundat exemplis tota præſertim Gentilium et Chriſtianorum Græca Romanaque antiquitas. Sed et medii poſteriorisque ævi Hiſtoria nobis ſubinde, quos venerandæ illi et ſplendidæ opponamus vetuſtati, Heroes ſubminiſtrat; niſi in nobis id reprehendi velimus, quod in ſuis olim Tacitus culpavit Romanis: dum vetera extollimus recentium incurioſi. Ad ſolam heic Francici Imperii per omnem ſeculorum decurſum provocamus Hiſtoriam. Numquid ullum magnanimitatis, prudentiæ, fortitudinis, aut aliud quoddam rerum ſublimium reperi-

tur

tur documentum, quod affatim et longa ſerie non exhibeant Francorum Annales. Clodoveum profecto et Carolum, illa belli fulmina, Philippum Auguſtum, Carolum Sapientem, Franciſcum illum et Henricum Magnum, Ludovicos denique noſtros vix nominaveris, et ecce menti tuæ ſe ſubito ſiſtit perfectum aliquod ſummæ et heroicæ virtutis ſpeculum atque exemplar. Eminet inter hos Divus ille Ludovicus, ſtirpis Borboniæ conditor, ſeculo poſt Redemptoris nativitatem tertio decimo Chriſtianiſſimus Francorum Monarcha; eo potiori ſane iure *Divi* elogio dignus, quam illi Romanorum primi ævi Imperatores, quo præſtantior eſt Religio Chriſtiana Gentili. Enimvero nihil auguſtius concipi vel animo repræſentari poteſt, quam chorus ille coetusque rariſſimarum in tanto faſtigio virtutum, quibus Ludovicus hic non Galliæ modo ſuæ, ſed verum generis humani delicium meruit appellari; omnium qui fuerunt Principum futurus feliciſſimus, talesque ſuos redditurus ſubditos, niſi illis temporibus eripiendæ ex Barbarorum manibus Paleſtinæ inauditus quidam zelus omnium orbis Chriſtiani Procerum animos occupaſſet. Docebit hæc omnia uberius Perdoctus atque Politiſſimus Iuvenis, Dn. IACOBUS FRIDERICUS MOLLINGER, *Argent.* Humaniorum Literarum ab aliquot annorum ſpatio ſtrenuus eximiusque

que Cultor, qui ſpecimen aliquod ſuorum in arte dicendi profectuum editurus, DIVUM LUDOVICUM ex Gallicis Annalibus elegit, cuius vitam et mores ſanctiſſimos, in frequenti Civium et Academicorum Panegyri, brevi quadam Oratione adumbraret. Actum hunc, qui proximo die Martis, ipſis Calendis Aprilibus, hora IX. celebrabitur, ſua ut præſentia honeſtare et Iuveni Oratori lubentes applaudere dignentur, bonarum Literarum Patronos atque Cultores decentibus formulis invitamus. PP. Argentorati

d. 26. Martii. MDCCXXXII.

AD ORATIONEM CHRIST. LUD. SCHEIDII PARENTATURI IO. VALENT. SCHEIDIO.

A. MDCCXXXII.

Parentalia in proximam hebdomadem indicimus, Patres Civesque Academici, SCHEIDIANIS Manibus parantur Inferiæ, quas decenti pietate et ſolenni ceremonia inſtituet mœſtiſſima Familia. Annus eſt, cum atrox et lethale vulnus non uni modo Domui, ſed Academiæ, Civitati, Provinciæ et univerſo Literato orbi Libitina inflixit. Illud ex hoc intervallo adeo non conſanuit, ut eo ipſo, quo anniverſaria hæc Sacra annuntiamus, tempore longe vehementius recrudeſcere videatur. Extulimus eheu! et multis tum ſuſpiriis extulimus Venerandum noſtri Heliconis Neſtorem, Artis Apollineæ ſtatorem, tam multiplicis doctrinæ, tam vaſti ingenii, tam raræ indolis Virum, ut aut nunquam his dotibus naſci debuiſſet, aut nunquam mori. Enimvero ſi immortalitas divinæ modo naturæ prærogativa eſt, quis dignior foret, ut nunquam decederet, quam qui morum ſimilitudine et meritis proxime ad cœleſtes accedit; qui ſervat ac felices efficit mortales; qui iisdem vitam ſpiritumque toties reddidit. Agnoſcitur his elogiis Vir omni fere elogio maior Nobiliſſimus, Ampliſſimus, Experientiſſimus atque Excellentiſſimus Dn. IO. VALENTINUS SCHEID, Medicinæ Doctor et Profeſſ. Publicus, diverſorum Magnatum Conſiliarius et Medicus, Civitatis Argen-

toratenſis Archiater et Capituli Thomani Præpoſitus. Adprecati iam ſumus oſſibus eius terram levem et ſecuram quietem. Effudimus lacrymas, ut, ſi priſco more elatus fuiſſet, iisdem tumulum ipſius irroraſſemus. Ingeminatis iam vocibus repetivimus lugubre illud SALVE AC SUPREMUM VALE. Itaque ad altiora nos iam erigamus oportet. Forma mentis eius æterna eſt; hæc divinæ iam particeps felicitatis ex ſublimi illa immortalitatis arce ad virtutum præſertim et gloriæ eius contemplationem nos cohortatur; has nos præcipue admirari, harum illuſtria nos imitari exempla lætabitur. Macta ſis glorioſa hac ſorte Tua, Beatiſſima Anima, et patere, ut plenus ego dolore, plenus veneratione Tui, Agricolam ſuum lugentis Taciti poſtremum Te alloquar verbis: Quidquid ex Te amavimus, quidquid mirati ſumus, manet manſurumque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum; multos velut inglorios et ignobiles oblivio obruet, Tu poſteritati narratus et traditus eris ſuperſtes. Quod reliquum ergo eſt, tam piis Manibus perſolvet digniſſimus tanto Patruo nepos, Præcellens ac Doctiſſimus DN. CHRISTIANUS LUDOVICUS SCHEID, Iuris et elegantiorum Literarum ſtrenuus Cultor, Sacra hæc parentalia proximo Die Martis, XX. Maji, hora IX. in Auditorio Æſtivo peracturus. Ad quem Actum Proceres Civitatis et Academiæ ac ſingulos utriusque Cives decentibus formulis invitamus. PP. Argentorati III. Idus Maias MDCCXXXII.

AD

AD ORATIONEM FRID. GABR. BACHELBL DE GEHAG ONOLSBACENSIUM PRINCIPI PRINCIPEM HEREDEM GRATULATURI. A. MDCCXXXIII.

Quod ante triennium Principi ſuo nuptiales tædas accendit Onoldium, id Genethliacum iam felix et lætabundum decantat. Fruitur tandem votis ſuis Sereniſſimus Carolus Wilhelmus Fridericus; ſua felicitate Onolsbacenſis Proſapia; ſuis deliciis Brandenburgica Domus. Conſpiciunt ludentem in cunis Principem Carolum Fridericum Augustum, florentiſſimi Marchionatus aliquando heredem; magni Parentis divinarumque eiusdem dotium ſublime olim futurum exemplum. Adblanditur tenello filio excelſa Puerpera, Friderica Ludovica, et Potentiſſimo Borussorum Monarchæ recens natum e longinquo oſtentat nepotem. Fœcunda et multiplex tantis Genitoribus, tantæ Stirpi, tam diverſis Germaniæ Aulis de auſpicata prole gratulandi materia. Sed quid Germaniam tantum loquor? Venit et in partem lætitiæ remota Britannia, cuius magnanima Regina, glorioſo Onoldinorum ſanguine nata, magna Principis modo geniti amita, de novo cœleſtique dono ſibi, Boruſſiæ et univerſæ Marchionum Brandenburgenſium applaudit proſapiæ. Iungit ſe Thameſis cum Viadro, ac commune lætandi argumentum ex magno ipſi intervallo gratulatur. Et habent ſane illuſtria, quæ de tanto pignore ſperent, non Onolsbacenſes modo, ſed et omnes Branden-

burgici populi eorumque vicini. Heroicus ille tot veterum Marchionum, toga ſagoque illuſtrium, ſanguis, ab utroque parente in tenera novi Principis membra derivatus, inſignem gentibus heroem præſagit, qui ſuis aliquando facinoribus Albertos illos, Georgios, Ioachimos civibus ſiſtet redivivos; quos grata Germania Achilles, Alcibiades, Neſtoresque ſuos ad omnem poſteritatis memoriam appellavit. Exponet hæc omnia uberius Generoſiſſimus atque Perſtrenuus Iuvenis, Dn. FRIDERICUS GABRIEL BACHELBL de GEHAG, *Eques Francus;* qui ardenti in Principem ſuum zelo et pietate commotus, Natales hos, in frequenti Argentinenſium Panegyri, ſolenni celebraturus eſt Oratione. Cui ceremoniæ ut proximo die Iovis, xxviii. Maji, hora x. in maiore Exedra intereſſe velint, omnes omnium Ordinum Proceres Civesque decentibus formulis invitamus.

PP. Argentorati Idibus Maji MDCCXXXIII.

AD

AD ORATIONEM PHIL. CHRIST. RANGII DE CAROLO ANDEGAVENSI IN REGNO NEAPOLEOS VICTORE DICTURI.

A. MDCCXXXV.

Læta mihi rurſus et iucunda in Oratoriam Exedram Vos invitandi præbetur occaſio. Eminent in publica et privata noſtra Eloquentiæ officina dotes et induſtria Præſtantiſſimi Iuvenis, Dn. PHILIPPI CHRISTIANI RANG, Argent. qui ſtrenui facundiæ cultoris numeros tanta iam implet felicitate, ut perſpecta eius in dicendo alacritas digna nobis videretur, quæ in publicam huius Academiæ lucem ſolenni ceremonia prodiret, aliosque ad pares, quod unice flagito, excitaret conatus. E ſolio quidem ſuo iam pridem deiecta eſt, quæ in principe terrarum populo, in urbe rerum domina dominata fuit, regina facundia. Quæ ſuos ex infima Quiritium plebe alumnos ad orbis imperium olim vocaverat, profuga dein et extorris, in templis, tribunalibus et lyceorum cathedris vix receptaculum invenit. Deam hanc tamen, regno licet ſuo evolutam, ex tanto temporis et rerum intervallo conſtanter veneremur. Quamvis ea hodie non bella pacemve decernat, non leges figat atque refigat, non reges conſtituat atque deponat, iuribus certe nonnullis adhuc gaudet et privile-

vilegiis, quæ Academicæ præſertim iuventuti, bonarumque adeo artium cultoribus eam commendabilem reddunt. Venit ſubinde tempus, quo umbratilis exercitii fructus, in ſplendida Auditorum corona ſe felix manifeſtat. Delegit autem ſibi Orator noſter, ex præteritorum ſeculorum Hiſtoria, hodiernis temporibus apprime conveniens dicendi argumentum, CAROLUM ANDEGAVENSEM IN REGNO NEAPOLEOS VICTOREM. Recitationi dies dicatus eſt Iovis, qui erit XVII. Novembris, hora X. Cui Actui præſentes ut intereſſe velint, omnes omnium ordinum Eloquentiæ Patronos, Cultores et Alumnos decentibus formulis invitamus.

Scrib. Argentorati ipſis Nonis Novembribus

MDCCXXXV.

AD

AD ORATIONEM CAROL. CHRISTOPH. ECCARDI NOVUM INVENTAE TYPOGRAPHICAE ARTIS SECULUM LITERATO ORBI GRATULATURI.

A. MDCCXL.

Novum inventæ Typographiæ Seculum hoc anno condit Orbis Literatus; beneficii, quo maius ipſi providentia divina largiri non potuiſſet, renovaturus memoriam. Trecenti nimirum anni ſunt, ex quo divinæ Artis origines Rhenus noſter omnium primus vidit et ſtupuit. De literarum inventarum gloria magnum olim Ægyptios inter, Phœnices et Græcos agitatum certamen; maius ſuperiore ſeculo de mobilium inventore literarum. Vera enim Typographiæ indoles eiusque utilitas quum in characterum ſingulorum mobilitate conſiſtat, nec Chinenſium profecto, nec Harlemenſium moramur conatus, quorum illi æneis, hi ligneis tabulis, atque adeo Chalcographia et Xylographia ſua genuinæ Typographiæ nonniſi præludere viſi ſunt. Ænearum apud Græcos et Romanos iam deprehendimus uſum. Minois leges metallo inſculpſit Græcia. Militarium coloniarum limites æneis libris perſcripſere Romani, quorum tria millia incendio Capitolino combuſta Suetonius narrat. Legem Veſpaſiani regiam, ut vocant, quæ in Capitolio Romano hodieque ſervatur; Claudii Imperatoris Orationem, quam Lugdunenſes oſtentant; Senatus Conſultum de Bacchanalibus, quod Bibliotheca Cæſarea cuſtodit; Tabulas Eugubinas; miſſiones militum et alias huius generis æneas venerandæ anti-

quitatis reliquias ſilentio præterimus. Sed et literas ligneis tabulis inſculptas vidit ſuperius ævum. Luſoriæ illæ chartæ, ab Auguſtanis et Noribergenſium artificibus, imo et apud Britannos ſeculo iam XIV. confectæ, eadem ratione impreſſæ fuerunt, qua Laurentii Coſteri *Speculum humanæ ſalvationis*, ab Harlemenſibus tanta cum cura cuſtoditum. Moguntiam ergo et Argentoratum inter de genuinæ Typographiæ, literarumque adeo mobilium, ſive ex ligno, ſive ex metallo ſculptarum, inventione unice diſceptatur. Magno ſe iudice quæque tuetur. Bonam cauſam Argentoratenſes noſtri iam pridem defenderunt; num bene defenderint paucis diſpiciendum eſt.

GUTENBERGIUM Italorum, Gallorum, Britannorum, Hiſpanorum Germanorumque Annales unanimi fere voce declarant Typographiæ auctorem. Celebrant hoc anno ambitioſa ceremonia artis ab eo inventæ memoriam plures Germaniæ Helvetiæque civitates, ignaræ profecto, ſe vel inſcias Argentoratenſium cauſſam agere, atque inventionis gloriam Argentinæ eo ipſo tribuere, quod ad hunc annum tanto cum conſenſu artis inventæ exordia referunt. Latet eas, Gutenbergium illis ipſis Typographiæ naſcentis temporibus, per plurium annorum ſeriem Argentorati aluiſſe familiam, variis artibus inveniendis tractandisque ibidem incubuiſſe, eique fini diverſas in civitate noſtra iniviſſe ſocietates, adeoque diuturni temporis incolam, civis inſtar, cum animo commorandi fortunarum ſuarum ſedem in ea

fixiſſe

fixiſſe conſtanter. Scilicet in Regeſtis illius ſeculi et commentariis rationum publicis, quos Curiæ noſtræ ſcrinia cuſtodiunt, *Ioannis Gensfleiſch, alias dicti Gutenberg de Moguntia*, ut Argentinenſis incolæ, ab A. MCCCCXXXIV. per totum ſequens decennium occurrit memoria. Ille hoc anno apud Proceres noſtros de urbe Moguntina, patria ſua, cuius ſcribam vi ceperat captivumque detinuerat, quod reditus ipſi debiti non perſolverentur, queſtus eſt. Ille A. MCCCCXXXVII. apud Epiſcopalem Argentinenſium Iudicem, a Nobili quadam Virgine Anna, Gentis ſuæ ultima, quæ a (a) *Ferrea Porta* nomen tulerat, accuſatus eſt, eamque deinceps duxit uxorem. Ille Annis MCCCCXLI. et MCCCCXLII. Capitulo Thomano vadem et ſponſorem ſolemnibus formulis ſe obtulit; ille per plures annos nova, quæ Magiſtratus, temporum neceſſitate coactus, impoſuerat tributa ſolvit; atque per totum illud temporis ſpatium, quo Argentorati verſatus eſt, ſolers ſedulusque rerum mirabilium fuit indagator; id quod ſententia, cum A. MCCCCXXXIX. inter eundem et ſocios, quos arcanorum ſuorum participes reddidit, controverſia oriretur, a Iudicibus Argentinenſibus lata nos docet. Enimvero quid coniicere nos vetat, inter ipſa hæc arcana, typographicæ quoque artis extitiſſe rudimenta. Quodſi profecto Gutenbergium ea profitetur auctorem, ſi origines eius ad Annum MCCCCXL. quod Wimphelingius et tot alii Scriptores, tot urbium celeberrimarum traditio conſtans et conſenſus teſtantur, referendæ, nata-

(a) *Zu der Iſerin Ture.*

les eius Argentorato adſcribere nemo niſi iniquus rerum æſtimator dubitabit. At fatendum ingenue, prima tantúm artis indigeſtæ lineamenta literis primo ligneis, ſeparatis et mobilibus, quas Specklinus noſter adhuc ipſe viderat, apud nos ducta fuiſſe. Succeſſere mox ſculptæ ex plumbo ſtannoque, donec Gutenbergius Moguntiam, ad ſolum ſcilicet natale, neſcio quo fato quove anno, Argentina redux, Ioanne Fauſto impenſas ſuppeditante, adiutore præſertim Petro Schœffero, fuſilium characterum circa A. MCCCCLII. inventore, ultimam arti nobiliſſimæ ibidem impoſuit manum. Adeo ut origines ſuas Argentorato vere debeat ars illa divina; perfectionem Moguntiæ. Neque vero ſententiæ noſtræ adverſantur ipſi Moguntinenſium Patroni, quando Ioannes Trithemius, illi ætati ſuppar, ex ipſo Petri Schœfferi ore ſua narrans, et Petri filius Ioannes Schœfferus ceterique, qui eos ſecuti ſunt, iuniores artis huius, a Gutenbergio apud eos cœptæ, Epocham nonniſi ad A. MCCCCL. ponunt; quæ chronologia noſtris cum documentis mire concordat, clareque docet, Moguntinos nihil ex omni illo tempore, quod A. MCCCCL. præceſſit, et ad quod vera Typographiæ initia referuntur, ſibi arrogare, omnemque adeo artis naſcentis ab A. MCCCCXL. ad MCCCCL. a Gutenbergio exercitæ, gloriam nobis relinquere. Trithemio nimirum Schœfferus indicavit tempus, quo Gutenbergius artem Moguntiæ primum exercuit; operæ, quam ille Argentorati iam ante eidem impenderat, vel ignarus, vel eam maligne celans, aut prima Typographiæ rudimenta

con-

contemnens, ſuamque adeo Moguntiam, artis perfectricem, unice reſpiciens; ſuo ſimul et ſoceri ſui Fauſtii velificatus honori. Reddimus Moguntinis beneficium, quod illi nobis ſponte obtulerunt. Argentinam patriam Gutenbergio aſſignant Annales eorum; aſſignant Wimphelingius, Hedio, Colonienſe illud Chronicon vetus, aliique bene multi Scriptores inſignes, qui unanimi omnes voce Gutenbergium clamant Argentinenſem. At ille Moguntinus profecto fuit; id noſtra monumenta evidenter teſtantur. Verum enimvero qua in urbe invenerit; in qua primum tractaverit artem Gutenbergius, non qua in urbe natus ſit, heic præſertim diſquiritur. Genuenſium Reipublicæ quis umquam novi Orbis inventionem adſcripſit, Genuenſis quod patria fuerit Chriſtophorus Columbus. Ergo Moguntini Gutenbergium hactenus Argentinenſem crediderunt, qui Moguntiæ Typographiam invenerit; nos inverſa iam ſententia, Gutenbergium Moguntinum artem Argentorati inveniſſe docemus. Nec deſunt nobis libri, neglecti hactenus vel ignorati, qui prima artis incunabula haud dubie produnt, literis pinguioribus, inæqualibus, ex ligno ſculptis, male cohærentibus atque atramento pallido, absque ulla temporis locive nota impreſſi. Quæ prima tentamina, cum Moguntinenſes vindicare ſibi nec poſſint nec velint, quorum periodus perfectiora poſt Annum MCCCCL. produxit, ad primam Typographiæ balbutientis epocham, quæ Argentinenſis eſt, illa referre quid prohibet? Faceſſat ergo *Ioannes Mentelius*, quem maiores noſtri in ſcenam produxerant, Typo-

graphiæ apud Argentinenſes natæ auctorem. Faceſſat *Gensfleiſchius* ille, quem perfidum Mentelini famulum, Argentorato profugum, Gutenbergio artis myſteria Moguntiæ detexiſſe ſcribunt; Speckliniani, ut et alterius Chronici MS. quæ in Scriniis Curiæ noſtræ ſervantur, narratione inducti; illorumque adeo, quæ longe certiora et indubia modo allegavi, quæque ſuo tempore luci daturus ſum, monumentorum ignari, quæ in eodem tabulario Civitatis noſtræ publico et in Thomanæ Eccleſiæ privato ſervantur (b). Unum eundemque hominem fuiſſe Gensfleiſchium et Gutenbergium memorata hæc Acta nos docent; alterum cognomen modo fuit additumque gentilitio. Nobilis Gensfleiſchianæ gentis ſtemma in Rhenenſium Familiarum Genealogiis occurrit. Mentelius atque Eggenſteinius Gutenbergii ſocii, vel ſociorum amici, poſt eius diſceſſum, artem Argentorati exercuere et perfecere ſoli, quorum ille A. MCCCCLXVI. Biblia Germanica maioris formæ, hactenus ignota, (qui primus Argentorati liber cum loci, anni et typographi nota impreſſus eſt) hic vero Latina An. MCCCCLXVIII. in eadem hac Urbe noſtra, nomine ſuo inſignita in lucem protulerunt; quos deinceps Adolphus Ruſchius, Martinus Flach, Sixtus Ruſinger, Leorius Husnerus, Ioannes Prys, Matthias Hupfuff, aliique illuſtres in arte Typographica ſucceſſores ſecuti ſunt. Quis itaque mirabitur, ſi in ſolenni tot illuſtrium Germaniæ Helvetiæque Civitatum, Typographi-

(b) Publica Ampliſſimi Viri Conſularis *Wenckeri* liberalitati debemus; Thomana vero ſuggeſſit Collegiatæ huius Caput, Conſultiſſ. *Schertzius*.

graphici, quod vocant, Iubilæi celebratione, noſtra ſe quoque extollit Argentoratus, quando illius præſertim cauſſa ab omnibus, vel inſciis, agitur; quippe quæ primam artis inventæ periodum optimo ſibi iure vindicat. Conſtans harum urbium per tria ſecula traditio, ad gloriam urbis noſtræ firmandam egregie conſpirat. Sint ergo ſalva ſua iura Argentorato, ſint ſalva Moguntiæ, utraque debitam, illa inventæ, hæc perfectæ artis, ſibi gloriam vindicet; periodumque Moguntinam, quæ ab A. MCCCCL. demum incipit, Argentinenſis, ignota hactenus vel male intellecta, præcedat. Enimvero publica et ſecularis tanti miraculi, in urbis noſtræ ſinu nati, commemoratio eo magis a nobis inſtituenda hoc anno, quod, cum ſuperior ætas dubiis, infirmis, immo et falſis argumentis rem ſibi debitam vindicare ſategerit, nobis in clariore luce verſantibus, veritas evidentior ponatur ob oculos. In ceteris prememus avorum veſtigia, ſecularia Sacra priſco more renovaturi, ne tanti beneficii memoriam depoſuiſſe, aut artis præclaræ, apud nos inventæ, laudem deſeruiſſe videamur.

Produco hunc in finem Ephebum, ſororis noſtræ filium, *Carolum Chriſtophorum Eccardum*, literarum humaniorum Cultorem, qui Artis Typographicæ tirocinia proditurus, ipſe artis Oratoriæ tirocinium edet, atque adeo Auditorum, quos ex omnibus Ordinibus decenti formula ad hunc Actum invitamus, indulgentiam meretur. Habebitur Oratio proximo die Iovis, qui erit XIII. Octobris, hora X. PP. Argentorati Nonis Octobris MDCCXL.

AD

AD ORATIONEM IO. DAN. FROEREISENII PACEM WESTPHALICAM VERUM FELICITATIS ALSATICAE FUNDAMENTUM PROPOSITURI.

A. MDCCXLVIII.

Libertatis ſuæ Palladium Galliæ Germania debet, uti ſuam olim ſecuritatis Deam Troianis debuerat Roma. Hæc, antequam acciperetur ab Italis, flamma ferroque perdenda fuit Italia. Marſi, Rutuli, Etruſci inter ſe, et cum advenis Troianis, in fatale nefas ruebant, cum Palladis imago, Romani olim Imperii tutelaris futura, in illis oris figeretur. Centum anni ſunt, ex quo ſublimi Libertatis ſuæ trophæo gloriatur Germania; ſed quot peſtibus prius eluenda, quam illud erigeret! Ignis diu ſub cineribus gliſcens, apud Bohemos tandem quum erupiſſet in flammam, univerſas Germanici Regni tanto cum furore mox invaſit provincias, ut ad remotiſſimos eius angulos penetraret. Miſera Alſatia, Germaniæ limes, in favillas fere redacta tum fuit; omnium gentium præda. Enimvero non ſoli infeſtis inter ſe armis in omne nefas præcipitabantur Germani, ſed Hiſpanus, Danus, Suecus, Belga, Britannus, in fervida hac Martis palæſtra, magno cum impetu et furore per ſex luſtra certarunt. Omnium poſtrema in eadem comparuit Gallia; ſine qua Libertatis Germanicæ propugnatores perierant Sueci. Ex his tandem malis, veluti ex cineribus ſuis, reſurrexit Germania; tot calamitatum præmium ſublime reportans, Weſtphalicam Pacem. Hanc ſi nonniſi per tot peſtes et vulne-

vulnera, per tot pugnas et clades obtinere potuit conſtantiſſima natio, tam illuſtri, tam auguſta mercede, nulla mala non placent. Purior et felicior aura ab ipſo hoc pacis reſtitutæ tempore afflavit Germaniam. Sed et ab eodem Gallicā Alſatiæ Periodus ſua auſpicia cepit, omnium eius periodorum poſtrema, et feliciſſima omnium; qua hæc Galliæ veteris provincia ad priſtinos ſuos Cives reducta eſt, novumque adeo ſeculum condidit. Nos itaque, ne tanquam Sigaliones in ingrato ſilentii templo collocati videamur, noſtræ ſecuritatis exordia memori et grata mente recolere par eſt. Faciet hoc excitati et præſtantis ingenii Adoleſcens, Dn. IO. DANIEL FROEREISEN, Argentoratenſis, bonarum literarum eximius Cultor, Patris Venerandi florentiſſima proles; qui Secularia hæc Sacra brevi celebraturus eſt Oratione. Iuvenis præco non argutis argumentis, e longinquo petitis; non fallaci aut ambiguo verborum apparatu, ſed ipſis rerum, quas ſentimus, quas cernimus, experimentis *Weſtphalicam pacem verum felicitatis Alſaticæ fundamentum* proponet. Accedite Proceres, et ex omnibus Ordinibus Cultores Literarum, Cives et Exteri, atque conatus hos Veſtro animate applauſu. Prodibit Orator die Lunæ, 2do Decembris, hora XI. loco conſueto. PP. Argentorati v. Cal. Dec.

MDCCXLVIII.

INSCRIPTIONES.

EPITAPHIUM PHIL. CHRIST. GEYLING AB ALTHEIM.

A. MDCCV.

B. M.

PHILIPPI. CHRISTOPHORI. GEYLING

AB. ALTHEIM

Maiorum. ſplendore. magni

propria. gloria. maximi

Gallia, Belgio, et. Germania. teſtibus

quas. inclytus. hoſpes. luſtravit

inſigni. meritorum. laude. coniunxit

Luxenburgum. et. Vindobona

Martios, Iuvenis. ſpiritus. miratæ

applaudente. Ludovico. M. ſtupentibus. Turcis

Tot. palmas. foris. acquiſitas

Toga-

Togatus. mox. Heros

in. Hanoica. Aula. ſuſpendit

ubi. intimioribus. adhibitus. Conſiliis

maximis. admotus. dignitatibus

prudentia. humanitate. doctrina

Summi. et. Pii. Aulici. exemplo. glorioſus

divinæ. nunc. Aulæ. purpuratus

immortale. cunctis. deſiderium. reliquit

florentiſſimam. Patriæ. ſobolem. oppigneravit

bis. Maritus. tredecies. Pater

Obiit. v. Kal. Sext. MDCCV. æt. LI. an. II. mens.

mœſtiſſima. Coniux

et. ſeptem. ſuperſtites. Liberi

marito. et. patri. opt. mer.

mon. hoc. pos.

EPITAPHIUM IAC. FRID. WORMSER A VENDENHEIM

A. MDCCIX.

Æternæ. Memoriæ

IACOBI. FRIDERICI. WORMSER

A. VENDENHEIM

Conſiliarii. Intimi. et. Præfecti. Hanoici

quem

Argentina. produxit

proſapia. et. virtus. ornavit

Hanoica. Aula. evexit

ubi

luſtrato. itineribus. orbe

meritorum. gloria. conſpicuus

inter. ipſa. divinæ. aulæ. præludia

mortalibus. eripitur. d. XXXI. Dec. MDCCIX. æt. LV. an. IV. menſ.

verum. Hanoicæ. terræ. palladium

a. cœ-

a. cœlo. ut. videbatur. depoſitum
ut. omnium. deſideria. interpretantur. oſtenſum
Ita. dum. terram. relinquit
cœleſtis. in. terra. civis. æternum. vivit
Prudentia. juſtitia
humanitate. atque. innocentia
Aulæ. et. civibus. admirandus
Patria
cum. nec. pater. nec. maritus. eſſet
infinitis. patrem. clamantium. lacrymis
elatum. vidit
mœſtiſſima. Soror
qua. debuit. pietate. vivum. amavit
qua. poteſt. mortuum. nunc. reſtituit.

EPITAPHIUM IO. BENED. SCHNEIDERI.

A. MDCCXII.

Monumento. hoc. conditus

IO. BENEDICTUS. SCHNEIDERUS

Civitatis. Colmarienſis. Conſul

ubi. natus. A. MDCLVI.

Patrem. habuit

de. Alſatia. optime. meritum

morum. exemplar

Filius

Germaniam. et. Galliam

itineribus. junxit

quorum. fructus

in. patriæ. ſinum. effudit

ſummis. in. ea. honoribus. functus

præ-

præpropero. eidem. fato. ereptus

A. MDCCXII.

nulla. ſuſcepta. ſobole

infinitis. patrem. clamantium. lacrymis

elatus

Marito. cariſſimo

Vitrico. optimum. patrem. agenti

mœſti. poſuerunt

Maria. Buobia

Io. Rudolphus. Graff

Conſul. Colmar.

EPI-

EPITAPHIUM IO. RUD. GRAFFII.

A. MDCCXIV.

Beatis. Manibus

IO. RUDOLPHI. GRAFFII

Colmariæ. Conſulis

meritis. clari

qui

A. MDCLXXX. die. XII. Auguſti

ibidem. natus

prius. orbus. quam. natus

patrem. ſepelivit

antequam. vidit

Argentinenſibus. Muſis

Birckenfeldenſis. Palatini. Aulæ

ſummis. denique. patriæ

admo-

admotus. honoribus

eam. brevi. poſt

orbam. reliquit

pater. ejus

cum. vix. eſſe. inciperet

atque. patris. monumentum. pararet

ſuo. præludens

die. XII. Maji. A. MDCCXIV.

ad. Curiæ. cœleſtis. proceres

translatus.

EPITAPHIUM ANNÆ MARIÆ OBRECHTIÆ, NATÆ BOECLERIÆ.

A. MDCCXIV.

ANNA. MARIA

nata. Argentorati. A. MDCXLVII.

BOECLERI. FILIA

OBRECHTI. UXOR

tanto. pari. par. ipſa

ſatisfecit. herois

editis. magnæ. conſtantiæ. exemplis

diuturnos. inter. dolores

a. pugnis. ad. palmas

vocata. deceſſit

A. MDCCXIV.

die. XXIII. Dec.

EPI-

EPITAPHIUM CONR. COMITIS A ROSEN

A. MDCCXV.

CONRADUS. COMES. A. ROSEN

Franciæ. Mareſcallus

Regiorum. Ordinum. Eques

heic. ſitus. eſt

quem

claris. et. antiquis. Livoniæ. natalibus. ortum

Suecia. Galliæ. adoleſcentem. transmiſit

Gallia. per. ſingulos. militiæ. gradus

ad. ſummum. evexit

qui

Regi. Regno. et. Exercitibus. carus

Ludovici. Magni. gratia. ante. plurimos. florens

in. ſumma. fortuna. pius. et. humilis

 gene-

genere. genio. geſtis. pernobilis

Filii. et. quinque. filiarum. ſuperſtitum

Pater

poſt. ſeptendecim. luſtra. cum. biennio. exacta

tertio. nonas. Sextiles

Anno. MDCCXV.

magnus. et. conſtans. Martis. alumnus

morte. ceu. ſomno. ſolutus. eſt

Filius

pietati. ſuæ. poſteriſque. proſpiciens

dum. Patrem. luget. heroem. hoc. monumento. exornat.

EPI-

EPITAPHIUM SORORUM SALOMÆ ET MARGARETHÆ DE ROTHBERG.

A. MDCCXV.

Brevibus. Domus. ſuæ. deliciis

naſcendi. moriendique. ſorte

coniunctiſſimo. Sororum. Pari

SALOMÆ

natæ. die. XXVI. Iunii. Anno. MDCCVIII.

defunctæ. die. V. Novembr. Anno. MDCCXV.

et. MARGARETHÆ

natæ. die. IX. Iunii. Anno. MDCCIX.

defunctæ. die. XXV. Octobr. Anno. MDCCXV.

tam. arcano. animarum. nexu

ut. durare. altera. in. terris. non. poſſet

cum. altera. cœlum. petiſſet

quo. cum. parentum. educatio. duceret

et. ubi. expectaturi. ipſas. erant

 ſed

ſed. ut. illorum. erant. vota

poſt. proſperam. canitiem

poſt. viſam. ex. illis. poſteritatem

converſo. heu. fatorum. ordine

illæ. curas. et. deſtinata. terrena

cœleſti. celeritate. prævenerunt

Monumentum. doloris. pietatisque

mœſti. poſuerunt. Parentes

LEOPOLDUS. MELCHIOR

DE. ROTHBERG

Sereniſſimi. Marchionis. Bada. Durlacenſis

Conſiliarius. Intimus. Aulæque. Præfectus

et

SALOME. DE. ROTHBERG

NATA. DE. GVNTZER.

EPI-

EPITAPHIUM SIGFRIDI BOCK DE BLÆSHEIM ET GERSTHEIM

A. MDCCXVII.

Hic. ſitus. eſt

SIGFRIDUS. BOCK

DE. BLÆSHEIM. ET. GERSTHEIM.

Alæ. Regiæ. Præfectus

in. Hungaria. Flandria. ad. Rhenum

virtutibus. militaribus. cluens

ſummis. æqualibus. infimis

obſequio. fide. humanitate

gratus

Domus. ſuæ. delicium

poſt. bellicas. palmas

heros. togatus

Lega-

Legatione. ad. Regem

feliciter. functus

cælibem. vitam

in. conſortio. virtutum

clauſit. nonis. April.

M D C C X V I I.

ætatis. L I.

Frater. relictus

bene. merenti,

H. M. P.

EPI-

EPITAPHIUM MAR. SAL. BRANDTIÆ.

A. MDCCXVIII.

MARIA. SALOME. BRANDT

nata. Francof. ad. Mœn. XVI. Cal. Oct. MDCXCIX.

IO. DANIELE. BRANDTIO

ELISABETHA. KNIEBSIA

optimis. parentibus

Felici. morum. ultra. ætatem

gratiæ. ſupra. ſexum. connubio

Charitum. numerum. auxit

unicas. Domus. ſuæ. delicias. fecit

Phœnicem. temporis. noſtri. diceres

ſi. ſui. ſimilem. reliquiſſet

Innupta. multorum. lacrymis. extincta

dum. enim. annorum. ſeries. ipſi. deſtinatur

pro. thalamo. tumulum. deſtinante. Deo

terram. cœlo. commutat. VII. id. Ian. MDCCXIIX.

cum. vitæ. brevitatem. innocentia. penſaſſet

nunc. ipſa. æternitate. compenſat

ubi. inter. ſacros. cœleſtium. choros

beata. cataſtrophe. felix

æternum. triumphat

Fratres. Sororque. ben. mer. pos.

EPITAPHIUM HENR. DIETER. GEYLING AB ALTHEIM.

A. MDCCXXI.

Hic. ſitus. eſt

HENRICUS. DIETERICUS. GEYLING. AB. ALTHEIM

in. exercitu. Gallico. Tribunus

quem

Proſapia. nobilem. virtus. immortalem. fecit

qui

ab. Ephebis. militiæ. adſcriptus

Regi. Ducibusque. probatus. Heros

ſingulos. honorum. gradus. ſuperando. docuit

inviam. virtuti. nullam. eſſe. viam

Sic. in. belli. theatro

exactis. quinquaginta. annis

Martis. filius. ad. quietem. vocatus

tot. rebus. pro. patria. geſtis. glorioſus

cœlebs. obiit. d. . . . . A. MDCCXXI. æt. LXVIII. m. X.

Patruo. vere. Patrem. agenti

mœſti. poſuere

ex. Fratre. Nepotes.

EPITAPHIUM ANNÆ CLARÆ GEYLING AB ALTHEIM, EX WORMSERIIS.

A. MDCCXXII.

Generoſiſſimæ. Matronæ
ANNÆ. CLARÆ. GEYLING. AB. ALTHEIM
quæ
ex. Wormſeriis. d. XVII. Dec. MDCLXVII. orta
Splendorem. genti. ſuæ. reddidit
quem. accepit
ſed. et. novum. Geylingianæ. intulit
aucta. florenti. ſobole. familia
novies. mater
aucto. Charitum. numero
ſi. Chriſtiana. certamina. ſpectes
aucta. quoque. Heroidum. ſerie
magni. Mariti. digniſſima. Conjux
Liberorum. amore. orbitatem. ſuſtinuit
nunc. felix. recepta. cœlo
die. . . . . A. MDCCXXII.
æternum triumphat
quatuor. Filii. duæque. Filiæ
ſuperſtites. pos.

EPITAPHIUM IEREM. ADAM. LEITERSPERGERI.

A. MDCCXXII.

IEREMIAS. ADAMUS. LEITERSPERGER
Conſularis. Tredecimvir. atque. Scholarcha
natus. Calend. Sept. A. MDCLXVII.
vitam. quam. Argentinæ. accepit
eidem. impendit
a. Caſtris. ad. Rempubl. translatus
Fortitudine. Sagum
Prudentia. Togam. illuſtravit
Magnatibus. carus
Civibus. venerandus
ſemel. maritus. ſexies. pater
obiit. d. XXVI. Mart. MDCCXXII.
mors. ipſi. quod. mortale. eripuit
fama. quod. immortale. ſervavit
Conjux. et. Filius. ſuperſtites
optime. merenti
M. H. P.

EPITAPHIUM IO. CASP. MUSTINGERI.

A. MDCCXXIX.

Beatis. Manibus

Viri. Iuvenis

IO. CASPARI. MUSTINGERI

Med. Doct. et. Practici

quem

Argentina. nobilem. ſibi. genuit. alumnum

ſummis. in. arte. medica. honoribus. auxit

mortuum. acerbe. deflevit

ſcilicet. luſtrata. itineribus. Europa

cum. meritis. annos. præcurreret

cum. dies. noctesque. mortem. debellaret

factus. eſt. ſubito. victima. mortis

d. XVI. Dec. A. MDCCXXIX.

apoplexia. correptus

ſuo. docuit. exemplo

et. Medicum. ſtantem. mori. decere

explevit. annos. XXXVIII. m. IV. d. XIII.

mœſtiſſima. conjux. improlis
SUSANNA. SALOME. SPIELMANNIA
dum. optimum. maritum. luget
tumulo. hoc. gaudia. ſua. tumulat
et. quantum. in. ipſa. eſt
memoriam. ejus. æternitati. conſecrat.

* * *

In ſummitate monumenti ſunt duo ſymbola heroica

1. Palma, cum Inſcript. *Virore perenni.*

   Palma fuit gentilitium inſigne Muſtingeri.

2. Palma cadens, circa quam hedera, cum Inſcript.

   Nec morte divellar.

   Viduæ denotatur amor in maritum.

EPITAPHIUM IO. HENR. BOECLERI.

A. MDCCXXXII.

IOANNI. HENRICO. BOECLERO

Magni. Bœcleri. Nepoti

Ioannis. Filio

qui

Collegium. Patriæ. Argentinæ. Thomanum

Canonicus. Decanus. Præſes

Academicam. Iuris. Cathedram

Doctor

per. ſex. fere. luſtra

prudentia. doctrina. meritis

illuſtravit

Obrechti. et. Schilteri. alumnus

avitæ. gloriæ. æmulus

ex.

ex. ANNA. MARIA. SCHWENGSFEVRIA

Filiæ. unius. A. MDCCXXIV. defunctæ. pater

integritate. et. innocentia. vitæ

juſtitiæ. et. æquitatis. amore. conſtanti

modeſtia. comitate. candore

omnibus. venerabilis

apoplexia. improlis. occidit. d. XII. Ian. MDCCXXXII.

ætatis. quinquageſimo. tertio

ANNA. MARGARETHA. MIVILLIA

Conjux. ſecunda

Mariti. memoriæ. Cenotaphium. poſuit

Polyandrium. ad. d. Galli. corpus. abſcondit.

EPI-

INSCRIPTIO SPECULÆ ASTRONOM. ARGENT.

A. MDCCXXXIV.

Anno

Æræ. Chriſtianæ

MDCCXXXIV.

Regio. Argentoratenſium. Prætore

Muſarumque. Patrono

FRANCISCO. IOSEPHO. A. KLINGLIN

Speculatoria. hæc. Siderum. Turris

medios. inter. Martis. furores

altior. et. ex. vetuſtate. venuſta. ſurrexit

Opus. ſartum. ſanctum. omnes. ſciunto

Procerum. liberalitatem. liberaliter. prædicanto

Vraniæ. noſtræ. perennitatem. precantor.

EPITAPHIUM FRID. LUD. WALDNER A FREUNDSTEIN.

A. MDCCXXXV.

Hic. ſitus. eſt

Alſaticæ. Nobilitatis. decus

FRIDERICUS. LUDOVICUS. WALDNER

A. FREUNDSTEIN

Schweighuſæ. Bervillæ. Beroldivillæ

Sirenzii. Dynaſta

ſtrenuus. Virtutis. et. Muſarum. alumnus

ad. Electorales. Regias. et. Cæſaris. Aulas. Legatus

Ludovici. XV.

munificentiam. meritus

quinque. Filiorum. et. quatuor. Natarum

ſuperſtitum. Pater

Mul-

Mulhuſii

quem. natalem. et. fatalem

expertus. eſt. locum

apoplexia. correptus. A. Chr. MDCCXXXV. XVII. April.

Ætatis. LVIII. mens. . . . dier.

mœſtiſſima. Conjux

FRANCISCA. SALOME. WORMSERIA

A. VENDENHEIM

nupta. XXIV. Mart. MDCCVII.

perennis. in. Maritum. pietatis

monum. hoc. pos.

INSCRIPTIO THEATRI ANATOM. ARGENT.

A. MDCCXXXVII.

Regio. hujus. Urbis. Prætori
FRANCISCO. IOSEPHO. A. KLINGLIN
Muſarum. Tribocenſium. glorioſo. Statori
et
Procerum. Munificentiæ
nova
Theatrum. Anatomicum
debet. Cimelia
Conſcia. felicitatis. ſuæ
grata. Hygea
tot. merita. immortalitati. transmittens
ſeculis. futuris
marmor. hoc. poſuit
Anno. Æræ. Chriſtianæ
MDCCXXXVII.

EPI-

EPITAPHIUM IO. HENR. LEDERLINI.

A. MDCCXXXVII.

IN ÆDE THOMANA.

IOANNI. HENRICO. LEDERLINO

Linguar. Oriental. in. Acad. Argent. Prof. Publ.

Collegii. ad. D. Thomæ. Decano

et. Gymnaſiarchæ

qui

Argentorati. natus. xv. Kal. Sext. MDCLXXII.

Origines ſuas. Doctrinæ. gloria. illuſtravit

Theſauros. Orientis. in. Patria. paratos

in. Batavia. et. Gallia. auctos

Ore. et. Scriptis

per. Orbem. Literatum. diffudit

dubium

Græcis. Hebraicis. Syriacis. an. Arabicis

 majo-

majorem. reputaret

ter. Academiæ

duodecies. Ordinis. Philoſophici. Rector

bis. Maritus. undecies. Pater

obiit. et. ſepultus. eſt

Oberbrunnæ. ad. Voſagum. A. MDCCXXXVII. III. Sept.

Mortem. invenit. ubi. Sanitatis. præſidia

non. ſemel. quæſiverat

Vir. moribus. antiquis. candore. conſtantia

nulli. ſecundus

Conjux. duæ. Filiæ. ſuperſtites. Generique

optime. merenti

monumentum. hoc. poſuerunt.

EPI-

EPIGRAPHE MONUMENTI SUMMITATI VIAE REGIAE IUSSU LUDOVICI XV. IN VOGESO A. MDCCXXVIII. FACTAE IMPONENDI. *)

Parta. Orbis. Tranquillitate
Lotharingiæ. Barrique. Ducatibus
Regno. adjectis
Viam. hanc
per. Montium. Cacumina. duxit
LUDOVICUS XV.
Alſatiam. cum. Lotharingia
Rhenum. juncturus. cum. Sequana
Clauſtra. ſua. Commerciis. Populorum
tam. aperta
Vogeſus. ſtupet
Opus. A. MDCCXXXVII. perfectum.

*) Extat hæc Inſcriptio Alſat. Illuſtr. Tom. II. pag. 138.

IN-

INSCRIPTIO IN IUBILAEUM SERENISS. PRINCIPIS ERNESTI LUDOVICI LANDGRAVII HASSO-DARMSTATTINI CUM L. ANNIS PRINCIPATUM TENUISSET.

A. MDCCXXXVIII.

Accurrite. Catti
Ludos. ſpectatum. Seculares
quos. Veſter. vobis. parat. Neſtor
ERNESTUS. LUDOVICUS
quinque. ſuo. ſceptro. Iubilæa. emenſus
qui
decem. ipſe. luſtris. imperando. exactis
dulcius. Se. Ipſo. ſpectaculum. vobis. dare. non. poteſt
renovatus. Sol. Patriæ. oriens
novum. vobis. ſeculum. ſeculique. felicitatem. annuntiat
qui. ferreum. Iani. templum. apud. vos. clauſit
ut. Themidis. et. Aſtrææ. aperiret. delubra
ut. in. civium. ſuorum. cordibus
focos. Sibi. aras. atque. templa. erigeret
Ipſe. omnium. virtutum. Pantheon
Religioni. Muſis. Gratiisque. amabilis
conſtantia. Hercules. virtute. Achilles
juſtitia. Chiron. clementia. Titus

qui.

qui. omnia. ſuæ. ſtirpis. heroum. encomia
quos. magnanimos. pacificos. ingenuos
doctos. conſtantes. pios. ſapientes
grata. appellavit. poſteritas
Ipſe. grandævus. Heros
fatis. ſuis. factisque. comprendit
Genius. tutelaris. Haſſiæ
cujus. felicitati. ut. mature. proſpiceret
fulgidam. ſui. imaginem
ſublimem. virtutibus. Filium
et. florentiſſimam. Nepotum. trigam
pignora. benignitatis. divinæ
oſtentat. Subditis. oſtentat. Germaniæ. oſtentat. Europæ
quæ. junctis. cum. Haſſia. votis
tanti. ſideris. Teutonici. famam
dum. cœlo. adſcribit
omnibus. poſterorum. ſeculis
admirandam. proponit.

EPITAPHIUM LUDOV. GAYOT.

A. MDCCXXXVIII.

Hic. ſitus. eſt

LUDOVICUS. GAYOT

Pariſinus

Regiis. miſſionibus. clarus

quas

in. Lutetienſi. Nicienſi. et. Alſatica

Provinciis

dextre. liberaliterque

peregit

Summis. et. Infimis

Sagatis. Togatisque. amabilis

Alſatiæ. præſertim. carus

quam. Pro - Satrapa. ſæpe. rexit

Iuſtitiæ. Candoris. Probitatis

exemplar

deceſſit. Argentorati. XVI. Kal. Sextil.

Anno. Salutis. MDCCXXXVIII. Ætatis. LXXIII. mens. V.

Conjux. et. Filiorum. ſuperſtitum. Par

pietatis. ſuæ memores

Monumentum. hoc. mœſti. poſuere.

IN-

INSCRIPTIO HOSPITALIS HAGENOENSIS.

A. MDCCXXXVIII.

CAROLI. PHILIPPI

Electoris. Palatini

æquitate. munifica

Hagenoenſe. Noſodochium

poſt. undecim. luſtra

ex. cineribus. bellicis

novum. pulchriusque. reſurrexit

Anno

MDCCXXXVIII.

operis. Promotore

N. N. A. GAIL

Regio. hujus. urbis. Prætore.

EPITAPHIUM DAN. SCHOEPFLINI

A. MDCCXXXIX.

Teguntur. hic. oſſa

DANIELIS. SCHOEPFLINI

Rœtelenſis

qui

Principi. olim. ſuo

a. rationibus

Alſatiæ. dein. civis

cum. MARGARETHA. BARDOLLIA

Colmarienſi

Septem. Liberos. ſuperſtites. genuit

felix. Maritus

haud. infelix. Pater

pius. in. ſuperos

innocentia. et. candore

omnibus. amabilis

obiit. placide. ut. vixit

Monaſterii. A. MDCCXXXIX. d. XII. Jun.

ætatis. LXXVI. Ann. III. mens.

Tres. filii

paternorum. in. ſe. meritorum. memores

Optimo. Genitori

monum. hoc. poſuere.

MONU-

MONUMENTUM
ERECTUM BRUNDRUTI IN MEMORIAM REBELLIONIS
SEDATAE A. MDCCXL.

LUDOVICO. XV. GALLIARUM. REGI

quod

ſub. regimine

JACOBI. SIGISMUNDI. A. REINACH

Principis. et. Epiſcopi. Baſil.

FRANCISCO. MARIA. COMITE. DE. BROGLIO

Franciæ. Mareſchallo

Superioris. et. Inferioris. Alſatiæ. Pro-Rege

dirigente

FRANCISCUS. VICTOR. COMES. DE. BROGLIO. FILIUS

Luxemburgenſis. Legionis. Tribunus

Mille. ducentis. ex. Peditatu. et. Equitatu. Francico

ſelectis. militibus

Anno. MDCCXL.

octo. menſium. ſpatio

Civiles. in. Raurica. motus. pacavit

Principatum. Principi. ſibique. reſtituit

immortalis. beneficii. memores

monumentum. hoc

Brundrutani. poſuere.

EPITAPHIUM IO. HENR. DECKERI.

A. MDCCXLI.

IOANNI. HENRICO. DECKERO.
Typographo. Regio
quem
civem. genuit. Baſilea
Colmaria. nutrivit
probitas. integritas. candor
ſummis. æqualibus. infimis
reddidit. venerabilem
qui
vixit. triginta. annorum. Conjux
quinque. liberorum. Pater
octo. nepotum. Avus
diuturnis. conflictatus. doloribus
obiit. XXIX. Dec. MDCCXLI. ætat. Annor. LXII.
morte. ſi. Chriſtianum. reſpicias. pia
ſi. deſiderium. ſuorum. præmatura
SUSANNA. DOROTHEA. NATA. WILDIA
Filius. duæ. Filiæ. Generique
optime. merenti. monum. pos.

IN-

INSCRIPTIO MOLIS ROHANEÆ ARGENT.

A. MDCCXLIII.

Armandus. Gaſto

PRINCEPS. DE. ROHAN

S. R. E. Cardinalis

Epiſcopus. et. Princeps. Argentin.

Molem

Palatio. adſtructam

e. fundamentis. erexit

ornavit

publicis. commodis. aperuit

Anno

MDCCXLIII.

PIETA-

PIETATIS
FILIALIS. MARITALIS. PATERNÆ
MONUMENTUM
BENIAMIN. GLOXIN. M. D. PHYS. COLM. SER. DOM. PALAT. BIPONT.
ARCHIAT. A. MDCCXLV. EREXIT.

I. PIETATIS FILIALIS.

Hic. ſitus. eſt
GEORGIUS. BENIAMIN. GLOXINIUS
Pauli. Benjamini. Medici. Doctoris. et. Archiatri. Colm. Filius
Quem
Argentoratus. Doctoris. Medici
Patavium. Pro-Syndici
Colmaria. Conſulis. et. Phyſicatus
honoribus
Galli. Germani. Itali
quos. curioſus. hoſpes. inviſit
certatim. extulerunt. encomiis
Qui
bigæ. Filiorum. Filiarumque. trigæ

ex.

ex. Maria. Ursula. Graffia. Pater
multorum. nepotum. Avus
ſexagenarius. obiit
d. XXII. Januar. MDCCXIX.
Meritorum. cumulatus. Gloria
Vir. acer. ingenio
Machaoniæ. Artis. Oraculum
Summis. et. infimis. auxilio. præſens
eminenti. in. fortuna. modeſtus. et. facilis
cum. gravitate. blandus. et. comis
Patriæ. et. Eccleſiæ. columen
in. utriusque. monumentis
immortalia. ſui. monumenta. reliquit
mortale. hoc. æternæ. Patris. memoriæ. dedicant
grati. ſuperſtites. Filii.

II. PIETATIS MARITALIS.

Hic
Socerum. inter. et. Filium
requieſcit
BENIAMINI. GLOXINII. CONIUX
ex. Rœttlinia. gente
CATHARINA. SALOME
tredecim. liberorum. ſex. ſuperſtitum. Mater
Quæ
præcoci. Filii. morte
præcox. puerpera
præcordiorum. anguſtiis. obiit
A. MDCCXLIV. ætatis. XXXIX. mens. V.
Sexus. ſui. decus. eximium
non. magis. Prole. et. Conjuge
quam. Virtutibus. felix
priſca. matronarum. verecundia. et. fide
ſolam. Marito. querelæ. cauſam. dedit
quod. præceſſit. ad. tumulum
quem. lacrymis. irrigat. viduus
perpetuum. amoris mœrorisque. monumentum
hoc. ponens.

III.

III. PIETATIS PATERNÆ.

Breves. ſuæ. Domus. deliciæ

BENIAMINUS. GLOXINIUS

Facultatis. Monſpelienſis. Artium. et. Medicinæ. Doctor

Noſocomii. Regii. Medicus

hic. ſitus. eſt

Aſclepiadeæ. Colmarienſium. familiæ. quartus

Beniamini. Medici. Doctoris. filius

Georgii. Beniamini. Medici. Doctoris. et. Conſulis. nepos

Pauli. Beniamini. Archiatri. pronepos

Qui

Argentorati. Monſpelii. Lutetiæ

cum. per. ſeptennium. Muſis. et. Hygeæ. litaſſet

Iuvenis. fit. victima. mortis

Vix. in. patriam. redux

fructuum. dum. primitias. metit

in. primo. Adoleſcentiæ. flore. demetitur

medios. inter. gloriæ. apparatus

d. XIV. Octobr. MDCCXLIII.

ætatis. XXI. Annorum. V. menſium

Præmatura. morte. obiiſſe. quid. mirum

qui. præmaturus. virtutibus

ſpem. Patriæ. et. Parentum. præverterat

Annos. ſibi. demptos. Filius. moriens. addidit. Patri

Pater. mœrens. breves. Filii. annos

monumento. hoc

producit. ad. poſteros.

EPI-

EPITAPHIUM
IO. CASP. DE HATSEL ET MAR. EVÆ SCHEPPELIÆ
CONIUGUM IN ECCLESIA D. MAGDALENÆ.
A. MDCCXLVII. POSITUM.

Par. nobile. Conjugum

Moribus. antiquis. conſpicuum

hoc. tumulo. conditur

IOANNES. CASPARUS. DE. HATSEL

Eques. Alſatus. Regi. a. Conſiliis. Præfecturæ. Reg. Hagenoens.

Sub-Præfectus

Civitatis. Argent. Syndicus

ſuis. in. Aulam. Meritis. clarus

pridie. Non. Sextil. MDCCXLVI. mortuus

ætatis. A. LXXVII. mens. VI.

et. Uxor. ejus

MARIA. EVA. SCHEPPELIA

Procuratoris. Regii

 in.

in. ſupremo. Alſatiæ. ſenatu. filia

Cal. April. MDCCXLV. defuncta

Ætatis. A. LXXI. mens. VI.

poſt. quinquagenarium. Conjugium. concors

Filii. ſuperſtites

FRANCISCUS. MARTINUS

Inſignis. Collegiatæ. Neo-Villanæ. Præpoſitus

Ludovicus. Eques

IOSEPHUS. ANTONIUS. Ord. Ludov. Eques

et. Militiæ. Equeſtris. Gallicæ. Veteranus. Centurio

FERDINANDUS. ejusd. Equeſtr. Militiæ. Centurio

Parentibus. optimis. optime. meritis

hoc. pietatis. ſuæ. Monumentum

poſuerunt.

EPI-

EPITAPHIUM HIERON. COMITIS AB ERLACH.

A. MDCCXLVIII.

Hic
ſitus. eſt
HIERONYMUS. S. R. I. COMES. AB. ERLACH
Dom. in. Hindelbank. Urtenen. Bäriswyl. Mattſtetten
Seedorf. et. Thunſtetten
Reip. Bernenſis. XXVI. Annorum. Conſul. perpetuus
Caroli. VI. Imp. Camerarius
Campi-Mareſchallus. Generalis. Locumtenens
et. Legionis. Tribunus
Aquilæ. Rubræ. ac. D. Huberti. Ordd. Eques
Majorum. ſuorum. meritis. par
obiit. III. Kal. Mart. MDCCXLVIII.
ætatis. A. LXXX. M. XI.
Exteris. et. Civibus. carus
Optimo. Parenti
Memoriæ. et. Pietatis. ſuæ
Monumentum. hoc. condidit
ALBERTUS. FRIDERICUS.

EPI-

EPITAPHIUM MAURITII A SAXONIA COMITIS FRANCIÆ ARCHIMARESCHALLI PONENDUM IN ÆDE THOMANA APUD ARGENT.

A. MDCCL.

MAURITIUS. A. SAXONIA. COMES

electus. Curlandiæ. et. Semigalliæ. Dux

Franciæ. Archimareſcallus

ad. Fontenoam. Rocoam. Laffeldam

Proeliator. triumphans

ad. Rhenum. et. Liſam

ſine. proelio. victor

Praga. Egra. Bruxella

Trajecto. ad. Moſam. expugnatis

Poliorcetes

Imperio. et. Libris. de. Re. bellica. ſcriptis

Cæſar

Militum. amore

Turen-

Turennius

Orbem. Virtutis. præconem

Ludovicum. remuneratorem

vivus. et. mortuus

hoc. Mauſoleo. expertus

inter. pugnas. et. ſtrages

invulnerabilis. Heros

Camborti. quieſcens

oppreſſus. eſt. febre

A. M D C C L. ætatis. L I V.

Corpus. Argentinam. allatum

duodecennio. poſt. D. Thomæ. templo. illatum

Gallia. conſternata dolore.

INSCRIPTIO MONUMENTI VIAE PUBLICAE PONENDI IUSSU EPISCOPI BASIL. PROPE RUPES QUAE DICUNTUR LES ROCHES DE COURT. *)

A. MDCCLII.

IOSEPHUS. GUILLIELMUS

ex. RINCKIIS. de. BALDENSTEIN

Baſilienſium. Epiſcopus. Princeps

Viam. veteribus. clauſam

Rupibus. et. Clauſtris. Montium. ruptis

Birſa. pontibus. ſtrata

Opere. Romanis. digno

aperuit

A. MDCCLII.

*) *Court* vicus eſt Epiſcopatus Baſil. inter Moutier Grandval et Tavesnes (*Dachsfelden*) ubi eſt Porta Petræa, *Pierre Pertuis*.

IN-

INSCRIPTIO VILLÆ PAULI GALLUCCII L'HOSPITAL.

A. MDCCLIV.

Viro

Integritate. animi. candore

et. in. adverſis. conſtantia

claro

GERARDO. MICHAELI. DE. LA. IONCHERE

cui. Locus. hic

Domum. Hortos. Viridaria

Fontes. et. ſua. Delicia

debet

PAULUS. GALLUCCIUS. L'HOSPITAL

ex. teſtamento. heres

pius. in. amicum. et. gratus

Monumentum. hoc

poſuit

Anno. Æræ. vulg.

MDCCLIIII.

Face opposée.

Villa. hæc
bonorum. meorum
portio. ſacra. eſto
et. heredes. meos. ſequatur
quam. alienare
ſit. nefas.

A la troiſiéme face.

Nomina. heredum
hujus. Villæ. poſſeſſorum
quibus. terra. ſit. gravis
ni. monumentum. hoc. pietatis
ſartum. tectum
ſervarint.

EPI-

EPITAPHIUM FRANC. DE BROGLIO COMITIS DE REVEL.

A. MDCCLVII.

FRANCISCUS. DE. BROGLIO
COMES. DE. REVEL
Brolii. Ducis
Marechalli. Francorum
Filius
Cohortis. Pictavienſium. Tribunus
Præfectus. Legionis
primarius. Hoſpitiorum. militarium. Marechallus
Proelio. Rosbacenſi. d. v. Nov.
in. prima. acie. pugnans. vulneratus
poſtridie. occubuit
MDCCLVII.
Heros. ſeptem. luſtrorum
Matri. Uxori. Fratrum. trigæ. ereptus
Aulæ. Militi. Civibus. et. Exteris. carus
Virtutum. exemplar
magnum. ſui. apud. omnes. deſiderium. reliquit
Exuvias. ejus. Lapis. hic. tegit.

EPITAPHIUM AUG. BENED. DE GEMMINGEN.

A. MDCCLIX.

Virago

animo. et. corpore. valida

AUGUSTA. BENEDICTA. GEMMINGIA

Muſarum. et. Gratiarum. amica

Sexus. ſui. et. Familiæ. decor

completis. LXIII. annis

Rintelii. apud. Weſtphalos. obiit

d. XX. Dec. MDCCLIX.

CASIMIRUS. REINHARDUS. PHILIPPUS

Fratrum. Gemmingiæ. triga

ſex. Filii. eorum. ſex. Filiæ

Virtutum. Defunctæ. perpetuo. memores

Sorori. et. Amitæ

Cenotaphium. heic. grati. poſuere.

EPITAPHIUM SAM. MERIANI.

A. MDCCLX.

SAMUEL. MERIAN

Reipubl. Baſil. tricennalis. Conſul

Patriæ. et. Helvetiæ. lumen

Legum. et. Literarum. columen

Virtutum. ſenatoriarum. exemplar

hic. ſitus. eſt

Vir. gratia. oris. dignitate. corporis

auctoritate. conſilii. et. eloquio

nulli. ſecundus

Itineribus. Legationibus. Negotiis. publicis

apud. Magnates. gratioſus

Annis. meritisque gravis

die. XVI. Aug. MDCCLX. deceſſit

die.

die. XIX. Oct. MDCLXXXV. in. lucem. productus

MARGARETHA. SARASINIA

poſt. conjugium. LII. annorum

PETRUS. et. SAMUEL. Filii

pietatis. et. triſtitiæ. pleni

Marito. et. Patri

Marmor. hoc. poſuerunt

Qui

auguſtiora. monumenta

in. Civium. et. Amicorum. animis

in. Annalibus. Patriæ

ad. omnem. poſteritatis. memoriam

immortalitate. dignus

reliquit.

EPI-

EPITAPHIUM IO. IACOBI SACHSII.

A. MDCCLXII.

IO. IACOBUS. SACHSIUS

Medicinæ. Doctor

Clinicæ. Praxis. Profeſſor

Capituli. Thomani. Decanus

per. L. annos. Medicinam. exercuit

ultra. XL. in. Cathedra. docuit

Alſatiæ. Hippocrates

Oraculum. naturæ

Magnatum. pauperumque. refugium

liberalis. et. officioſus. in. omnes

deceſſit. Argentorati

d. XVIII. Iun. MDCCLXII.

Ætatis. A. LXXV. m. VI. d. VIII.

ex. MARIA. SALOME. CHRISTIANIA

quinquies. parens

FRANCISCUS. IACOBUS. Med. Doct.

vicennio. ante. patrem. mortuus. eſt

vera. patris. imago

Filius. Filia. Gener.

ſuperſtites

Patri. et. Socero

tot. meritis. illuſtri

Cenotaphium. poſuere.

EPI-

EPITAPHIUM GEORG. DAN. WEINEMERI.

A. MDCCLXIII.

GEORGIUS. DANIEL. WEINEMER

Dominus. in. Landersheim

in. ſuprema. Alſatiæ. Curia

per. XXXV. annos

Cauſarum. Patronus

Caſtiniacenſis. Satrapiæ. Iudex

hic. ſitus. eſt

Vir. doctrina. illuſtris

eloquentia. pollens

moribus. integer

magni. patris. rediviva. imago

Argentina. dotes. ejus. mirata

evocatum. Colmaria

Conſiliarium. ſuum. conſtituit

A. MDCCLX.

apoplexia. correptum

A. MDCCLXIII. d. XVII. Nov. dolens. amiſit

poſtquam. LV. annos. menſes. V. dies. XXIV. expleſſet

tres. liberos. reliquit

THERESIA. SOPHIA. SAINTLO

Tredecimviri. huius. Urbis. et. Doctoris. Medici. Filia

Marito. bene. merenti

Monumentum. hoc. condidit.

EPITAPHIUM UXORIS COMITIS A WALDNER.

A. MDCCLXIV.

Uxori. Amicæ

utinam. immortali

Monumentum. Amoris

conſecrat

gratus. et. mœrens

CHRISTIANUS. FRID. DAGOBERTUS

COMES. A. WALDNER

MDCCLXIV.

Vixit. annis. LXX.

INSCRIPTIO PONENDA AD RADICES MONTIS CUI SUPERAEDIFICATUM EST FANUM S. APOLLINARIS INTER ANDERNACUM ET BONNAM AD RIPAM RHENI.

A. MDCCLXVIII.

CAROLUS. THEODORUS

Palatinus. Elector

Iuliaci. Dux

Viam. rupibus. imperviam

Commerciis. populorum. aperuit

A. MDCCLXVIII.

Rheno. gratulante

ſtupente.

IN-

INSCRIPTIO QUUM CAR. ALEX. LOTHARINGIAE DUCI NOVA VOTA OFFERRET BELGIUM.

MENSE MARTIO.

A. MDCCLXIX.

CAROLO. ALEXANDRO

LOTHARINGIÆ. DUCI

Publicæ. Felicitatis. Statori

Luſtris. quinque. Imperii. completis

Nova. Vota

Cordibus. effuſis. offert

Belgium

gratum. et. obſequens

Bruxella

pia. memor. fidelis

MDCCLXIX.

APPEN-

APPENDIX HISTORICA.*)

STANISLAI I. IN REGEM POLONIAE ELECTIO A. MDCCXXXIII. E IURE PUBLICO POLONIAE DEFENSA.

La Pologne, ſouveraine arbitre de ſes loix, offre derechef le Trône et le Diadème à un Prince, nourri dans ſon ſein, qui pendant un tems conſidérable en fut injuſtement eloigné. Les vœux des peuples le demandent, l'envie des Princes jaloux le rejette; une force étrangere et tant de fois funeſte aux Polonois, attente à leur Liberté et s'ingére à décider d'une couronne, qui ne releve que de Dieu. A la vuë d'un procedé auſſi violent, où il s'agit de ſecourir la vertu et la juſtice opprimées,

*) Præmiſimus priori horum Operum Volumini Vitam Auctoris; huic poſteriori ſubnectimus Appendicem, æquaturi hoc modo, quoad fieri potuit, utrumque. Non ut excuſent ſolum, ſed probent etiam hoc noſtrum propoſitum Lectores, facile nos impetraturos confidimus; tum quod prima diſquiſitio hiſtorica, juſſu regio olim exarata, in perpaucorum manibus ſit et in hoc, qui nunc eſt, rerum Polonicarum ſitu vel utilis adhuc vel certe lectu non injucunda eſſe aliquibus poterit; tum quod quas huic ſubjunximus breves aliquot Commentationes hiſtoricas, ſingulæ licet typis dudum exſcriptæ et ex more Academiarum publice ventilatæ fuerint, Volumen Commentationum Noſtri hiſtoricarum et criticarum, quod Baſileæ A. MDCCXLI. prodierat, non exhibeat.

mées, le Public impartial, qui connoit d'ailleurs par une longue ſuite d'années l'eſprit pacifique de Louis XV. pouvoit-il être ſurpris, de lui voir ſoutenir les droits et l'honneur de ſon Beaupére et de la Republique de Pologne? n'auroit-il pas vû au contraire avec etonnement l'indolence de la France à ſeconder les interêts d'un Prince, qui doivent lui être toujours chers et précieux par tant d'endroits; interêts même fondés ſur les liens les plus ſacrés, qui font une des principales cauſes de la persécution, qu'on affecte de ſuſciter contre lui.

Telles ſont les notions, ſous leſquelles ſe préſentent les affaires de la Pologne. Elles ne ſont point dementies par le Manifeſte du Roi, et lui ont fait trouver un accés favorable dans tous les eſprits degagés d'interêt et de paſſion. Un eſprit tout contraire regne dans l'Ecrit, qu'on vient d'étaler aux yeux du Public. Altérations des faits, ſubterfuges, inſinuations adroites, reflexions hazardées, tout y eſt employé ingenieuſement, pour ſauver le tître d'aggreſſeur. Ce tiſſu d'artifices, examinés de prés par un Lecteur équitable, ne ſçauroit le fraper, ny convaincre de la juſtice de la cauſe des adverſaires. Qu'il ſoit permis de développer les principaux articles de cette Reponſe, *ſans s'arrêter aux petits incidens et circonſtances, qui ne ſont pas eſſentiels; ſans perdre de vûe le point capital, qui conſiſte à prouver, que les ennemis de Stanislas ont offensé les premiers et que c'eſt ſur eux, que tombe juſtement la qualification d'aggreſſeur; enfin que ce ſont eux qui ont troublé l'heureux calme, dont joüiſſoit l'Europe depuis tant d'années.*

L'Apologiſte ſe met en devoir de juſtifier d'abord le Camp de Sileſie, qu'on a depuis enviſagé comme un frein, pour brider la liberté des Polonois dans la prochaine élection. Tout indifferent que pouvoit paroitre ce Camp, il reveilla l'attention de toute l'Europe; il intimida les Polonois, et occaſionna enfin la Déclaration de la France, faite à Verſailles en préſence de tous les Miniſtres étrangers. a) *Comme c'eſt de là, qu'on a vû ſortir les prémieres étincelles de la guerre préſente, il eſt néceſſaire d'en approfondir le miſtere.*

Qu'il ſoit libre aux Souverains d'ordonner des campemens, quand et là où il leur prend gré dans leurs Etats; c'eſt un point, qu'il eſt inutile de diſcuter avec l'Apologiſte, puisqu'il ne peut faire un probléme. Mais quand en formant un pareil camp, on manifeſte en même tems, par d'autres démarches, des deſſeins dangereux à la liberté de ſes voiſins, cette indifference change de nature. Le camp de Sileſie, on en convient, fut réſolu par la Cour de Vienne, du vivant du feu Roi de Pologne.

L'on avance pour prémier motif à le former, que l'Empereur a eu en vuë d'empecher, que le liberum Veto *des Polonois ne reçut quelque atteinte. Le Public, prévenu deja, que ce n'étoit pas tant la liberté de Pologne, qui faiſoit agir l'Empereur, que l'intéret perſonel qu'il avoit alors, de rompre le deſſein d'un Roi, qu'il regardoit comme ſon ennemi, incapable de plier ſous le joug de la Sanction Pragmatique, à laquelle il s'oppoſoit avec*

a) *Au Mois de Mars* 1733.

avec une fermeté conſtante, comme à une loix contraire et dangereuſe aux droits de pluſieurs Princes, et en particulier à ceux de l'Epouſe de l'Electeur d'aujourd'hui, le public, dit-on, ſe laiſſera-t-il jamais aller à de pareilles perſuaſions? Il ſçait, avec quel empreſſement le feu Roi a cherché depuis long-tems à obtenir pour ſon fils la ſucceſſion à la Couronne de Pologne. Ce Prince ſentoit bien toute la difficulté de la réuſſite, par le grand nombre d'oppoſitions, qu'il voyoit naitre de tous les cotés. La Pologne s'étoit apperçu, par une funeſte expérience, des malheurs, qu'entraine l'élection d'un étranger. Elle en étoit ſi laſſe que le Primat, la plûpart des Seigneurs et des autres membres, qui la compoſent, avoient reſolu dés long-tems, d'élire un Piaſte, aprés la mort du Prince Regnant. Tant de refus, tant de Diettes rompuës n'ont pû l'empecher de faire une nouvelle tentative, en faveur de ſon fils. L'on ſçait avec quel empreſſement il entreprit le voyage de Dresde à Varſovie. Ni la rigueur de la ſaiſon, ni l'indiſpoſition, qui le ſappoit depuis long-tems, ni les avis de ſes Medecins et de ſes Miniſtres, rien n'étoit capable de l'en détourner. La nation Polonoiſe toujours ferme dans ſes deſſeins, à ôter au Prince Royal toute eſperance de ſucceſſion, refuſa dans la plûpart des Dietines de nommer des Nonces, pour la Diette extraordinaire, qu'avoit indiquée le Roi. On alla même jusqu'à proteſter contre ceux, que quelques-unes avoient nommés.

C'eſt dans ces circonſtances, diſgracieuſes au Roi et à ſon fils, que le Primat de concert avec ſon frère le Palatin de Kiovie, le grand Maréchal

 de

de la Couronne, les Princes Wiesnowisky, Sangusko, Radzivil, Lubomirsky et autres opposés au parti du Prince Royal, s'addreſſerent à la Cour de Vienne. Il ne falloit pas de grands efforts, pour la diſpoſer, à donner de ſon coté l'excluſion à un Prétendant, qui ne lui étoit pas moins incommode, qu'aux Polonois. Cette Cour ſentoit la vive atteinte, que recevroit infailliblement ſa Pragmatique *par l'élévation d'un Prince, encore plus intereſsé à s'y oppoſer, que n'étoit le Roi ſon Pere.*

Tous ces faits il a plû à l'Auteur de la Reponſe *de les ſupprimer, ce qui laiſſe un vuide extraordinaire dans la ſuite de ſon Diſcours et deroute le Lecteur, toujours curieux d'apprendre, quel étoit donc l'objet de la crainte des Polonois, par rapport au* liberum Veto, *dont ils vouloient prévenir les ſuites, en s'addreſſaut à l'Empereur et à la Czarine. L'on verra bientôt les raiſons, qu'avoit l'Apologiſte, pour en uſer ainſi.*

Le ciel a arreté tout d'un coup ces beaux projets. La mort du Roi, arrivée au commencement de la Diette extraordinaire, ouvre une nouvelle ſcéne aux affaires de Pologne, aux intrigues de la Cour de Vienne et de celle de Saxe. Le nouvel Electeur, flaté de plus en plus par l'idée agreable d'une Couronne, ſans ſe ſouvenir, combien elle avoit couté cher et au feu Roi et à la Saxe, réſolut de mettre tout en œuvre, pour y parvenir. Il falloit pour cet effet commencer par changer de maxime, gagner la Cour de Vienne, lui ſacrifier des droits legitimes, acceder à la Sanction, *et ſubir les clauſes d'un Traité dure et onéreux. Ce n'eſt qu'à ce prix, qu'il*

qu'il lui étoit permis d'aſpirer à la Couronne de Pologne, et c'étoit un des moyens, qui reſtoient pour faire triompher la Pragmatique. *Dés lors on voit regner une amitié des plus fortes entre les deux Cours. Mêmes vuës, mêmes conſeils; on y allie celle de Ruſſie. Un nouveau Triumvirât ſe forme ſous le titre ſpecieux de* Defenſeurs de la Liberté Polonoiſe, *dont peu après ils deviennent les oppreſſeurs. Et voici comme le Camp de Sileſie, projetté d'abord, pour empêcher l'election du Prince Royal, devoit enſuite lui ſervir d'appuy.*

Au milieu de ces circonſtances, il ne ſera pas difficile au Public de deméler, ſi c'eſt l'Empereur ou le Primat, qui à pris le change; c'eſt pourtant à ce dernier, que s'en prend l'Auteur de la Reponſe. La mort du feu Roi, *dit-il*, fit changer les ſentimens du Primat. Abandonnant ſes illuſtres amis, il ſe lia avec ceux mêmes, dont les vuës lui avoient paru peu de jours auparavant ſi préjudiciables au bien de ſa patrie. *Rien de plus conſtant, que la conduite du Primat; elle n'a jamais varié, et il à toûjours fermement perſiſtê à ſoutenir les vœux de la nation, qui demandoient un Piaſte; fermeté, qui lui à attiré les aigreurs de la Cour de Vienne; pendant que c'étoit ſur elle ſeule, que doit réjaillir le reproche de changement, dont mal à propos on veut couvrir ce Prélat.*

Les Palatins, qui depuis ſe ſont rangés du coté des Oppoſans, ont pensé comme lui, tandis qu'ils pouvoient ſe flatter, chacun en particulier, de la douce eſperance de monter au trône. Mais à peine le Primat leur

laiſſe-t-il entrevoir ſes ſentimens pour Stanislas, qu'ils l'abandonnent, pour ſe livrer aux Alliés et faciliter l'irruption des Moſcovites. Les propres Lettres, publiées par l'Apologiſte, en fourniſſent la preuve, à l'égard du Palatin de Cracovie. b) J'ai fait mes remercimens à vôtre Excellence par le dernier ordinaire, et les Lui réitere par celui-ci, (*c'eſt ainſi, que s'en explique le Primat*) de ce qu'Elle ne deſapprouve point *L'EXCLUSION D'UN ETRANGER*, non plus que le *SERMENT*, qui s'eſt fait en conſequence. *Quelle étoit la Réponſe de ce Palatin?* Ma propre conſcience, Monſeigneur, m'a engagé de jurer et de ſouſcrire un Acte, qui concerne la ſainte religion, le maintien de nos loix, immunités et libertés, et qui renferme en même tems une *EXCLUSION GENERALE DE TOUT ETRANGER* de nôtre trône, pour y placer un vrai Polonois. *Cette lettre eſt du 5. Juillet, et la derniere Seſſion de la Diette de Convocation fut tenuë le 23. May. Le même Palatin, dans une autre Lettre au Primat s'exprime ainſi, en addreſſant ſa parole à cette Diette:* Je déclare, que je te louë, très chere Convocation, en ce que tu nous as procuré d'une voix unanime L'EX-

b) „ Egi gratias Illuſtriſſimae D. Veſtrae praeterita poſta, prout et ad praeſens ago, quod non vituperet excluſionem externi et juramentum, „ hoc enim ſufficit, reliqua ſi ſunt devia, corrigi poſſunt. PRIMATIS EPISTOLA AD LUBOMIRSKIUM. Juravi ego et ſubſcripſi, „ confidens rectae conſcientiae, quid? hoc eſt circa fidem ſanctam, „ circa manutentionem legum, immunitatum et libertatum noſtrarum „ et inſimul circa generalem excluſionem a throno externi, collocationemque in illo veri Poloni. LUBOMIRSKII EPIST. AD PRIMATEM.

L'EXCLUSION DE TOUT ETRANGER DU TRONE, &c.

L'on ne ſçait guéres, ce qu'il y a ici de plus ſingulier, ou de la conduite du Palatin, qu'on voit peu de tems après dans le parti de l'Electeur de Saxe, ou de celle de l'Apologiſte, empreſſé de produire des piéces autentiques du parjure de ce Seigneur.

Venons à la Diette de Convocation. Rien n'eſt oublié dans l'Ecrit, qu'on à ſous les yeux, pour noircir et répandre du ridicule ſur la conduite, que doit y avoir tenu le Primat. On allegue de prétenduës violences, et pour l'en convaincre, on ſe ſert de ſes propres paroles, tirées d'une de ſes Lettres. c)

Si les Diettes de Pologne (l'on n'excepte pas même celles tenues ſous le dernier regne, où la diſcorde à triomphé plus que jamais) avoient été dans tous les tems auſſi tranquilles, qu'elles ont été conſtamment tumultueuſes, ſur tout lors des Interregnes, ces réproches pourroient porter coup. Mais quelle affectation à l'Auteur de l'Apologie, *de mettre ſur le compte du Primat, qu'il à traité ces violences de* petits inconveniens; *tandis que*

c) „ Egomet ſecundum Deum agnoſco, quod fuerint nonnullae inconvenientiae (in praeterita Confoederatione) ſed hoc eſt vitium deſtructi et aſſueti non vituperatis exemplis ſeculi ad turbida et violenta, quod ipſamet Illuſtriſſima Dominatio Veſtra practicavit in ſuis Comitiis, quorum repetitis vicibus erat laudabilis Director; nec hoc unquam reparari poteſt, niſi circa correctionem exorbitantiarum et ſub bono ex Polonis (qui vel vi easdem *inconvenientias* non ſequantur, vel easdem non videant) futuro, Deo dante, Rege. EPIST. PRIMATIS ad PALATINUM CRACOVIAE. „

que ce Prélat, parfaitement inſtruit des loix et uſages de la Pologne, ainſi que le Palatin de Cracovie, ne ſe ſont ſervi des termes inconvenientiæ, exorbitantiæ, *que parce qu'ils ont paſſé en ſtile public,* d) *pour denoter généralement tous les* deſordres et violences, *ſi ordinaires dans les Diettes. Que ſi la façon de traduire ces mots,* nonnullæ inconvenientiæ, *par* petits inconveniens, *emporte une eſpéce de ridicule, ce ridicule ne doit certainement rejaillir, que ſur le peu de fidelité de l'Apologiſte, auquel il a plû de le traduire ainſi. Quoi qu'il en ſoit, on ne voit point, comment cet aveu du Primat peut être préjudiciable, ni à ſon honneur, ni à la validité de l'Acte de Confêderation, qui y fut paſſé. Cependant, continuë l'Auteur de la Réponſe,* on a arraché à cette Diette un Serment, qu'on n'étoit pas en droit d'exiger. *Comme ce Serment n'eſt que pour corroborer l'Acte, auquel il a accedé, il s'agit d'approfondir la validité de cet acte en lui même. Donner l'excluſion aux étrangers, quand il s'agit d'élire un Roi de Pologne, eſt une choſe, qui dépend indubitablement de la volonté de la nation. FREDRO,* e) *Caſtellan de Leopol remarque, que lors de l'élection de Henri de Valois, le fameux Zamoyſky avoit fait paſſer préalablement une loix, par laquelle on avoit exclu tout Piaſte.* f) *Le ſiecle ſuivant, devenu plus éclairé ſur les véritables interêts de la nation, a crû devoir en uſer autrement; les élections de Michel Coribut et de Jean*

d) Voyez ZAWADZKI, Caſtellani Culmenſis, Hiſtoria Arcana ſ. Annal. Polon. p. 32. et ſuiv.

e) DE GESTIS POPULI POLOGNI SUB HENRICO VALESIO p. 81.

f) „ Piaſtum ab ambitu regni ſummovit. „

Jean Sobiesky en ſont des preuves évidentes. Les plus zelés Magnats, les plus judicieux Hiſtoriens ont relevés, il y a long tems, avec énergie tous les inconveniens, qu'entraine un gouvernement étranger.

„La différence du génie des nations influe ſans doute directement „ſur le gouvernement de leur Etat. Que peut on attendre d'un Etran- „ger, qui eſt à la tête d'une nation, dont il ignore les loix, la langue, les „mœurs? Que n'en doit-on point craindre au contraire? l'étranger peu „touché de l'amour de la patrie, ſacrifiera les interêts de la Republique „aux ſiens propres, il s'apropriera ſes richeſſes; tenté ſans ceſſe de con- „ſerver dans ſa maiſon une couronne, dont l'éclat une fois l'a ébloui, ne „ſera-t-il pas prêt à en changer la nature, la rendre d'élective héréditaire „et d'apeller pour cet effet les troupes étrangeres jusqu'au ſein du Roy- „aume?„ C'eſt ainſi qu'en ont penſé les Magnats de Pologne. g)

A en-

g) „Concordibus ſententiis omnes politiae, diverſarum nationum ingenia dif- „ ficile convenire ſtatuunt, et ex morum diverſitate factorum diſcordiam „ promanare, atque communiter externos nullo amore in Remp. duci, ſed „ quod ſibi commodum eſt, facere et praedam in ſuum ſinum conferre, „ hocque unicum maxime curare, ut accepta libera regna ſuis proſa- „ piis haereditaria faciant, vel earum robur in fulciendis propriis patri- „ moniis enervent, uti Ungariae ac Boëmiae liberrima Regna tales Do- „ mini Seculo noſtro in ſervitutem ſucceſſionis ſuae redegerunt, et Hi- „ ſpaniarum potentiſſimarum invictum robur immenſis earum opibus et „ armis ad bella ſua diſtractis nimium labefactarunt. In Principe etiam „ praecipue requiri nemo negabit, ut Remp. norit, nec protinus ejus „ ſtatum,

A enviſager la forme de la Confédération dernière, rien n'eſt encore plus légitime. Jamais l'unanimité des ſuffrages n'a été requiſe dans les Confédérations. La pluralité des voix a imprimé dans tous les tems le caractére de loix aux Réſolutions, qu'on y a priſes. Le Palatin de Cracovie a rendu ce témoignage à la verité, h) *puisque quant au droit, il convient, que la pluralité doit l'emporter; et que dans le fait, il n'oſeroit disconvenir, qu'elle ne l'ait actuellement emportée à la dernière Diette de Convocation, dont il a ſigné et juré l'Acte.* i) *Il va même plus loin dans la*

„ ſtatum, ad alienae ſibi congenitae et cognitae normam immutet, „ PIASECIUS in Chron. p. 59. „

„ Imprimis enim regno expedire viſum eſt, Regem, qui linguam, mores „ et jura Regni perſpecta et cognita haberet, et conſtitutum guberna- „ tionis curſum ac modum continuare poſſet, deſignari. Diſputabant, „ exteros appetere regnum, non ut regni ſed ſua commoda et poten- „ tiam augeant, et ſuos ex regni proventibus ditent. Non tutum eſſe, „ cum exteris externas quoque vires ac exercitus in regnum attrahere. „ Moleſtiſſimum vero et intolerabile, quod in conferendis dignitatibus, „ officiis et honoribus, externi indigenis praeferrentur. „ Voyés J. P. G. in ACTIS ELECTIONIS SIGISMUNDI III, p. 4. Ajoutés PHILIPPUS HONORIUS de Interregno Polon. p. 393.

h) „Non ideo pluralitas votorum Confoederationibus eſt conceſſa, ut tollat „ unius propoſitionem circa legem, ſed mere tantum, ut volentibus „ violare jura praetextuoſa libertate ponat obicem. „ RESPONSORIA AD PRIMATEM d. 5. Julii.

i) „Generalem Confoederationem ipſamet Illuſtriſſima Dominatio Veſtra „ juramento firmavit et ſubſcripſit. RESPONSORIA PRIMATIS AD „ PALATINUM CRACOV.

la Lettre *mentionnée ci-deſſus et publiée dans les Journaux; il y avouë, que l'Acte de* l'excluſion de l'étranger *à paſſé d'une* voix unanime.

Quel faux triomphe pour l'Apologiſte, quand il veut rappeller un autre ſerment, preté par le Primat lors de la Conféderation de Sendomir de l'année 1704; *ſerment, que l'Empereur et les Ruſſes ont tant de fois prétendu faire valoir, ſur tout dans leur Manifeſte,* k) *publié lors du dernier Interregne, et qu'ils ont opposé à ce Prince, comme une barriere inſurmontable pour monter ſur le trône. Mais ces Princes auroient ils oublié avec l'Ecrivain, que tout ce qui a été arrêté à cette Confèderation, dont on ne veut point ici relever l'irregularité, a été pleinement effacé par le Traité d'Alt-Ranſtadt; qui non ſeulement annulle tous les Traités et Confèderations anterieurs et rélatifs au ſujet,* l) *mais aſſure entièrement le Roi Stanislas ſur le trône de Pologne, pour n'en laiſſer que le titre à Auguſte.* m)

k) *du Mois d'Aoùt.* 1733.

l) „Neutri partium liceat ea, quae ante acta ſunt, exprobrare aut via „facti, vel ſpecie juris perſequi. Art. 2. Item: omnia Decreta et Sta„tuta, quae in Varſavienſi Senatus Concilio, in Conventu Mariaebur„genſi, Thorunenſi, Elbingenſi, Javorovienſi, Sandomirienſi, Cracovi„enſi, Breſtenſi, Olchiniſenſi et noviſſimo Grodenſi aliisque congreſſi„bus, ipſisque comitiis Lublinenſibus, quatenus huic Pacificationi con„traria reperiantur - - - - nunc et in aeternum abrogantur. Art. VI. „INSTRUM. PACIS ALT-RANSTAD.

m) „Sereniſſimus Princeps ac Dominus Dominus Fridericus Auguſtus Rex „et Elector Saxoniae, amore pacis ductus, Regno Poloniae cedit, „omni-

Il faut après tout rendre la juſtice à l'Auteur de la Réponſe, *qu'il n'inſiſte point ſur les Réſolutions, priſes à Sendomir et autres pareilles: mais quel peut être le motif d'un procedé ſi myſterieux? la Cour de Vienne dementiroit elle aujourd'hui ce que peu de tems auparavant elle avoit diſertement opposé, elle et la Czarine.*

En effet le Manifeſte, *publié au mois d'Août dernier, par l'Empereur et la Ruſſie, ne reproche-t-il point en differens endroits le vice d'inéligibilité au Roi Stanislas; ne le traite-t-il point de* proſcript, *ne porte-t-il point en termes, qui n'ont pas beſoin de commentaire, qu'il* ne peut être admis à la Couronne, et reſte toujours ennemi de la Patrie et des Alliés voiſins; n) que c'eſt à cet effet, que ces Puiſſances voiſines font entrer leur troupes, comme amis, dans la Pologne; *le tout ſur le fondement de ces Confédérations, entiérement caſsées par le Traité d'Alt-*

„ omnique juri et praetenſioni in Poloniam et Magnum Ducatum Lithuaniae, provinciasque illis ſubjectas, nunc et impoſterum renunciat. „ Sereniſſimum vero Principem ac Dominum Dominum Stanislaum I. „ pro Rege Poloniae et Magno Duce Lithuaniae vero ac legitimo, vigore hujus transactionis, ſolenniter agnoſcit et declarat; adeo ut „ neque eo ſuperſtite, aut poſt fata ejus, ſi ipſe ſupervixerit, in Regnum „ Poloniae, Magnum Ducatum Lithuaniae ſubjectasque illis provincias, „ quidquam praetenſurus ſit. Conventum autem eſt, ut Sereniſſimus „ Rex et Elector Saxoniae nomen honoresque Regis ad dies vitae retineat, absque tamen inſignibus ac titulo Regis Poloniae. Art. 3. PACIS ALT - RANSTAD.

n) „ Hoſtis patriae et vicinorum Foederatorum.

d'Alt-Ranſtadt. Comment concilier ce langage ſi different avec celui, que tient à préſent l'Apologiſte, quand il dit tantôt, que la Cour Impériale n'entend point d'y provoquer; *tantôt*, que les engagemens de l'Empereur ne s'étendoient pas jusqu'à donner l'excluſion au Roi Stanislas.

C'eſt donc ſur ce même vice de la prétenduë inéligibilité, qu'étoit d'abord fondé la marche des troupes Impériales et Ruſſes ſur les frontieres de Pologne; c'eſt ſur ce même fondement, que rouloient les menaces d'irruption en cas d'élection de Stanislas; menaces qui n'ont été ſuivies, que de trop près par leurs effets. Peut-on reconnoître à ces traits ceux de la verité, toujours ſimple, toujours une, ennemie de toute variation et contradiction; où ne peuvent jamais éviter de tomber ceux, qui cherchent à l'altérer. L'Apologiſte n'eſt pas plus d'accord avec elle, lorsqu'il attaque l'Election même. Il fait ſonner bien haut, comme bien d'autres, le Liberum Veto *des Polonois. Diſcutons, en quoi peut conſiſter ce droit, et quels ſont ſes effets.*

Rien n'eſt plus conſtant, ſelon les Auteurs du Droit Public de la Nation, ſi non I°. qu'il n'y a aucune loi fondamentale, qui fixe ce qui eſt de l'eſſence de l'Election. o)

 Les

o) „JAC. PRILUSIUS Conſtit. Regni Polon. Lib. I. Chap. 30. art. 3. Forma „ eligendi Regis a Majoribus noſtris praetermiſſa eſt, modo ut ſit nobi- „ litati aeque ac proceribus libera, cautum eſt. HARTKNOCH de Re- „ publ. Polon, Liv. II. Chap. I. Electionis certus modus non datur Le- „ gibus

Les projets, qui en ont été formés en 1588. *à la Diette de Varſovie* p), *et en* 1631. *du vivant du Roi Sigismond III.* q) *n'ont jamais été ſuivis d'exécution. IIo. Il n'eſt pas moins conſtant, qu'on avance communément que le Roi doit être elû,* nemine contradicente. *Comme cette maxime, ſelon ces mêmes Auteurs,* r) *paroit renfermer un paradoxe et tenir de l'impoſſible, elle ne ſçauroit recevoir de meilleures modifications, que celles que lui a donné l'uſage, perpetuellement obſervé; le plus fidelle interprète des Loix.*

Or

„ gibus vel Conſtitutionibus Regni plene et ſecundum ſingulas circum„ ſtantias definitus, pag. 166. JO. BOTERUS de Polonia: De electione Regis non habent legem, nec ſtatutum aliquod, non regulam „ aut formam ſcriptam nec traditam. pag. 450.

p) JOH. DEMETRIUS SOLIKOVIUS, p. 210. et ſuiv. PAULUS PIASECIUS in Chron. A. 1588.

q) STANISLAUS KOBIERZYCKI A KOBIERZYCKO in Hiſtor. Uladislai Poloniae et Sueciae Principis, Lib. XI. p. 941. „ Ordines de ſecuritate „ modoque eligendorum Regûm, quae fuit non poſtrema Comitiorum „ diſceptatio, certi aliquid ſtatuere mordicus refragabantur. „

r) FREDRO de geſtis Polonorum ſub Henrico Valeſio p. 80. et ſuiv. „ MARINIUS de Scopo Reipublicae Polon. p. 58. où il dit: Lex „ eſt inuſitata non ſolum, ſed incredibilis fere, Regem Poloniae contra„ dicente nemine eligi debere etc. At inſtas, impoſſibile eſt, ut „ omnes in uno eligendo conſpirent. Concedo, interdum difficulter „ admodum ſuffragia unita fuiſſe, etc. etc. ſolent illi qui ingenio valent „ et eloquentia, invigilare, ne temere vota eligentium in partes ſcin„ dantur; ideoque partim precibus et promiſſis omnes omni meliori „ modo ad ſententiae concordiam pellicere, *nolentes trahere.*

Or les Hiſtoriens de Pologne nous font connoitre, que depuis l'Epoque, que le Royaume de Pologne eſt devenu vrayement électif, l'on veut dire, depuis l'extinction des Jagellons en 1572. *le gros de la Nation l'a perpétuellement emporté ſur les Oppoſans; qui ont ſouvent payé bien cher leur indocilité. C'eſt ainſi que, lors de l'Election d'Etienne Batori en* 1575. *on a deferé aux vœux de la nation, ſans ſe mettre beaucoup en peine des oppoſitions de quelques Magnats en faveur de Maximilien II. Prince de la maiſon d'Autriche.* s) *C'eſt ainſi que lors de celle de Sigismond III. en* 1587. *qui avoit pour Concurrent l'Archiduc Maximilien, fils de celui dont nous venons de parler, on n'a point eu d'egard à un nombre conſiderable d'Oppoſans;* t) *le Primat alors proclama Sigismond et fit échouer le fils, comme avoit échoué cy-devant le Père. Erneſte d'Autriche n'eſſuia t il pas le même ſort, lors qu'il lui prit gré, de ſe mettre au rang des Concurrens de Henri de Valois. Pour peu qu'on ſoit inſtruit de l'Hiſtoire de la Nation Polonoiſe, on ceſſera d'être ſurpris de ſon invincible averſion pour les Princes iſſus de cette Maiſon, dès l'année* 1572. *et on reviendra facilement des idées de pretenduës* anciennes liaiſons, qui, *ſelon l'Apologiſte,* doivent avoir ſubſiſté, depuis deux ſiècles, entre l'auguſte maiſon d'Autriche et la Séréniſſime Republique de Pologne.

La Diette de Varſovie en 1587. *frappée de l'exemple des Bohémes et des Hongrois, ſes plus proches voiſins, à qui ces Princes avoient fait com-*

s) PAULUS PIASECKI, Evêque de Przemisl. CHRONIC. p. 2. et ſuiv.
t) J. P. G. de POLONICA Electione IN COMITIIS VARSAVIENSIBUS. Anno 1587. PAULUS PIASECIUS. p. 62.

commuër le nom glorieux de Royaumes électifs en celui de Provinces héréditaires de leur maiſon, étoit ſur le point de donner à jamais aux Archiducs l'excluſion du trône de la Pologne; tant ils en craignoient un ſort ſemblable. u) *Sans doute que ces Grands ne penſoient pas de même, que l'Auteur de l'Ecrit; qui en faiſant le Panégyrique de cette Maiſon, vante* l'ancienne coutume, où elle doit toujours avoir été, de combattre pour la liberté de l'Europe. *Eh! toutes les Nations n'étoient elles point convain-*

u) HARTKNOCH de REPUBL. POLON. Liv. II. Chap. I. §. 6. p. 167. PIASECIUS ad A. 1587. p. 60. MARINIUS DE SCOPO REIP. POLON. p. 85. „ Facit electionem regni Poloniae limitatam, quod Au-„ ſtriacus haud temere Rex Poloniae eligatur, aut eligi poſſit. Imo in „ Comitiis Varſaviae A. 1589. propoſitum eſt, ne quis Auſtriacorum in „ Regem unquam eligi deberet. FREDRO p. 67. Verebantur Ordines, „ ne opes polonae et quaeque decora in Germaniam vicinitatis commo-„ ditate transportarentur, prout Hungaris et Boëmis factum, qui populi, „ Auſtriacae familiae mancipati, magnis ingeniis, aere, viris exhauſti, „ haereditas unius domus facti, nec jam velut ſuis Regibus, et pro „ ſua libertate, ſed Auſtriacae ambitioni contribuunt. Magna ingenia „ ſuffocarunt, ſublata iis praemia, qui pro domeſtica libertate ſtrenui, „ verum aut Germanis peregrinis conceſſa, aut incolis, prout ſunt Au-„ ſtriacorum ſtudiis amici, aes vero et ſtrenuos quosque viros ſuſtulere „ continua pro Auſtriacorum imperio bella: timebant haec Poloni, qui „ Principis populi nomen ferre, ſuis viribus ac aere, pro ſuae Reipublicae „ decore ſtare didiciſſent et rectore opus haberent, non domino. Vere-„ batur ſemper Populus Polonus privatam Regum potentiam (uti ea in „ Auſtriacis apparebat) quae et liberam electionem et cum ea omnem „ libertatem peſſumdaret; malebant quaerere Principem, qui ſine ipſis „ potens eſſe non poſſet. „

vaincues, depuis deux ſiècles, de la ſoif ardente de la Monarchie univerſelle, dont étoient alteré les Princes d'Autriche; ou y a-t-il perſonne, qui ignore aujourd'huy l'Hiſtoire de Charles V. celle de Philippe II. celle de Ferdinand II. remplies de plus d'un triſte monument de leur ambition démeſurée et de leur deſſein marqué, à opprimer leurs ſujets et ſubjuguer leurs voiſins.

Reprenons la ſuite des élections de Pologne. Si jamais élection a été tumultueuſe, c'eſt celle de Michel Coribut en 1669. *L'Hiſtorien ZAWADZKI, Caſtellan de Culm, obſerve,* x) *qu'on étoit ſur le point de ſabrer tous les Oppoſans; le Primat le prévint, il proclama Michel et fit avorter les deſſeins de quelques Palatinats, devoués les uns au Duc de Lorraine, les autres à celui de Neubourg.*

Celle du fameux Jean Sobiesky en 1674. *ne fut point à couvert de toute contradiction. Les Lithuaniens s'y étoient opposés d'abord; oppoſition, qui n'a point empeché la proclamation.* a)

Enfin

x) ANNAL. POLONIC. Liv. I. p. 45. Populus morae impatiens et novi „ Principatus ſupra modum avidus, . infinitis clamoribus nominationem „ urgebat; cunctantes ferro ſe adacturum promittens, et jam minari „ aſſueverat. Après la proclamation faite, il dit à la page ſuivante: „ Nondum manifeſta inter nobiles concordia etc. Item, diſſonantia „ inter Palatinatus Electorales, notorium futurae ſciſſionis indicium, „ plurimis pro Lotharingo, multis et potentibus pervicaciter pro Neo- „ burgo nitentibus. „

a) DIARIUM EUROPAEUM, Tom. 31. p. 160. et ſuiv.

Enfin où étoit le Liberum Veto *lors de l'élection d'Auguſte II. Les plus aſſidés Saxons et Monſieur* ZECH, *Conſeiller d'Etat de l'Electeur,* b) *lui même ne conviennent-ils point, qu'auſſi tôt que la pluralite des ſuffrages été réunie en faveur de ce Prince, on a paſſé outre à le proclamer. Mr.* Zech *appuye la validité de cet Acte ſur une obſervance conſtante des Polonois. D'où il reſulte inconteſtablement, que les termes de* Liberum Veto *n'emportent point d'autre ſignification, que celle, qu'il eſt libre à un chacun de ceux, qui concurrent à l'élection d'un Roi de Pologne, de former ſon oppoſition, ſans que néanmoins cette oppoſition puiſſe donner atteinte à l'élection, au préjudice de la pluralité des ſuffrages.* c) *L'unanimité d'ailleurs ſe rencontre peu ou point au moment de l'élection même, elle eſt preſque toujours un effet du tems; ce qui eſt ſi vrai qu'on a vû reconnoitre généralement par tous les Polonois les Princes, dont on vient de parler, encore qu'il n'y en ait pas un d'entre eux, qui n'ait trouvé de forts contradicteurs, lors de ſon élection. Que les Puiſſances Etrangéres ne s'aviſent point, de gêner mal à propos cette nation. Ses propres interêts, la paix, la tranquillité publique, l'amour de la patrie ſçauront tôt ou tard la réunir.*

Enfin, pour ſe recueillir en deux mots, tous les droits, à commencer par celui de la Nature, d) *décident en faveur de la pluralité; ſans elle*

b) EUROPÆISCHER HEROLD. Tom. 2. p. 334.

c) *Voyés l'ANONYME ſur l'Etat de Pologne, dans* FABRI Staats-Cantzley. Tom. I. p. 803.

d) GROTIUS de Jure Belli et Pacis Liv. II. Chap. 5. §. 17.

elle point de fin aux Conciles, aux Conclaves, aux Diettes, aux Elections, à l'établiſſement des loix dans les Etats populaires; ce concours des Loix, de l'Egliſe et des Etats prouvent ſuffiſamment l'abſolue néceſſité qu'il y a, que tout ſe termine par elle. Et l'Empereur luy même penſeroit-il autrement? ſans cette pluralité quel auroit été le ſort de ſa Pragmatique, *lors qu'il la propoſa à la Diette de Ratisbonne? C'étoit cependant le cas, où les loix d'Empire auroient exigé l'unanimité, telle qu'elle y eſt requiſe dans les matières, où il y va des droits de chaque Etat en particulier, de* Juribus ſingulorum, *et autres ſemblables.* e) *A appliquer cette maxime au cas préſent, il n'y a qui que ce ſoit qui doute, que le gros de la Nation n'ait déféré la Couronne à Stanislas; quelque diverſité qu'il regne dans les Relations, qui ont paru de ſon élection aux yeux du Public; elles conviennent toutes en ce point; et celle rapportée par l'Apologiſte, tout eloignée qu'elle eſt des autres bien moins ſuſpectes, n'oſe point dire le contraire.*

Les ſoixante mille Electeurs, f) *qui ont appellé ce Prince au trône, feront toujours le gros de la Nation, leur nombre eſt infiniment ſuperieur à celui, qui les a abandonné, pour paſſer à Prague; et ce n'eſt pas là aſſu-*

 rement,

e) Ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt. INSTRUM. PAC. OSNABRUG. Art. V. §. 52. Voyés LIMNÆUS Jur Publ. Liv. IX. Chap. 1. CONRINGIUS de Comitiis Imp. Germ. §. 55. SCHWEDERUS Jur. Publ. Part. Spec. Sect. I. Chap. 30. §. 18. HENNINGES. Meditat. ad Inſtr. Pac. Weſtph. Specim. V. p. 753.

f) *Henry de Valois fut élû par trente cinq mille, ce qu'on comptoit pour beaucoup.* ANONYM. de Statu Polon. dans FABER p. 803.

rement, qu'on s'aviſera jamais de chercher la Republiquë de Pologne. A ſuppoſer même, pour un moment, que tout ſe ſoit paſſé dans une entière tranquillité, lors de l'Election de Varſovie, outre qu'il ſeroit ſans exemple de trouver aucune de toutes les Diettes, dont les Annales de Pologne faſſent mention, où ait regné une parfaite concorde, la ſeule ſéparation du petit nombre ne pouvoit jamais autoriſer les Oppoſans à s'arroger un pouvoir, que le bon ſens, d'accord avec toutes les loix, leur refuſoit; d'autant que ces Senateurs, qui ſe ſont retirés du Champ Electoral, ont été regardés comme abſens, g) *n'ayant point proteſté contre la prochaine élection, où le nom d'Auguſte n'a pas ſeulement été prononcé.*

Voici cependant l'unique fondement, ſur le quel eſt apuyé la nouvelle élection; Election auſſi chimérique que la prétenduë Republique, qui l'a faite; marquée au coin de l'injuſtice, faite par une Ligue tumultueuſe d'ennemis de la patrie, declarés tels de leur propre aveu, h) *et à la faveur d'une Nation naturellement ennemie de la Pologne,* i) *dont elle a dans*

g) *Maxime établie dans toutes les Aſſemblées publiques* GROTIUS de Jure Belli et Pacis Liv. II. Chap 5. §. 20.

h) *Les Oppoſans avoient ſigné le Manifeſte de la Diette d'Election du 4 Sept. dernier*, qui declare *pro hoſtibus Patriae et capitibus invindicabilibus ceux,, qui ont eu l'audace d'introduire les Ruſſiens dans la Patrie.*

i) Poloni Germanos et alios, quibuscum bellum ipſis erat, hoſtes tractabi- „ les,, Moſcum vero hereditarium et irreconciliabilem et nominarunt et „ perpetuo habendum ibi propoſuerunt. ERICI SPARRI ORAT. ad „ Proceres Polon. in Comitiis Varſav.

a dans tous les tems demembré les domaines; k) *d'une nation moins attentive à donner un Roi à la Pologne, qu'un Vaſſal à la Ruſſie et à la Cour de Vienne; ſeroit-ce au milieu du bruit des armes des Moſcovites, qu'on doit chercher aujourd'hui le* Liberum Veto *et l'aſyle de la liberté Polonoiſe? Voici comme l'Empéreur a rempli généreuſement le traité fait avec l'Electeur,* de vouloir l'aider par tous les moyens compatibles avec le droit d'une libre élection. *Et quel eſt le Prince qu'on y a elû? Celui la même, qui avoit d'abord excité les allarmes de la Nation et de l'Empéreur, et donné lieu au Camp de Sileſie; un Prince, que l'unanimité des vœux de la Nation Polonoiſe avoit declaré inéligible, attendu ſon vice de peregrinité. C'eſt lui, qui oſe aujourd'hui ſe decorer du titre de Roi unanimement élû par la Nation,* l) *et monter ſur le trône à l'aide des troupes Saxonnes et Moſcovites, prêtes à porter la deſolation et la ſervitude dans la Pologne; qui n'a jamais eu rien de plus à cœur, que ſa liberté. Dans quel abime de maux n'eſt elle pas plongée, par une demarche auſſi temeraire et auſſi irregulière! demarche qu'on veut ſauver par une*

 crain-

k) *Les Duchés ou Palatinats de Smolensko, Severie, Czernichowie, Kiowie, Novegorod &c. Voyés KOJALOWICZ Hiſt. Lithuan.* L. V. Part. 2. & L. VI. STANISLAUS SARNICIUS Annal. Polon. L. VII. DLUGOSSUS Hiſt. Polon. L. 13. CROMERUS L. 29. HERBERTUS DE FULSTIN. L. 17. MATH. DE MIECHOW. Chap. 72. *Quels ravages et cruautés ont cauſé ces irruptions des Moſcovites! Pareils exemples ne devroient-ils pas reveiller l'attention des Puiſſances du Nord et des Princes d'Allemagne dans la ſituation actuelle des choſes?*

l) *UNIVERSAUX de l'Electeur de Saxe du* 6. *Nov.* 1733.

crainte purement imaginaire, et laquelle étoit, à s'en rapporter à l'Apologiſte, le ſeul remede, qui pouvoit tirer la Republique de l'oppreſſion de ſes propres citoyens.

Il regarde comme des légers inconveniens, ce que les Motifs du Roi *traitent de* dernier excès; *tout comme ſi l'experience journaliére de la conduite, que tiennent les Moſcovites, ne dementoit point ſon expreſſion, pour juſtifier celle des* Motifs. *Y avoit-il plus à craindre du Primat, que des Ruſſes? et la douceur de ce Prélat lui auroit-elle jamais permis de mettre ſa Patrie à feu et à ſang.*

L'Apologiſte, defenſeur perpetuel d'une nation, qui n'avoit nul droit, de ſe mêler dans l'élection d'un Roi de Pologne, cherche à colorer l'irregularité de ſes demarches, par une prétenduë Garantie et par des Conventions entre la Ruſſie et la Pologne, toutes ouvrages du tumulte et des troubles, que le Traité d'Alt-Ranſtadt m), *a parfaitement annullées. Ce Traité ſolennel, qui devoit ſubſiſter à jamais, avoit non-ſeulement un effet retroactif, ainſi qu'on l'a obſervé ci-deſſus, en aboliſſant tout ce qui s'étoit paſſé cy-devant d'attentatoire et d'injurieux à la perſonne du Roi Stanislas, mais encore comme il lui aſſûroit pleinement la Couronne, n'auroit-il point*

m) „ Pariter omnia foedera et pacta, quae cum aliis Principibus ac Statibus contra Sereniſſimos Reges regnaque Sueciae et Poloniae ſancita „ habet, praeſenti pacificatione abrogat et irrita declarat; imprimis „ vero illa, quae cum Czaro Moſcoviae contra eosdem Reges ac Regna „ vel ante bellum hoc, vel durante illo iniverat. Art. V. INSTRUM. „ PACIS ALT-RANSTAD. „

point ôté à Auguſte tout vouloir de contracter dorénavant des alliances et de faire des Conventions avec les ennemis de ce Prince. Tous les Actes poſterieurs, qui bleſſent ſon honneur, ſont donc nuls de plein droit; enfantés par la violence, par conſequent entièrement reprobatifs, en tant qu'ils étoient contraires à ce Traité. C'eſt dans cette catégorie, que ſe rangent naturellement les Conſtitutions, faites au Congrès de Wilna en 1710. *et aux Aſſemblées ſuivantes. L'Election itérative d'ailleurs, faite dans la perſonne du même Prince, ne renferme-t-elle pas une caſſation de ces Decrets. Car enfin, qui eſt ce qui ignore, que dans les Royaumes électifs la Souveraineté, par conſequent l'autorité d'abolir et de faire des loix reſide uniquement dans la Republique, dés la vacance du Trône; principe inconteſtablement établi par tous les Auteurs les plus accredités du Droit Public,* n) *et que les partiſans de la Cour de Vienne s'aviſent trop tard à revoquer en doute. L'abolition de la loi emporte celle de la garantie.*

Or le chimérique de cette Garantie une fois demontré, il ne reſte plus de reſſource à la juſtice des armes de la Ruſſie et de ſes Alliés. C'eſt donc avec raiſon que le Roy ſe plaint des hoſtilités, commiſes contre la liberté d'une Republique, dont les droits n'avoient nul beſoin ni du ſecours de la Ruſſie, ni de celui de l'Empéreur. Il y a plus, à cette garantie imaginaire on en oppoſe ici une réelle, l'on veut dire celle ſtipulée aux termes

n) GROTIUS de Jure Belli et Pacis Liv. II. Chap. 9. §. 8. Rege ſi electus eſt, extincto, jus imperandi ad populum redit. PUFFENDORF de Jure Nat. et Gent. Liv. VII. Chap. 7. §. 7. etc.

mes du Traité d'Oliva, o) *où ſa Majeſté prend un engagement formel de maintenir la liberté de la Republique de Pologne, et des loix ſur lesquelles elle eſt fondée. Cette Liberté, violée même dans la perſonne d'un Beau-pére du Roi, n'opére-t-elle point une offenſe perſonnelle contre Lui même, et le Roi n'eſt il point forcé de prendre en main ſa defenſe, pour le maintenir contre un prétendant, dont l'élection eſt appuyée uniquement ſur la force, et ſera toujours deſavouée par les loix de la Pologne, et par les lumiéres du bon ſens. Ce procedé de la Ruſſie ne peut donc être envisagé, que comme un outrage marqué, fait à la France, et les Ruſſes demeureront les prémiers aggreſſeurs. Mais quelles ont été en tout cecy les influences de la Cour de Vienne?*

Les troupes de l'Empereur, par un trait de Politique, dont le myſtére n'eſt pas impénétrable, n'ont point envahi le territoire de la Pologne, c'eſt là le dernier retranchement de l'Auteur de la Réponſe, *et qui lui paroit aſſés puiſſant, pour inſinuer au Public, que les plaintes de la France ſe reduiſent uniquement à ce que* l'Empereur n'a pas diſſuadé la Czarine, qu'il a approuvé ſa conduite, en un mot, qu'il n'a pas penſé ſur les affaires de Pologne, comme penſe la Cour de France.

Ce

o) Sacra Majeſtas Chriſtianiſſima . . , . pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis Regibus Galliae ſpondet . . . . ſe executionem horum pactorum eorumque obſervationem ac perpetuitatem . . . omni meliori, quo fieri poteſt, modo, etiam armis, ubi amicabilia media non proceſſerint, aſſerturam; et ſi quis eorum ſub hac fidejuſſione comprehenſorum illa violarit, arma viresque ſuas parti laeſae ad ejus requiſitionem juncturam Art. XXXVI. INSTRUM. PAC. OLIVENS.

Ce ſecret d'attenuer ainſi un enchainement de faits, tous conſtans, averés et réels, pour les reduire dans les bornes de la ſimple pensée, eſt rare ſans doute. Quoi qu'il en ſoit, ſi l'Empéreur avoit imité la ſage modération des autres Puiſſances, Etats et Republiques de l'Europe, dont les interêts ſont pour le moins auſſi et plus liés à ceux de la Pologne, que les ſiens; s'il avoit laiſsé aux Polonois la liberté de debrouiller leur différend domeſtique et finir chez eux une affaire, dont la deciſion n'appartenoit qu'a eux, l'on s'en prendroit auſſi peu à lui, qu'à ces Puiſſances, de toutes les traverſes, qu'eſſuyeroit le Roi Stanislas. Mais on a été plus loin. En effet, donner nommement l'excluſion à ce Prince, la lui donner en termes outrageans, le déclarer ſolennellement ſon ennemi, ſeroient-ce là de ſimples façons de penſer ou d'actes d'hoſtilité, plus que ſuffiſans, pour donner le démentir aux expreſſions modeſtes de l'Apologiſte? C'eſt au Public deſinteresſé à en porter ſon jugement.

Il y a plus, la ſuite du tems n'a-t elle pas fait connoître, que la Cour de Vienne s'eſt prêté avec vivacité à ſoutenir la nouvelle élection, quelque précipitée, quelque irreguliére qu'elle ait été. Peu contente d'avoir reconnu un Roi intrus, elle a invité les autres Puiſſances à imiter ſon exemple, elle a preſsé la Cour de Rome, de lui frayer le chemin de l'uſurpation, et met actuellement tout en œuvre, pour lui faciliter l'entrée dans le Royaume et l'accés au trône. La vérité eſt, qu'on ne peut ni penſer ni agir plus hoſtilement.

Il faut au ſurplus rendre cette juſtice à l'Auteur de la Réponſe, *qu'imbû de la connoiſſance des maximes du Droit des Gens, il ne peut ignorer celles, qu'enſeignent à cet égard les GROTIUS* p) *et les PUFFENDORF; que celui qui ſe lie avec mon ennemi, devient perſonnellement le mien; que ſi quelque choſe les lui a fait oublier, ce ne peut être qu'un excès de zele, pour ſoutenir la cauſe de ſon Souverain. Car après cette juſtice, on eſt obligé, de lui en rendre une ſeconde, qu'il ne s'amuſe point à déſavouer l'alliance contractée avec la Czarine. Il s'en fait gloire au contraire, en aſſûrant, qu'on la remplira exactement dans tous les tems. Mais qu'il convienne à ſon tour, que l'induction, qui reſulte de ces principes, ne peut être autre, que celle d'une guerre juſtement entrepriſe; induction ſans doute trop frappante, pour mériter de ſa part la qualification de* prétexte frivole.

Quoi donc de plus conſtant, ſi non que c'eſt uniquement la pieté, qui anime le Roi envers un Beaupére, injuſtement perſecuté; que c'eſt l'amour de la liberté d'une Republique, dont l'alliance lui eſt chére, qui lui ont mis les armes à la main. q) *Pouvoit-il moins faire, que d'épouſer avec vigueur une querelle, qui rejaillit ſi directement et ſur ſon honneur et ſur celui de la France?*

Loin

p) „GROTIUS de Jure Belli et Pacis Liv. III. Chap. 3. §. 9. Diffidato „ Principe, diffidati ejus adhaerentes.

q) „ CICERO de Offic. Liv. I. Chap. 7. Qui non defendit nec obſiſtit, ſi „ poteſt, injuriae, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam. aut „ ſocios deſerat. GROTIUS de Jure B. et Pac. Liv. II. Chap 25. § 4. „ et 5. Qui non repellit injuriam a ſocio, ſi poteſt, tam eſt in vitio, „ quam ille qui facit. „ PUFFENDORF de Jure Nat. et Gentium. Liv. VIII. Chap. 7. §. 14.

Loin d'ici ces artificieuſes inſinuations, par lesquelles on s'efforce de prêter à ſa Majeſté des vuës tout opposées à ſes véritables ſentimens. La ruſe eſt trop uſée, pour faire impreſſion ſur les eſprits et perſuader au Public équitable, que la vacance du trône de Pologne, n'eſt qu'une occaſion, dont elle ſe ſaiſit, pour mettre en exécution les vaſtes projets, qu'elle méditoit auparavant et qu'elle avoit préparé de longue main; *puisque la Politique la plus deliée, ſoutenuë de toutes les forces de l'éloquence des Emiſſaires de l'Empéreur, n'a point été capable jusqu'ici, d'en convaincre les eſprits des Cours même d'Allemagne. Il eſt difficile d'imaginer, qu'elle gagnera plus ſur ceux des Princes et Republiques, qui depuis long-tems penſent et agiſſent avec une liberté plus entière, que celle des Princes et Etats de l'Empire. Rien n'eſt plus capable d'effacer des impreſſions, auſſi ſiniſtres, que la propre conduite du Roi. Auroit-il differé ſi long-tems à faire éclater ſes vuës? le Traité de Seville, ou tant de Puiſſances de l'Europe ſe liguerent contre la Cour de Vienne, avoit fourni une occaſion des plus favorables à la France pour lui declarer la guerre; cependant c'eſt Elle, qui au contraire a inſpiré alors des ſentimens de paix à tous les Alliés.*

Enfin toutes les démarches du Roy ſe concentrent parfaitement, et font connoitre, que c'eſt ſur la Pologne uniquement, qu'il avoit tourné ſes vuës; ni ſa modération, ni ſes inſtances réiterées, ni ſes repréſentations fréquentes à l'Empereur n'ont pû conſerver cette précieuſe paix, cultivée avec tant de ſoin et durant tant d'années par toutes les Puiſſances de l'Europe. La guerre, qui auroit déja été legitime, peu après la mort d'Auguſte, eſt donc devenuë inévitable après l'élection du nouveau Roi. THE-

THESES DISSERTATIONI DE ORIGINE FATIS ET SUCCESSIONE REGNI NAVARRAE OLIM ANNEXAE.

A. MDCCXX.

I. Frigus eſt in illa *Timæi* ſententia, qua *Dianæ Epheſiæ templum eadem, qua Alexander natus eſſet, nocte deflagraſſe minime mirandum eſſe dixit, quod Diana, cum in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo*; id quod contra Ciceronem de nat. deor. L. 2. defendo.

II. *Seneca* Quæſt. nat. L. 3. male reprehendit *Ovidianum* iſtud in deſcriptione diluvii: *nat Lupus inter Oves, fulvos vehit unda Leones.* Rectius illud, quo Horatium Carm. L. 1. od. 2. Poëta imitatus videtur, damnaſſet: *hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.*

III. Epicriſin illam, quam *Tacitus* Hiſt. L. 1. C. 3. ſubjicit: *Nunquam atrocioribus populi Romani cladibus, magisve juſtis indiciis approbatum eſt, non eſſe curæ Deis ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem*; nihil prorſus impii continere, ſed eam potius veram ſolidamque eſſe, contra *Lipſium* in not. ad h. l. defendo; qui etiam porro ſequentem *Lucani* L. 4. v. 807. ſententiam fruſtra improbitatis accuſat: *Felix Roma quidem civesque habitura ſuperbos; Si libertatis ſuperis tam cura placeret, quam vindicta placet.*

IV. *Julius Cæſar Scaliger* Poëtices L. 6. p. 794. male reprehendit *Ovidianum* Metamorphoſeos initium: *In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora.*

V.

V. Lucani verſum 128. L. 1. Pharſal. *Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni*, male impugnavit *Bouhours* in libr. *Maniére de bien penſer dans les ouvragres d'eſprit. p.* 4.

VI. Illa quam in Judæorum Legislatore *Longinus* miratur de Deo ſententia: *Fiat lux, et facta eſt lux*; revera ſublimis eſt; quod contra Abrincenſem Epiſcopum Danielem Huetium obſervo.

VII. Belum Aſſyrium non fuiſſe Nimrodum, contra Petavium, Voſſium et magnam veterum recentiorumque Hiſtoricorum cohortem defendo.

VIII. Babylonis, cui hodierna Bagdad ſucceſſiſſe falſo creditur, origo male haud diu poſt diluvium vulgo ponitur.

IX. Trojam a Græcis captam eſſe contra Dionem Chryſoſtomum ſtatuo.

X. Imperium Romano-Germanicum non eſt quarta Monarchia; et vulgaris illa univerſæ hiſtoriæ in quatuor Monarchias diviſio nullo nititur fundamento.

XI. Legionis Thebææ Martyrium idoneis documentis probari non poſſe ſtatuo.

XII. Eginhartus ab initio vitæ Caroli M. errat, quando juſſu Stephani, Pontificis Romani Childericum, Francorum Regem depoſitum ac detonſum fuiſſe ſcribit.

OBSERVATIONES HISTORICO-CRITICAE.

A. MDCCXXIII.

I. Moſen omnium Hiſtoricorum antiquiſſimum eſſe nulli dubitamus. Nulla gens, nec Babylonii, nec Phœnices, nec Ægyptii, nec Seres, minus Græci antiquiorem produxere Scriptorem; fontem omnium hiſtoriarum. Ignorarentur absque eo plurimarum rerum primordia. Neſcirentur origines populorum, ut et inſigniorum inter Ægyptios, Chaldæos, Æthiopas, Græcos et alios fabularum, omnisque adeo vetuſtioris Idololatriæ. Imponerent Chaldæorum mendaces calculi, Ægyptiorum fictæ Dynaſtiæ, Serum prodigioſi annales, Indorum hodieque de ſuis originibus fabulæ. Obſcura denique foret ſeries temporum inde a mundi natalibus usque ad Olympiades; quod tempus docti olim Gentiles Obſcurum et Fabuloſum vocarunt.

II. Neque tamen propterea Moſen *ſcripturæ* et *literarum* inventorem cum nonnullis ſtatuimus, quas Plinius æternas cenſuit. Certe ſi Muſices, Aſtronomiæ, artium aliarum inventa iam ante ipſum fuere, quidni et literarum? docendis quoque poſteris, cum ſatis ſuperque mortalitatem intelligerent homines.

III. Merito ſubleſtæ nobis fidei eſt, quod Ioſephus Lib. 1. Antiquit. Cap. 3. de duabus *Sethi columnis* in Syria extantibus memorat; quibus ſumma artium omnium, ſideralis inprimis ſcientiæ inſculpta rudi-

rudimenta. Quid in illis ſcriptum, qua lingua, quibus characteribus, dicere debuiſſet Hiſtoricus.

IV. *Priſci mortales* num fuerint *gigantes*, ſæpius quæſitum fuit. Contrarium ipſa præſertim Ægypti Pyramidum inſpectio docere videtur. *Ioannes Gravius*, qui in Pyramidographia, anglice edita, maximæ Pyramidis ſuperficiem accuratiſſime metitus eſt, in medio eius ciſtam marmoream, ad menſuram corpuſculi Regii cavatam, ſex pedes cum dimidio fere longam, pedes duos cum quadrante latam inveniſſe ſe tradit. Ex iſto autem Sandapilæ modulo ſatis liquet, homines non indies naſci puſilliores. Vetuſtiſſimis quoque temporibus, primisque ſtatim poſt diluvium ſeculis, maximam illam ſaxorum ſtruem fuiſſe congeſtam certum eſt.

V. Iuſtinus Lib. 36. cap. 2. abſurde *Abrahamum Regem Damaſci* vocat; et aliis quoque relatis ſuam in Iudaicis rebus ignorantiam prodit.

VI. Hiſtoria *Paſtorum*, qui Ægyptum olim tenuiſſe dicuntur, diverſimode ab Eruditis excutitur. *Ioſephus* contra Apionem Lib. I. exiſtimavit, fuiſſe ipſos Iſraëlitas in Ægypto agentes. *Scaliger*, *Uſſerius*, *Marshamus*, *Clericus* diverſos plane ab Iſraëlitis fuiſſe contra Ioſephum ſtatuunt. Verum Ioſephi ſententiam, contradicentibus licet tot Viris illuſtribus, optime defendi poſſe credimus; imo omnibus circumſtantiis, quæ quidem ſummam hiſtoriæ conficiunt, eam firmari confidenter aſſerimus.

VII.

VII. Sicyoniorum Regum antiquitas, qualis vulgo apud Hiſtoricos traditur, et prout ex aliis Scriptoribus eam expreſſerunt *Tabulæ Helmſtadienſes*, reiicienda eſt. Ponendæ ſunt demum Sicyonii Regni origines ad Argivorum Regum exordia; cum certo evinci poſſit, omnium Græciæ Regnorum antiquiſſimum fuiſſe illud, quod Phoroneus Argis ſtabilivit. Itaque ducentorum ad minimum annorum anachroniſmus eſt, et Ægialeus, primus Sicyonis Rex, ad Phoronei tempora deprimendus. Qua occaſione et illud annotamus, errari communiter ab Hiſtoricis, quando *Inachum* primum Argivorum Regem conſtituunt. Scribitur quidem *Phoroneus* filius Inachi, ſed fluvii hoc, non viri nomen fuiſſe, clare *Pauſanias*, graviſſimus Scriptor, tradit; et nota ſatis eſt veterum populorum ambitio, quibus ſolenne fuit conditoribus Regnorum illuſtria vel miraculoſa adſcribere exordia.

VIII. Uti vero hæ Argivorum et Sicyoniorum res ſunt longe antiquiſſimæ, ita tamen rebus Ægyptiorum ſunt recentiores; at viciſſim vetuſtiores Græcis. Græcorum res a Cecrope demum illuſtriores et clariores eſſe incipiunt; prælucente venerandæ antiquitatis ſtella, celeberrimo illo Marmore Arundeliano; quod iam pridem edidit atque illuſtravit *Ioannes Seldenus.* Id autographum cum ſit, et quidem longe antiquiſſimum, maximam præ ſe fert in dirimendis litibus Chronologicis auctoritatem, in emendandis temporibus utilitatem; ad hanc amuſſim res Græcæ ſunt examinandæ.

IX. Diodorus Siculus, qui Themiſtoclem Athenis exulantem ad Xerxem Perſarum Regem fugiſſe dicit, cum Thucydide, qui ad Artaxerxem filium demum tranſiiſſe ſtatuit, egregie conciliari poteſt.

X. Suetonius, qui *Iudæos impulſore Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulſus a Claudio* dicit Cap. XXV. minime de Chriſto, quod interpretes faciunt, intelligendus eſt.

XI. Epiſtolam Chriſti ad Abgarum, Edeſſæ Regulum, quam ex Archivis Edeſſenis depromptam conſervavit et Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Lib. 1. C. 13. inſeruit *Euſebius*, quamque *Guilielmus Cave*, rationibus adductis, minime reiiciendam eſſe ſtatuit, inter ſuppoſititia ſcripta collocamus.

XII. Relatio *Oroſii* Lib. 7. Cap. 3. et 4. de Actis paſſionis Chriſti, a Pilato Romam miſſis, et quod ex iis Tiberius ad Senatum retulerit, ut Chriſtus inter Deos referretur, falſa eſt; quamvis ſimilia tradere videatur maximi nominis auctoritatisque Scriptor *Tertullianus*.

XIII. *Iuſtinus Martyr* in ſecunda pro Chriſtianis Apologia ut rem certiſſimam narrat, ſtatuam Simoni Mago Romæ ſub Claudio Cæſare fuiſſe erectam, cum hac inſcriptione latina: SIMONI DEO SANCTO. Sed ſuam in Romana antiquitate imperitiam hoc ipſo oſtendens, parum profuit cauſæ ſuæ; cum ex veteri Gentilium Theologia conſtet, Deum minorum gentium inter Sabinos fuiſſe *Semonem*, et Romanos eidem *Semoni Sanco Deo Fidio* erexiſſe ſtatuam.

XIV. Legionis Thebææ Martyrium, tot Hiſtoricis paſſim vetuſtioribus recentioribusque memoratum, non ſolum in dubium vocari poſſe ſtatuimus, ſed illud fabulis omnino accenſere nulli dubitamus.

XV. Acta Paſſionis Agaunenſium Martyrum, quæ Eucherio, Lugdunenſium Epiſcopo, vulgo adſcribuntur, quæque apud *Surium* in *Vitis Sanctorum* reperiuntur, interpolata et falſa ſunt. Et mirandum ſane tot Eruditos per tot ſecula iſtius ſcripti falſitatem non deprehendiſſe; ſed pleroſque, auctoritate eiusdem deceptos, paſſim horum Martyrum hiſtoriam ſuis inſeruiſſe libris, ut veram.

XVI. Neque vero parum miramur *Bebelium*, qui in *Antiquit. Eccleſiæ* Sec. 3. art. 5. §. 33. Euſebium in Chronico teſtem Martyrii huius allegat, cum ne verbo quidem hanc rem tangat Euſebius Secutus eſt eum aliquo modo *Commentator Argentinenſis* ad Tabulas Helmſtad. p. 214. ubi Euſebii Hiſt. Eccleſ. L. 8. C. 7. etiam male allegatur. Quod ſi rem retuliſſet Euſebius, magna hiſtoriæ illi accederet auctoritas.

XVII. Origines Francicæ olim obſcuræ, poſtea clariores, nondum tamen ad liquidum omnino ſunt reductæ. Nec Illuſtris nuper LEIBNIZIUS in ſua de *Francorum origine* Diatriba aliquid, quod Hiſtoriæ illius primordia illuſtraret, produxit. Mirum quod *Gregorius Turonenſis*, ipſe Francus et Vir haud ineruditus, accuratiora in medium non protulerit, ſexto iam ſeculo clarus.

XVIII.

XVIII. Quamvis autem nec hic ipſe *Gregorius*, nec *Fredegarius* Pharamundum Francorum Regem commemorent, nolim tamen eius exiſtentiam in dubium trahere; id quod recentiones nonnulli et præcipue *Dux Eſpernonius* faciunt. Pharamundum certe ante Clodionem Francorum Regem priſci conſtituunt annales. Et quanquam ille vulgariter caput Hiſtoriæ Francicæ conſtituatur, minime tamen exiſtimandum eſt, nullos ante Pharamundum Francis fuiſſe Reges. Fuerunt omnino; ſed ad ordinanda eorum tempora non ſufficientia nobis ſuperſunt præſidia.

XIX. Antiquo Francorum inſtituto Reges, ſuſcepturi Regnum, Clypeo in altum tollebantur, ſolenni hac ceremonia quaſi inaugurati. Sed hoc ipſo tamen non evertitur unctio Clodovei a Remigio, Rhemenſium Præſule, S. Chriſmate facta; quam fruſtra plurimi recentiores Hiſtorici evertere conantur.

XX. Celebratum illud paſſim in Hiſtoricorum ſcriptis *Eginharti* illicitum cum *Imma* Caroli M. filia commercium, tradentibus licet rem vetuſtis quibusdam Scriptoribus, fabuloſum videtur; atque adeo Erpacenſes Comites fruſtra hodieque genus ſuum inde deducunt.

MISCELLANEA HISTORICA.

A. MDCCXXIII.

I. Magnam inter Ægyptiorum et Hebræorum Leges ſimilitudinem haud immerito obſervavere Spencerus et Marshamus; at non recte inde concluditur, Moſen ab Ægyptiis ſuas hauſiſſe. Sed nec dicerem, Ægyptios ex Moſaica lege ſuas mutuaſſe ceremonias. Stat illa ſimilitudo utriusque Legis, et neutra tamen ex altera derivata. Antiquius principium utrique quærendum; et illud haud difficulter mea ſententia reperitur.

II. De Cyro, magno illo Perſici Imperii fundatore, et præcipue de eius origine atque obitu diverſa ſunt veterum Hiſtoricorum tradita. Xenophon in *Cyropædia*, Cambyſem Cyri Parentem, Perſarum Regem ex genere Perſidarum; Herodotus vero et Iuſtinus hominem mediocrem, ex obſcura tunc temporis familia Perſarum oriundum fuiſſe ſcribunt. Herodoti narratio ideo fere non videtur probabilis, quia Cyri Avus Aſtyages, Medorum Rex, non ſat rationis habuit, cur Mandanem, filiam unicam, ignobili homini collocaret. Ab altera parte ſuſpectam reddit Xenophontis narrationem conſenſus veterum de Cyro, *primo* Perſarum Rege, ut qui primus Perſas, Medis ante ſubiectos, perdomuerit. In hac rerum contrarietate certi quid definire difficile eſt. Videtur tamen Xenophontis narratio maioribus urgeri difficultatibus, quam illa Herodoti.

III. Ultima Cyri non minori Scriptorum diſcordantium contrarietati ſunt obnoxia. Atque uti circa primordia eius, deſerto Xenophonte, Herodotum probabiliora afferre ſtatuimus, ita converſo iam rerum ordine circa obitum eius lubentius Xenophonti, quam Herodoto et Iuſtino, quos plerique recentiorum ſequuntur, aſſentimur. Hos ſi evolvas, extrema Cyri triſtia plane et horrenda reperies; quem furor Tomyridis, Maſſagetarum Reginæ, in remotis Scythiæ partibus cruenta clade oppreſſit. Quum e contra apud Xenophontem omnia tranquilla; qui Cyrum ſenem placide, medios inter ſuos, vitam cum morte mutaſſe recenſet. Et hanc nos poſteriorem ſententiam, plerisque licet recentioribus in diverſa euntibus, veriorem defendemus.

IV. De Magorum in Perſia dominatione, ut in multis aliis quoque rebus, contraria tradunt Herodotus et Cteſias. Duos ille Magos Patizithem et fratrem eius Smerdim, fratri Cambyſis, qui et ipſe Smerdis vocabatur et a Cambyſe clam interemtus, ſimillimum in theatrum producit; Cteſias unicum, quem Sphendadatem uocat. Nos Herodotiana præferimus, non tantum ob antiquitatem auctoris, ſed multo magis ob rationem, quod latiſſime didita fuit fama de duobus Magis; repetita quoque a Iuſtino, Sulpitio Severo, Euſebio in Chronicis, adiectisque eis Libellis Chronologicis Græcis; tum a Cedreno et Conſtantino Manaſſe, itemque aliis compluribus. Strabo, Polyænus et Oroſius, quamvis duos Magos expreſſe non recenſeant, tamen Cteſiæ ſententiam haudquaquam ſe eſſe amplexos abunde arguunt,

dum numero pluralitatis *Magos* nominant; videnturque nullam aliam ob cauſam numerum reticuiſſe, quam quod in re notiſſima non eſſe illud neceſſarium arbitrarentur.

V. Amazonum Reſpublica, tot Hiſtoricis paſſim illuſtribus deſcripta, an unquam extiterit, quæſitum eſt. Ex antiquis præcipue Strabo, graviſſimus Auctor, earum exiſtentiam in dubium vocavit. Neque vero ea, quæ vel a Strabone vel ab aliis producta, ſufficientia exiſtimo argumenta, ut reiiciam rem extraordinariam ſane et mirabilem, ſed propterea minime fabuloſam.

VI. Veteres Germanos literarum fuiſſe ignaros paſſim traditur, ſed falſo. Contrarium docent literæ Runicæ, Ulphilæ Evangelia, quæ hodieque ſuperſunt; Gothos enim, quorum Epiſcopus fuit Ulphilas, Germanos fuiſſe nulli dubitamus.

VII. Vandalos pariter Germanicam fuiſſe Gentem in tanta Scriptorum luce nemo facile dubitaverit, unde cum Venetis minime confundendi; quod tamen factum videtur in Sueciæ Daniæque Regum titulis, Latinis Germanicisque, erudite licet in contrarium differente Clariſſ. Becmanno in *Syntagmate Dignitatum Illuſtrium.*

VIII. In translatione Francici Regni a Merovingis ad Carolingos deſcribenda Hiſtorici variant. Alii iuſſu Stephani, Romani Epiſcopi, alii Zachariæ anteceſſoris eius ſanctione Childericum III. depoſitum eſſe a Francis tradunt. Alii ullam Romani Pontificis auctoritatem interceſſiſſe omnino negant. Nos in tanta Scriptorum diſcre-

pantia

pantia credimus, Francos, legatione quidem Romam ad Zachariam miſſa, ſententiam eius exquiſiviſſe; ſed ita tamen, ut res meri tantum fuerit conſilii, a ſolis Francici Regni Statibus poſtea decernenda atque decreta; fruſtra in contrarium abeunte Bellarmino aliisque. Qui vero non accuratiora in hac re edoctus fuerit Eginhardus, non facile intelligo; quando Stephanum Pontificem in hoc negotio producit, cum ante eum Regio iam ſolio impoſitum fuiſſe Pipinum conſtet; videturque adeo confudiſſe Eginhardus unctionem Pipini ad S. Dionyſium a Stephano factam, cum ipſa inauguratione Regia, quæ iam antea a Statibus ad Sueſſiones fuerat celebrata. Sed et Theophanis, Scriptoris græci, in hac materia craſſus error eſt, qui hanc Regnatricis Familiæ in Gallia mutationem anno octavo Leonis Iſauri contigiſſe ſcribit; quæ ſub Conſtantino demum Copronymo, filio eius contigit.

IX. Reſponſum Zachariæ, quod Legatis Francicis in cauſa deponendi Childerici dediſſe ſcribitur ab Aventino in *Annalibus Bojorum* Lib. 3. Cap. 9. vel ſuppoſititium plane vel iniquum eſſe ſtatuimus.

X. Hattonem, Archiepiſcopum Moguntinum ſeculo decimo, a muribus corroſum eſſe, licet non unus tradat Hiſtoricus, totam tamen illam narrationem nullam veriſimilitudinis ſpeciem habere, minime aſſerere dubitamus. Nec propterea illam quoque reiicimus Polonicorum Scriptorum relationem, qui de Popielo ſuo iuniore, ſeculo nono Poloniæ Rege, ſimilia, imo peiora tradunt; ipſum nimirum cum liberis et coniuge pabulum murium fuiſſe factum.

XI.

XI. Alexandrum III. Pontificem Imperatoris Friderici Barbaroſſæ, ad pedes Pontificis proſtrati, collum pedibus compreſſiſſe per plurima ſecula creditum eſt, et integræ ſunt Scriptorum cohortes, qui hoc tradidere et hodie tradunt. Doctiſſimus certe Spanhemius in *Hiſtoria Chriſtianâ* omnem lapidem movit, ut huius traditionis veritatem ſtabiliret. Sed illa nos omnia non movent, quo minus rem hanc, tanti Principis charactere indignam, legionibus illis fabularum, a Scriptoribus poſterioris ævi productarum, accenſeamus.

XII. Novum orbem, quem Recentes Americam dicunt, Veteribus iam fuiſſe cognitum aſſerere quidam conati ſunt; ſed haud felici ſatis ratiocinio. Meræ ſunt coniecturæ, aut ſomnia vigilantium. Neque enim vel *Atlantica* id inſula Platonis, quæ ſimilior fabulæ eſt, quam Chorographiæ, vel Pomponii Melæ *Antichthones* evincunt, quos eo Turnebus trahit. Neque Carthaginenſium navigationes in eam pertigerunt; quum ex Hannonis Periplo conſtet, quam non longe a litoribus, in Oceano præſertim, mortales veteres abſcedere auſi, fere ſemper oram legerint.

XIII. Schwederus in *Jure Publico* Part. Gen. Cap. 4. §. 20. male contra Bodinum de Arelatenſi Regno diſputat; aſſerentem, quod Henricus V. Imperator Regnum iſtud cum omnibus iuribus Philippo Valeſio, Galliæ Regi pretio CCM. Pondo argenti vendiderit: emptionis autem, ſolutionis et conſenſus Ordinum Imperii tabulas in Regum Galliæ Archivis extare. Non intelligit Bodinus Henricum, qui vulgari-

gariter Quintus vocatur, Henrici IV. filium, quod Schwederus ipſi affingit, ſed Henricum VII. Lüzelburgicum; quum filium eius Ioannem, Bohemiæ Regem, ibidem commemoret. Ut vero Henricum Lüzelburgicum vocaret *Quintum* Romanorum Imperatorem, Bodino haud defuere rationes. Neque tamen propterea Bodinum vera narrare exiſtimamus; cum nec Henricus Lüzelburgicus Arelatenſe Regnum Philippo Valeſio vendere potuerit.

XIV. Falſa eſt Dubravii in *Hiſtoria Bohemica* Lib. 23. de Sigismundo Imperatore relatio; quod primus ſententiam dicere rogatus, ſeipſum nominaverit: *me*, inquiens, *ego novi*, *alios non itidem*, *an æque mecum imperio orbis digni ſint.* Eadem admittit Goldaſtus in erudito de *Regno Bohemiæ* Libro; quos plurimi alii ſequuntur. Electioni autem minime interfuiſſe Sigismundum demonſtratu haud difficile.

XV. Sed et Æneas Sylvius, æqualis licet illis temporibus Scriptor, et Hagecius in *Chronico Bohemiæ*, haud recte tradunt, unanimi Septemvirorum conſenſu Imperatorem creatum eſſe Sigismundum. Certi ſumus per maiora ſuffragia fuiſſe electum.

XVI. Neque vero Lehmannus in *Chronico Spirenſi* Lib. 7. Cap. 76. accuratior eſt; quando Sigismundum, iam Hungariæ *Bohemiæque* Regem, Imperatorem demum factum eſſe memorat; omni refragante Hiſtoria.

XVII. In deſignando tempore, quo ſe Imperio Carolus V. abdicavit, diverſitas eſt apud Scriptores. Ab illis vero accurate res traditur, qui abdicationem hanc ad Annum MDLIIX. demum ponunt; Bucholzero, Ruperto aliisque licet in alia omnia diſcedentibus.

SELECTA HISTORICA.

A. MDCCXXIII.

I. Librorum olim Sibyllinorum maxima fuit in Romana Republica auctoritas, ita ut ex Dionyſii Halicarnaſſenſis teſtimonio, nulla res ſancta ac ſacra æque diligenter atque Libri illi cuſtodiretur. Cura et patrocinium eorum Duumviris primo, poſtea Decemviris et denique Quindecimviris commiſſa, ut difficillimis Reipublicæ temporibus conſulerentur. Sed inter alia Romanæ dominationis arcana et hos Libros Sibyllinos merito referimus, quibus nimirum plebi impoſuere Magiſtratus. Unde minime mirandum, quod cum tempore belli Marſici, una cum incenſo Capitolio, ipſi quoque conflagraſſent hi libri, paſſim ex Italicis urbibus, Erythris Aſiaticis et aliis provinciis novi fuerint collecti. Unde porro non aliter, quam ex S. C. aut Cæſarum iuſſu per ipſos Quindecimviros, neque per ullos alios ſub capitis pœna inſpecti. Capitale quoque erat aliquid de iis enuntiare, eorumque inſpectationem aliis hominibus permittere.

II. Falluntur ergo Librorum iſtorum inter Chriſtianos Patroni, quando Virgilium ad illos, Imperatoris Auguſti favore, admiſſum fuiſſe contendunt; ſua de Chriſto vaticinia inde ſumturum. Ipſe quoque Conſtantinus Magnus Imp. in *Oratione ad Sanctorum cœtum*, plurimique veteres recentioresque fruſtra aſſerunt, celebrem illam Virgilii Eclogam IV. ſolenne et genuinum de Chriſto vaticinium, ex Sibyllæ

Cuma-

Cumanæ foliis deſumtum, continere; reſpicique in ea ad Chriſti nativitatem ex Virgine, ſub Imperio Auguſti et Conſulatu Pollionis, feliciſſima ſecum tempora allaturam. Quæ prolixe deducta vide apud Iſaacum Voſſium in ſuo de Libris Sibyllinis Commentario. Sed fictam hanc eſſe explicationem et a ſenſu Virgilii alienam facile credimus. Deſcribit Poëta luxuriante ſtilo et poëtica exaggeratione felicitatem temporum ſub Auguſto; tum læta quævis portendit Salonino et parentibus, adulatus hac ratione et Cæſari et Conſuli Pollioni.

III. An Getæ et Gothi eiusdem fuerint ortus aut propaginis inter doctiſſimos Viros iam pridem diverſis ſententiis diſceptatum eſt. Loccenius in *Antiquit. Sueo-Gothicis* id affirmat aliique; at Cluverius et Pontanus, ille in *Germania Antiqua*, hic in *Daniæ Deſcriptione* negant, atque Iornandem et Ioannem Magnum, qui in contraria ſunt ſententia, tumultuariæ ſcriptionis et imperitiæ arguunt. Nos utrorumque rationes accurate examinantes haud difficulter ſtatuimus, Gothos a Getis diverſum fuiſſe populum, quorum hi antiquiſſimis iam Græciæ Hiſtoricis noti; illi vero Scriptoribus demum poſt natum Chriſtum.

IV. Termini Septentrionales Veteris Germaniæ a plerisque Scriptoribus laxe nimis deſcribuntur; cum in genere Oceanus Germanicus a Pomponio Mela et Marciano Heracleota inter fines Germaniæ, qua Boream nimirum reſpicit, ponatur. Verum Taciti deſcriptio hic reliquis Commentarii loco eſſe poteſt, qui Oceanum non

ſimpliciter ponit, ſed latos illos ſinus et inſularum immenſa ſpatia Germaniæ quoque accenſet; totamque adeo Scandinaviam, ſive Sueciæ, Daniæ Norvegiæque Regna cum ea complectitur.

V. Atque hac ratione facile patet, Veterem latius patuiſſe Germaniam Recentiori. Quamvis enim Vindelicia et Noricum nomen quoque Germanicum poſtea induerint, verſus Septentrionem tamen fines eius anguſtiores facti ſunt. Et hæc ſane decrementa maioris ſunt momenti, quam levia illa verſus meridiem incrementa.

VI. Circa vetus Francicum Regnum quærunt paſſim Eruditi, ſucceſſivumne fuerit an electivum; et hoc poſterius non una ſuadere videtur ratio, quum hinc inde medii ævi Scriptorum hæc fuiſſe ſententia videatur. At cum ex iisdem Scriptoribus pateat, Patres de Regno illo per teſtamentum diſpoſuiſſe, ſucceſſores nominaſſe, ipſos inter ſe Filios terras diviſiſſe; minime aſſerere dubitamus, hereditarium plane vetus Francorum regnum fuiſſe.

VI. Sed et porro non ſine graviſſima ratione quæritur, ſi quam maxime hereditaria fuit veterum Franciæ Regum poteſtas; num illa quoque fuerit Monarchica? Hotomannus in *Franco-Gallia* aliique præfracte hoc negant; pluribus elegantibus et eruditis in medium productis rationibus. Verum cum haud obſcure probari poſſit, Reges illos ex libera voluntate, diſſentientibus quoque Ordinibus, leges tuliſſe, geſſiſſe bella, Magiſtratus et iudicia conſtituiſſe; recte omnino docere nos poſſe putamus, vetuſtos illos Franciæ Reges veros fuiſſe Monarchas.

VIII.

VIII. Irmenſula, veterum Saxonum Idolum, de cuius figura varie quoque diſputatur, cuinam præſertim dedicata fuerit, paſſim apud Hiſtoricos quæritur. Sunt qui Marti, ſunt qui Mercurio, ſunt qui Herminoni, antiquiſſimo Germanorum Duci, eam dedicatam fuiſſe credunt. Quamvis vero poſterior hæc ſententia prioribus probabilior, a Leibnitio quoque approbata; nos tamen longe probabiliorem illam ſtatuimus, quæ in Arminii, fortiſſimi iſtius Cheruſcorum Ducis, honorem erectam eam fuiſſe ſtatuam tradit; in victoriæ quidem trophæum ab initio poſitam, ſed cui temporis tractu quædam populorum acceſſit veneratio.

IX. Inter omnia, quæ a tempore conſtitutæ Francorum Monarchiæ ad noſtra usque tempora habita et celebrata ſunt ab iisdem proelia, nullum maioris momenti reputamus illo, quo Carolus Martellus ad Turones ſub Theodorico Cala victor evaſit. Quodſi cæſi tum fuiſſent Franci, totum ſine dubio Chriſtianum Orbem inundaſſent Saraceni Mauris ſtipati, nullo tunc Rege aut populo, qui ruentem impetum ſiſteret; atque ita Europæ propugnaculum iam tum Francia fuit.

X. Eleganter Iordanus de Origine Regnatricis Familiæ in Francia demonſtrat, unam eandemque Stirpem eſſe, quæ ab initio Monarchiæ ad noſtra usque tempora in Gallia regnat. Carolingos enim a Merovingis, et Capetingos viciſſim a Carolingis exortos eſſe certis Hiſtoriarum documentis probari poteſt. Buchetus eadem docet, ſed

 diver-

diverſa aliquantum ratione; re ipſa ergo conveniunt, in modo levis eſt diſſenſus, in graduum ſcilicet ſerie et deductione.

XI. Extrema Sibyllæ illius Francicæ, *Janæ Darciæ*, quæ ob pulſos ab obſidione Urbis Aureliæ Anglos, ſub nomine *Aurelianenſis Puellæ* notiſſima, quæque victricia ſua arma longe lateque poſtea pro Galliæ Rege Carolo VII. circumtulit, miro quodam apud Hiſtoricos conſenſu triſtia, diſparique plane a virtutibus eius exitu traduntur. Ab Anglis enim capta, et publice in foro Rotomagenſi combuſta ſcribitur, odio magis iraque, quod ab ignobili puella Viri bello illuſtres tot clades accepiſſent, quam quod aliquid tam ſævo ſupplicio dignum commiſiſſet. At negat hoc Ioannæ vivicomburium, communi quamvis Scriptorum conſenſu firmatum Vignierius, dicitque aliam mulierculam maleficam illius, divino beneficio ex Anglorum manibus ereptæ, loco impoſitam fuiſſe rogo, eo quod hi veriti ſint, ne milites, ſi Heroinam, cui toties terga præbere coacti ſunt, vita ac libertate gaudere cognouiſſent, animum deſponderent. Addit porro ipſam Puellam nobili poſtea Viro in Lotharingia, nempe *Roberto des Armoiſes*, Equiti nupſiſſe, progeniemque edidiſſe, quæ hodieque ſuperſit. Duobus autem documentis aſſertum ſuum firmare nititur, videlicet MS. veteri et Contractu matrimoniali inter Puellam Aurelianenſem et Robertum illum inito, quæ ambo a Fratre ipſius, Hieronymo Vignierio, Patre Oratorii, Hiſtoriæ Genealogicæ Familiæ Alſaticæ auctore, e tenebris eruta; et MS. quidem Metis, Contractum vero in Caſtro Equitis *des*

Armoi-

Armoiſes, tum huius originis ſuæ penitus adhuc ignari, inter priſcas Familiæ chartas repertum fuiſſe teſtatur. Quæ maximi ſane momenti documenta ab omnibus hactenus receptam de violenta Darciæ morte opinionem ſuſpectam vel dubiam fere reddunt. Adeo dies diem docet. Tam feliciter ex Chartis, Documentis, Diplomatibus, Nummis, Marmoribus, Inſcriptionibus Hiſtoria ſæpe corrigitur, emendatur, reſtituitur.

XII. Rarus et eximius plane eſt aureus ille nummus, cuius mentionem Thuanus *Hiſtor.* Lib. I. facit, quemque in erudito ſuo de *Moneta Gallica* tractatu produxit *Blancius*; ille nimirum nummus, quem Ludovicus XII. Franciæ Rex contra Julium II. cudi curaſſe traditur, cum hoc elogio: *Perdam Babilonis nomen.* Doctiſſimus quidem Harduinus varia erudita producere conatus eſt, ut hanc de Julio II. explicationem eluderet; Ægyptiam *Babilonem* (ita enim ſcribitur) intelligendam ſtatuens, quam ſcilicet everſurus fuerat Ludovicus; cum expreſſe Regis quoque Neapolitani (cuius vetuſta in Regnum Hieroſolymitanum ſunt iura) titulum Francico axiomati in eodem nummo ſubiunxerit. At de prioris explicationis veritate perſuaſos nos eſſe haud diffitemur; cum internecina præſertim inter Ludovicum Juliumque odia aliasque graviſſimas reſpicimus circumſtantias.

OBSER-

OBSERVATIONES HISTORICAE QUIBUS ORIGINES ROMANAE DISCUTIUNTUR.

A. MDCCXXV.

I. Natales Urbis Romæ haud omnino certi, et mira veterum Scriptorum hac in re diſcrepantia. Unde tres præcipuæ ÆRÆ Urbis conditæ in antiquitate reperiuntur, *Fabiana*, *Catoniana* et *Varroniana*. Fabiana, quæ ex *Fabio Pictore*, vetuſtiſſimo Hiſtorico Romano, deducitur, coniicit Urbis exordia in annum IV. Olympiadis VII. vel I. Olympiadis VIII. Catoniana, quæ a *M. Portio Catone* denominatur, et alias quoque Capitolina dicitur, Origines Romanas ad A. IV. Olymp. VI. (vel ut *Dionyſius Halicarnaſſenſis* vult ad A. I. Olymp. VII.) ponit; convenientibus fere *Faſtis Marmoreis*, quorum fragmenta ante Sec. Romæ in Comitio ad forum effoſſa ſunt, ac deinde in Capitolio repoſita, unde et *Faſti Capitolini* vocati. Varroniana a *M. Terentio Varrone*, Latinorum Doctiſſimo, ſignata uno anno Catonianam Epocham antevertit; ſtatuitque adeo ex *L. Tarrutii Firmani*, Genethliacæ Chaldæorum Aſtrologiæ periti, apoteleſmate et characteribus Aſtronomicis, Urbem conditam A. III. Olymp. VI. Et hunc Varronis calculum potior Romanorum pars probavit, Cicero, Vellejus, Plinius, Tacitus, Cenſorinus aliique. Nec difficilis eſt Catonianæ et Varronianæ Epochæ conciliatio; cum Palilia prima Urbis inciderint in Aprilem, Olympiades vero inceperint menſe Iulio.

II.

II. Urbis Romæ exſtructionem Scriptores quidam adſcribunt Græcis, alii Troianis, plerique Romulo. Græcos ſi audias, Roma condita fuit vel a Pelasgis, qui a ſuo in armis robore urbem nuncuparint Ῥώμην; vel a Romo Ulyſſis et Circes filio; vel ab Achivis, qui capta Troia ad Tiberim venerint et novam urbem appellarint Romam, de nomine captivæ Troianæ, cuius impulſu naves Græcorum ab eorum uxoribus fuerint incenſæ; ſalubri, quod exitus docuit, conſilio. Troianis hanc gloriam vindicant, qui Æneam faciunt conditorem, de filii vel filiæ nomine nomen urbi tribuentem. Imo iuxta alios Roma Troianis ſuperior eſt temporibus. Quæ omnia ſane partim apud Dionyſium, partim apud Plutarchum, Solinum, Feſtumque leguntur; ſed haud immerito quoque ut incerta et falſa reiiciuntur. Si qui enim ad Tiberim navigantes oppidulum in Palatino aut proximis collibus excitarunt, id profecto aliud ab Urbe Roma fuit, quam poſtea Romulus poſuit, imo illud ipſum cum ipſo nomine ſucceſſu temporis defecit, et locus Romano ambitu incluſus cum Urbe paulatim coaluit. Nec contrariatur nobis Sallustius, qui in *Bello Catilinar.* Cap. 6. Urbem conditam ad Troianos referre videtur; nec Virgilius, qui *Æneid. VIII.* Romanæ arcis conditorem *Evandrum* vocat. Neque nos movet Servius ad Virgilii *Eclog.* 1. qui Romam ante Romulum fuiſſe, et hunc ab illa nomen accepiſſe ex veteri *Lupercaliorum* Poëta Mariano tradit. Ceterum ipſa Urbis huius in medio Italiæ erectio futuræ eius magnitudini quaſi præluſit. Si enim

Italia univerſa, deſcripta ab Alpibus, inde converſa per inferum mare ad extremum Leucopetræ angulum, tum per Ionii fines, poſtremo Adriatici longitudinem ad easdem Alpes circumducta linea deſignetur, in quadratæ huius Italiæ medio ſinu Roma collocatur.

III. Quanquam autem Æneam Romæ conditorem fuiſſe negamus, minime tamen cum Doctiſſimis Viris, Philippo Cluverio et Samuele Bocharto eum nunquam in Italiam perveniſſe ſtatuimus. Fruſtra provocatur ad Æneæ in Urbe Berecyntia ſepulcrum, cuius plures apud Feſtum meminerunt; fruſtra allegantur loca in Aſia ab Aſcanio, Æneæ filio, denominata; ut ſunt Lacus *Aſcanius*, Regio item et Inſula et Urbs *Aſcania*. Nihil probat argumentum a Venere petitum, cuius cultum in Italiam veniens commendaturus fuiſſet Æneas, filius eius, cum nullum tamen eius ſub Romanorum Regibus veſtigium, quod et de Apolline et Cybele apud Troianos cultis et Romæ non niſi ſero receptis urgent. Nec illa denique ſtringunt, quæ a Latinæ et Phrygiæ Linguæ diſcrepantia adducuntur. Solidiora proferri debent ad confutandam haud improbabilem et tot documentis aſſertam de Æneæ in Italiam adventu ſententiam. Quid quod et Senatus Populusque Romanus conſtanter ſuas ad Troianos origines retulit. Attalo Regi Legatos Romanorum, qui ad petendam Peſſinunte Matrem Idæam miſſi ſunt, hanc venditaſſe originem Herodianus auctor eſt. Idem fundamentum fuit omnium privilegiorum et immunitatum, quas Romani perpetuo indulſere Llienſibus; ex quo imperium illorum extra Italiam extenſum eſt.

IV.

IV. Sed et ulterius coniecturis ſuis indulget PHILIPPUS CLUVERIUS in *Italia Antiqua*; quando non modo de Æneæ in Italiam adventu hiſtoriam, ſed Regum inſuper Albanorum, Romuli item et Remi, imo omnium denique ſeptem Regum Romanorum fabuloſam plane et commentitiam pronuntiat. Quodſi ex eo quæras, quid uti ſic ſentiret induxerit, reſpondebit: et fabuloſas Auctorum narrationes, et eorundem in ſingulis huius hiſtoriæ capitibus diſſenſionem, tum ipſam rerum inter ſe convenientiam. Si pergas interrogare, quid igitur ſentiat, ſi ipſis Romanis in ſuæ gentis Antiquitatibus credere reformidet? Evandrum cum Pelaſgis ſtatuere ſe dicet, tribus integris ſeculis cum dimidio circiter ante Troiæ caſum, veniſſe in Italiam, Pelaſgos eſſe Tyrrhenos, denique Evandrum eſſe Æneam, Evandrum Janum, Evandrum Saturnum, Evandrum Romulum. Ab hoc duce Pelaſgorum ſimul et Aboriginum, qui communi nomine dicti Latini, Siculos mille et quingentis annis ante natum orbi Servatorem Italia expulſos; ab hoc occupatam urbem Valentiam, quam Siculi ante condiderant, nominatamque Romam; poſt hunc Regia dignitate, ſed poteſtate minus abſoluta, cum ipſi Urbi tum univerſo Latio præfuiſſe duces; licet incertum ſit, quamdiu et quibus ſinguli nominibus fuerint. En novam Antiquitatis Romanæ faciem! Mirari ſubit, quomodo Vir, de Geographia Vetere optime meritus, ſomnia ſua hiſtorica, ſexcentis minimum ſupra bis mille annis poſt eventum nata, tot illuſtrium Virorum, qui temporibus iſtis proximi fuere, traditis, ex publicis, quod non dubium eſt, monumentis depromptis velit præferri.

V.

V. Illud quidem facile largimur, Hiſtoriam belli Punici ſecundi temporibus a Romanis demum adhiberi cœptam, et ante Fabium Pictorem nullum Romæ ſoluta oratione ſcripſiſſe hiſtoriam. At ſuperfuerunt aliæ rerum ad poſteritatem transmittendarum viæ, inter quas eminebant ANNALES MAXIMI, a Pontifice Maximo quotannis confici ſoliti; qui iidem videntur fuiſſe cum *Faſtis* et *Pontificum Commentariis* a C. Canuleio Tribuno plebis apud Livium citatis. Præter hos fuerunt LINTEI LIBRI a Magiſtratibus ſcripti atque in Æde Monetæ depoſiti. Sed et CENSORIIS TABULIS hinc inde inſerta fuerunt, quæ ad Romanorum hiſtoriam facerent. Illuſtrium inſuper familiarum, quæ in Magiſtratibus verſatæ, multas extitiſſe Scripturas teſtatur CICERO. Ex his Romanarum Antiquitatum monumentis ſua deſumſere vetuſtiſſimi Hiſtoriæ Romanæ Scriptores FABIUS PICTOR, M. PORCIUS CATO, L. CASSIUS HEMINA, L. CINCIUS ALIMENTUS, L. CALPURNIUS PISO, C. LICINIUS MACER, VALERIUS ANTIAS aliique plurimi; ex quibus ſua rurſus petiverunt DIONYSIUS HALICARNASSENSIS et LIVIUS. Atque hi unanimi conſenſu Romanas origines ab Ænea arceſſunt et per Reges Albanos ad Romulum Romæ conditorem deducunt, perque ſeriem ſeptem Regum ſibi invicem ſuccedentium cetera exſequuntur; ut adeo tota illa CLUVERII moles facile corruat.

VI. Suam ergo ab Albanis Regibus ſtirpem deducit Romulus per Rheam Sylviam ſive Iliam, Numitoris filiam. Sed cum populi plerum-

plerumque divinum quid ſuis ineſſe originibus velint, Annales quoque Romani Rheam hanc Veſtalem a Marte compreſſam tradunt. Auguſtius ſine dubio videbatur, Deum auctorem culpæ a Veſtali commiſſæ deſignare. Fabuloſum hoc tamen ipſe DIONYSIUS HALICARNASSENSIS reputat, et quorundam ſententiam adducit, qui ipſum Amulium, Numitoris fratrem, tradunt Rheæ violatorem, quodque per inſidias, cunctis faciei notis, quantum fieri poterat, obſcuratis et armis cinctus eam compreſſerit; cui narrationi quoque conſentit PLUTARCHUS.

VII. Sed et circa ipſa Geminorum ex Rhea Sylvia natorum fata miraculum aliquod de *Lupa* infantes nutriente fingere auſi ſunt Romani; evidenti fabulae huius origine, ex impudica Laurentiae vxoris Fauſtuli, qui Regii pecoris magiſter fuerat, vita. Laurentia haec, vulgato corpore *Lupa* inter Paſtores vocata, cum ipſa quoque fuiſſet infantum nutricia, miraculo poſtea temporis fingendo facile dedit occaſionem.

VIII. Primus Urbis conditae locus quis fuerit, & quanta eiusdem extenſio haud immerito quaeritur. Scilicet Romuleae Urbis pomoeria diverſimode conſtituunt Scriptores, iisque vel duos, vel tres, vel plures etiam montes fuiſſe incluſos produnt. Neque ſane negandum, graviſſimos Rerum Romanarum Scriptores videri in hac ipſa ſibi contrariari materia, quorum tamen conciliationem haud difficilem fore putamus; ſi Palatinum collem primum conditae Urbis

locum fuiſſe, pomoeriumque ſolius huius montis radicibus ab initio terminatum ſtatuamus. Ne qua vero vis externa Urbem adoriri poſſet, atque finitimi colles hoſtium aliquando arces eſſent, ex quibus Romam vexarent, Capitolinum et Quirinalem foſſa ſive aggere aut muro firmaſſe Romulum; quum nihilominus extra Urbis ipſius moenia eſſent; pomoeria vero Urbis, poſteaquam T. Tatius Sabinorum Rex in civitatem receptus, adiecto Capitolino demum fuiſſe ampliata. Atque ita Gellii, Taciti, Livii, Dionyſii Halicarnaſſenſis, Plutarchi, Strabonis aliorumque narrationes, quae inter ſe pugnare videntur, conciliari poſſe exiſtimamus.

IX. Sed et de ipſa denique Urbis a Romulo conditae forma quaeritur: an illa nimirum fuerit *rotunda*, an vero *quadrata*; cum vtrumque ex vetuſtis Scriptoribus elici poſſe videatur. Certe cum Palatinus mons, circa quem ſulcum egit Romulus, perfecti circuli capax non fuerit, Romam non tam orbiculatam, quam anguloſam ab initio extitiſſe arbitramur, ita vt Urbi quadratae ſimilior videretur.

COROLLARIA.

I. Remum a Romulo iure occiſum eſſe ſtatuimus.

II. Raptus Sabinarum virginum haud fuit iniuſtus.

III. Tarquinius Superbus iniuſte fuit a Romanis e ſolio deiectus.

ANA-

ANALECTA HISTORICA.

A. MDCCXXV.

I. Quantis animorum motibus, ſuperiori præſertim Seculo, agitata fuerit celebris illa de IOANNA PAPISSA controverſia, nemini facile in Hiſtoricis vel leviter verſato ignotum eſſe poteſt; decertantibus inter ſe et bellum Literarium ſibi invicem indicentibus COOKIO, BLONDELLO, MARESIO, LABBEO, LAUNOJO, LEONE ALLATIO aliisque, ita ut totus fere Eruditus orbis in partium ſtudia fuerit diviſus, et prouti plus minusve vigoris in prœliantibus comparuit, IOANNA vel e ſuo deiiceretur ſolio, vel eidem a ſuis propugnatoribus per temporum intervalla reſtitueretur. Reſtituta præſertim credebatur, cum poſt acerrima et diuturna illa certamina Doctiſſimus tandem SPANHEMIUS calamum ſtrinxiſſet; collatis tot Eruditorum ſententiis, productisque per ſeriem eorundem argumentis hoſtes Ioannæ omnino everſurus, et uno quaſi ictu toti bello impoſiturus finem. Neque ſane negari poteſt, graviſſimis utrinque rationibus decertari; præſertim quando pro aſſerenda narrationis huius veritate formidabilis ille Hiſtoricorum ex diverſis Seculis exercitus in aciem producitur; inter quos non iuniores tantum, ſed et ipſa vetuſtate ſua venerandi teſtes conſpiciuntur, ut adeo iure miremur eos, qui IOANNAM a Wiclefitis, Huſſitis et Proteſtantibus demum confictam et novam plane perſonam in theatrum eſſe productam confin-

gere

gere haud erubuerunt; cordatis Scriptoribus, inter quos Mezeræum præſertim reputamus, non negantibus, hiſtoriam hanc per integra quinque Secula pro vera et indubitata fuiſſe habitam; quod ipſa medii ævi Scriptorum lectio docet. Num vero tam conſtans multorum diverſorumque Hiſtoricorum et Chronologorum conſenſus; num alia, quæ pro Ioanneæ huius Hiſtoriæ veritate allegantur, monumenta rem omnem conficiant, altioris omnino indaginis eſt. Nos omnibus probe conſideratis, excuſſis utrinque rationum momentis, non dubitamus defendere, nullum inter Leonem IV. et Benedictum III. Seculo IX. Romæ fuiſſe Pontificem; atque adeo illud Papæ Feminæ ſub Ioannis VIII. nomine biennale et quod excurrit imperium obſcurorum ſeculorum figmentis annumeramus.

II. Non minus fictitius eſt celebratus ille ex temporibus Carolinis Francicus Heros *Rolandus*; quem perſonatus ille Rhemenſium Præſul Turpinus in ſcenam produxit; de cuius ſtatura, viribus, fortitudine, rebus geſtis et morte, mira et ſtupenda prorſus iactantur. Imo ne quid ad eius gloriam deſit, Caroli Magni ex Bertha ſorore nepos idem fingitur Rolandus; cum tamen Carolum unicam habuiſſe ſororem Gislam, a puellaribus annis religioſæ et monaſticæ vitæ nuncupatam, a probatiſſimis tradatur Scriptoribus. Illud equidem non negamus, inveniri in illorum temporum Annalibus *Rutlandum* quendam Britannici littoris cuſtodem; nec illud reiicimus, eum una cum aliis a Vaſconibus ad montem Pirenæum fortiter pugnando fuiſſe inter-

interemptum; at Caroli Magni ex ſorore nepos, tot miraculis conſpicuus, nonniſi in cerebro fabulatorum quærendus. Sed nec verum illum, quem hiſtoria admittit, Rolandum giganteæ fuiſſe magnitudinis ex ipſo eius, ſi quidem genuinum eſt, monumento Blaviano patuit; quod ab amantiſſimo antiquitatis Rege Franciſco I. ex Hiſpanica captivitate reduce fuit apertum: cum enim in ſubterraneum illud ſpecus, ubi Rolandus in marmoreo ſepulcro tumulatus dicitur, Rex deſcendiſſet, ex ipſa monumenti dimenſione oſſibusque reſiduis ordinaria hominis ſtatura facile deprehendebatur; teſte HUBERTO THOMA LEODIO, qui cum Friderico ſuo Palatino, Carolum Imp. in Hiſpania tum adituro, ipſe quoque has reliquias inſpexit.

III. Patet hinc, quid de *Coloſſis* illis *Rulandinis* ſive *Weichbildis Saxonicis* in Urbibus quibusdam Germaniæ Brandeburgi, Bremæ, Magdeburgi, Halberſtadii etc. ſit dicendum; quando ſcilicet ſtatuas has Caroli Magni ævo iam collocatas et in huius Rolandi, ſui ex ſorore nepotis, honorem erectas nonnulli tradiderunt. Ruit nimirum cum ipſo Rolando tota hæc traditio; quæ tamen, ſi vel maxime hunc habuiſſet nepotem Carolus, ex aliis fundamentis facillime refellitur. Multi Eruditi ad Seculum X. harum ſtatuarum originem referunt, quibus nos ſane haud refragamur.

IV. Neque vero Nepotem Rolandum modo, ſed et ipſum eius Avunculum Carolum Magnum ut Typhonem vel Antæum nobis deſcribit ſupra citatus Auctor. Illud certum eſt, nec vulgo tantum tra-

ditum, ſed et a genuinis Scriptoribus probatum, cum omnia in hoc principe fuerint excelſa, eundem eximia quoque corporis ſtatura et proceritate fuiſſe præditum; ſed illam giganteam ſtaturam ſilet accuratiſſimus vitæ Carolinæ Scriptor EGINHARTUS, qui Heroicas corporis eius dotes reliquas ſigillatim et diligenter enarrat. Accedit vetus ex ipſo tempore Carolino monumentum; haſta nimirum ex metallo in Cimeliarchiis Palatinis, teſte FREHERO, religioſe olim aſſervata, quæ Caroli menſuram, quod ex inſcriptione patet, talem qualem nos ſtatuimus deſignat, ſcilicet proceram, ſed minime giganteam.

V. Admonent nos hæc cuiusdam controverſiæ inter doctiſſimos quoque Viros olim de *Barba* Caroli Magni agitatæ; quam quæſtionem Lectores fortaſſis inter otioſas et Eruditis minime dignas reputabunt. At facile ſententiam ſunt mutaturi, quando intelligent, ipſam hanc de Caroli Magni Barba diſquiſitionem, de Veterum quorundam iſtius Ævi Diplomatum, quæ Sigillis Caroli faciem exprimentibus munita ſunt, veritate vel falſitate quaſi decernere. Puro mento fuiſſe Carolum, nullamque aluiſſe barbam docuerunt VELSERUS, FREHERUS, GRYPHIANDER et PAPEBROCHIUS, ſuis nixi rationibus, ex ſilentio Eginhardi et Sigillo Trevirenſi deſumtis; atque hinc omnia illa reiiciuntur Diplomata, ut *San-Dionyſianum*, *Oſnabrugenſe*, *Mabillonianum*, *Corbejenſe*, in quibus Barbatus conſpicitur Carolus. Verum quando cum his Diplomatibus alia quoque publica documenta conveniunt, inter quæ eminet illud ex Ævo Carolino Muſivum opus, quod extat

extat in parietinis Aulæ Leoninæ, extructæ olim a Leone III. ubi ipſe hic Leo et Carolus genibus flexis ante S. Petrum ſiſtuntur, in illam, quæ pro Caroli Barba pronuntiat, ſententiam cum THULEMARIO, MABILLONIO aliisque ſumus procliviores; atque adeo allegata ſuperius Diplomata, ex hoc fundamento, minime inter ſpuria eſſe reputanda cenſemus: licet ipſa hæc quoque Sigilla ratione ipſius barbæ haud omnino conveniant, cum alia modicam alia prolixam exhibeant.

VI. Extincta Caroli Magni in Germania ſtirpe cum Ludovico, Carolingorum per maſculos ultimo, *Conradus* et poſt eum *Henricus Auceps* creati ſunt Germaniæ Reges. De his haud immerito diſputatur, num in Imperatorum numero recte collocentur, an ex eorundem ſerie potius ſint expungendi. Scilicet iam a Caroli Craſſi temporibus illa Francici Imperii compages disrupta, variis in Italia præſertim motibus dederat occaſionem; quæ inter Guidonem, Berengarium et Lambertum diſtracta, ab Arnulpho pacata, ſed eo mortuo novis civilibus bellis rurſus concuſſa, nonniſi Ottonis Magni interventu ſuæ tandem reſtituta eſt tranquillitati, Imperii Romani Regnique Italici titulis æterno fœdere cum Germaniæ Regno coniunctis. Per hos tumultus erepta Germanis illarum Regionum poſſeſſio; ipſis nunc Italis, nunc Burgundis, nunc Arelatenſibus rerum ſummam ad ſe trahentibus. Salva tamen interea Germaniæ Regibus, Conrado et Henrico ſua manſiſſe in Italiam iura plerique exiſtimant; quibus nos facile aſſentiremus, ſi ſolido fundamento probari poſſet, conſtans aliquod et

perpetuum Germanos in Imperium Romanum et Italiam ante Ottonem Magnum ius habuiſſe. Non ignoramus illuſtrem illum Ekkehardi Junioris de *Caſibus Monaſt. S. Galli* locum, qui per illa tempora Archiepiſcopum Moguntinum Hattonem in Italiam iviſſe, ut ius Regium ibi exigeret, atque ditiſſimum inde rediiſſe tradit. At hæc narratio nondum ſatis id, quod probandum eſt, probat. Perſtamus ergo in hac ſententia: Conradum atque Henricum Aucupem, Germaniæ Reges in Imperatorum ſerie eſſe omittendos. Neque tamen propterea in conſtituendis illorum temporum Imperatoribus Romani Pontificis aliquod ius fuiſſe arbitramur.

VII. Certamina illa Equestria, quæ barbara voce *Torneamenta*, alias etiam *Haſtiludia*, *Tyrocinia* et *Nundinæ* appellabantur, antiquiſſimæ in Germania olim fuerunt conſuetudinis. Concurrebatur haſtis et gladiis, et quidem plerumque ſubſidio Equorum cataphractorum, ut concurſibus eiusmodi equeſtribus Germanicæ Nobilitatis virtus exercitii gravitate excitaretur. Utiliſſimum ſane inſtitutum et variis ſucceſſu temporis legibus circumſcriptum. Triginta ſex ſolennes eiusmodi Ludos, in Germania habitos, deſcribit Franciscus Modius in *Pandectis Triumphalibus*. In eo tamen a plurimis, quos magno numero recenſere poſſemus, Auctoribus peccatur, quod non horum certaminum originem tantum, ſed et totam eorundem celebrandorum formulam legesque ad Henricum Aucupem referant, ipſo Goldasto in *Conſtitut. Impp.* hoc ſtatutum producente; at invita veteri

veteri hiſtoria. Scribit quidem WITICHINDUS, Henricum in exercitiis ludi tanta eminentia ſuperaſſe omnes, ut terrorem ceteris oſtentaret; at qui ex his verbis ea quæ traduntur extricaveris? Non uno iam pridem exemplo Goldaſti ſuſpecta in multis fuit auctoritas. Et ipſi RUEXNERO eiusque *Torneamentorum* Libro iam dudum, plurimis ex rationibus, fides eſt derogata; cuius tamen narratione præſertim hæc doctrina nititur. Hic Codicem antiquum, Saxonica lingua conſcriptum, in quo omnis horum Ludorum hiſtoria contineretur, ſe Magdeburgi inveniſſe iactaverat, ſed cum de Libro MS. quæreretur, eum de induſtria flammis mandatum eſſe profeſſus eſt. Si bona fide in hoc negotio verſatus eſſet Auctor, cur concremaſſet Codicem, cuius antiquitate ſtare potuiſſet Ruexneri auctoritas. Ergo poſt Henrici Aucupis tempora collocanda demum eſt horum Ludorum inſtitutio.

VARIA CRITICA.

A. MDCCXXV.

I. Si Roma Vetus et Nova admirandam multarum rerum ſpeciem curioſorum oculis ſemper obiecit, illa, quam SUBTERRANEAM ROMAM vocamus, non minus Eruditorum ingenia exercuit. Cryptas illas inſignes, hodieque conſpicuas, intelligimus, vel Coemeteria, quae CATACUMBAE vulgo vocantur. Harum ſexaginta circiter Urbs illa, orbis quondam Regina, intra viſcera ſua claudit; quae quaſi ſub terra Civitates, multis ſingulae variisque viis, ſemitis, viculis, meatibus, cubiculis, anfractibus, angiportibus, fornicibus, Templis, Oratoriis diſtinctae atque inſtructae, et innumeris inſuper Iconibus, Hieroglyphicis Tabulis, Sarcophagis marmoreis, Inſcriptionibus, Vaſculis, Lacrymatoriis exornatae; ita vt multis maiori ſit admirationi Subterranea Roma, quam ipſamet oculis alte conſpicua, maiorque iudicetur illius gloria in tenebris, quam huius in auguſtiſſima luce. Prae aliis praeſertim illuſtria ſunt *Calixti* Papae et *Sebaſtiani* Coemeteria, quorum ille ſub Alexandro Severo, hic ſub Diocletiano martyriis clari ſcribuntur. Vtilem et inſignem plane in his Antiquitatibus explicandis operam poſuere Doctiſſimi Viri ANTONIUS BOSIUS atque PAULUS ARINCHUS. Hae vero cryptae duriſſimis perſecutionum temporibus a Veteribus primorum ſeculorum Chriſtianis ingenti labore, immenſis ſumptibus, longo temporis ſpa-

ſpatio fabricatae, in hunc modum ſtructae atque ornatae creduntur, vt eorundem eſſent aſyla et idonea celebrandis conventibus ſacris receptacula, in quibus a perſequentium furore tuti verſarentur et ſua ſecuri tractarent myſteria; imo vt ipſa quoque Confeſſorum et Martyrum corpora ibi reconderentur et a novis iniuriis praeſtarentur tuta. Curioſa ſane et digniſſima, quae accuratius excutiatur materia. Nos equidem perſuaſi ſumus, haec generatim aſſerta atque tradita non firmo ſatis niti fundamento. Illud nunquam negabimus, plurima in illis Catacumbis Chriſtianae Antiquitatis monumenta haud dubia extare; imo et conventus in iis frequentes olim eosdem celebraſſe Chriſtianos nulli dubitamus. De hac re, praeter teſtimonia ex TERTVLLIANO, HIERONYMO aliisque deſumta, ex EVSEBIO ſatis edocti; in cuius *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VII. Cap. II. extat Edictum ab Ægypti Praefecto ſub Valeriano et Gallieno Auguſtis publicatum: *ne liceat Chriſtianis conventus agere, aut ea quae vocantur Coemeteria adire.* Sed illud, quod communiter traditur, hactenus nondum inveni probatum: Cryptas ſcilicet has priſcorum Chriſtianorum fuiſſe opera, et ab iis pro conſervandis Martyrum corporibus confectas; quorum ſane cadaverum ſeptuaginta et quatuor millia in vnico numerata ſunt Coemeterio. Ipſorum ergo Gentilium opus has Cryptas fuiſſe ſtatuimus, qui terram arenamque aedificiis, areis, porticibus, ſemitis, viis, fornicibus, vaſisque fictilibus conficiendis inde eruerunt, ſucceſſu vero temporis mortuorum cadavera in easdem ſunt illata;

ipſis

ipſis quoque Chriſtianis mortuos ſuos in cryptis illis ſepelientibus. Quanquam ex tribus prioribus Seculis rara in illis hodie reperiantur Chriſtiani ritus monumenta; plerisque ad poſteriora demum Secula ſpectantibus.

II. Atque hic ſane graviſſimum nos habere adverſarium novimus, Doctiſſimum Mabillonivm, qui in erudita ſua, ſub nomine *Euſebii Romani ad Theophilum Gallum* Epiſtola, nullos alios quam Chriſtianos in his Coemeteriis humatos fuiſſe, ex mutuo fideles inter ac paganos odio atque horrore ſtatuit, quorum neutri mortuos ſuos aliis conſepeliri paſſuri fuiſſent; et magnae omnino auctoritatis eſſe illa, quae ex Cypriano et Lvciano *Presbytero* producit loca, minime negamus. Verum vbi ipſa rerum teſtimonia adſunt, Scriptorum teſtimoniis parum confici arbitramur. Non negatur intenſum illud inter Chriſtianos et Gentiles odium, et tamen confuſa ſunt eorum in Catacumbis cadavera. Comparent ſane hodie evidentes huius rei in ipſis illis monumentis, ſepulcris, tabulisque notae, vt lacrymatoria, vrnae, lampades Deorumque Manium et alia Gentilibus vſurpata nomina. Nec illa a Conſtantini Magni temporibus vſitatiſſima nota X. certum ſemper Chriſtianiſmi in illis ſepulcris eſt indicium; cum a Pignorio atque Liceto iam pridem oſtenſum ſit, hunc characterem ſervis quoque olim apud Romanos fuiſſe impreſſum, qui vel Chryſippi vel Chryſanthi vocabantur. Quid quod et in Hieroglyphica Ægyptiorum doctrina huius notae vſus; Socrate et

Sozo-

Sozomeno evidenter teſtantibus, notam quoque hanc eſſe repertam, cum celebratum illud Serapidis templum Alexandriae deſtrueretur, et Chriſtianos argumentum inde cepiſſe, ab antiquis iam Ægyptiorum Sacerdotibus adventum Chriſti fuiſſe praedictum. Sed et plurima, quae in iisdem Catacumbis apparent, ſequiorum temporum veſtigia, vt Inſcriptiones Gothicae et alia rudis et indocti aevi, ſatis evincunt, non omnia primorum ſeculorum redolere antiquitatem. Et in hoc ſane conſentientem habemus Mabillonium, qui in illis coemeteriis non modo ſanctos Martyres vel Confeſſores, ſed fideles omnes, nullo meritorum delectu humatos eſſe, eumque morem in ſex minimum priora Eccleſiae ſecula perſeveraſſe in memorata Epiſtola tradit.

III. Hiſtoriae Sacrae Scriptores nos docent, in Urbe Phoeniciae Paneade aeneam ſtatuam extitiſſe, quam mulier, ſanguinis profluvio laborans, ob reſtitutae ſanitatis beneficium Chriſto poſuiſſe credebatur. Tradit hoc Eusebius *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VII. Cap. 18. qui eam ipſam ſe conſpexiſſe ſtatuam memorat. Conſentit Sozomenvs Lib. V. Cap. 21. qui Iulianum, ex inveterato in Chriſtum odio, ſublata hac ſtatua ſuam ibidem poſuiſſe, mox vero ignem e coelo delapſum ſtatuae caput deieciſſe ſimul enarrat. At neſcio quomodo ſtare poſſit

Sozomeni relatio, quando ex vetuſtiore Scriptore ASTERIO, apud PHOTIVM in *Bibliotheca*, ſtatuam illam a Maximino, ante Conſtantinum Imperatore, iam everſam eſſe docemur. Obſtare tamen videtur Euſebii, qui eam, vt ſupra diximus, a ſe conſpectam ſcribit, auctoritas. Verum cum Euſebius Maximini temporibus iam vixerit, facile ſtatuam ante Maximini in Chriſtianos perſecutionem videre potuit, everſionis poſtea factae fortaſſis ignarus. CYRILLUS ſane aliique, in ſuis *adverſus Iulianum* ſcriptis, minime ſilentio hoc Apoſtatae facinus fuiſſent tranſituri; praeſertim ſi illa, quam Sozomenus recenſet, ſtatuae Iuliani everſio coelitus contigiſſet. Ceterum hac occaſione omnino facienda eſt mentio illuſtris illius loci, qui de hac ſtatua in CAROLI MAGNI Libris de *Imaginibus* extat Lib. 4. Cap. 15. vbi Auguſtus ille ſcriptor animi ſui ſenſa circa hanc materiam eleganter exponit.

IV. C. *Cornelium Tacitum*, ſummum illum Hiſtoriae Romanae Scriptorem, ſub Imperatore Veſpaſiano *Galliae Belgicae rationes procuraſſe* communis fere recentiorum Auctorum ſententia eſt; cui etiam IVSTVS LIPSIVS, CLUVERIVS, GERARDVS IOANNES VOSSIVS aliique ſuffragantur; PLINII SECVNDI in *Naturali Hiſtoria* auctoritate praeſertim innixi, quam Vetus INSCRIPTIO prope vicum *Paterae* in Ducátu Iuliacenſi inventa confirmare videtur.

tur. Extat haec apud THOMAM REINESIVM in *Epiſt. ad Boſium* et apud THEODORVM RYCKIVM in *Animadverſ. ad Tacit.* et quidem his verbis:

APOLLINI - - - - -
RATIONATORIS HONORE
VSVRVS SECVNDVM
CORNELIVS VERVS TACITVS
EREXIT MONVMENTI LOCO.

At de Tacito Hiſtorico hanc intelligi non poſſe inſcriptionem facile patet, cum nullibi VERI nomine appellatus legatur. Alteram, quae ad eandem dignitatem Tacito aſſerendam producitur, Inſcriptionem heic non allegamus, cum ipſa novitate ſua ſe facile prodat. Allegatum vero ex PLINIO locum minime de Tacito, Annalium Scriptore, intelligendum eſſe ipſa inter ſe collata temporum ratio manifeſtat; cum inter Taciti matrimonium et Plinii Secundi obitum vnicus tantum interceſſerit annus, atque adeo Tacitus vivo Plinio adultum habere filium non potuerit, quod Hiſtoriae Naturalis Scriptor tamen deſignat, quando ait: *Ipſi nos pridem vidimus eadem omnia in filio Cornelii Taciti, Equitis Romani, Galliae Belgicae rationes procurantis,* quae alium plane Cornelium Tacitum heic intelligendum eſſe demonſtrant.

 Mirum

Mirum eſt, in ipſo Annalium Scriptore nihil, quod certiora nos doceat, extare. Neque illa, quae in eius de *Germanis* Libello reperiuntur verba: *Vidimus ſub Divo Veſpaſiano Velledam &c.* in ipſa Tacitum fuiſſe Germania docent; quum frequens apud Scriptores haec loquendi ſit ratio. Cum ergo infirma vel nulla potius ſint illa, quae pro aſſerenda Tacito Galliae Belgicae Procuratione afferuntur, fundamenta, facile patet, hanc ipſi dignitatem tam confidenter non debere tribui. Manet tamen in Eruditorum deliciis eius de Germanorum moribus Commentatio et ſuam conſtanter tuetur auctoritatem.

V. Si cuius vnquam Principis apud poſteros memoria diverſis Scriptorum ſententiis fuit celebrata, id ſane de Imperatore Iuſtiniano fateamur neceſſe eſt. Craſſiſſimae cuiusdam et omnium plane literarum ignorantiae illum pridem fuiſſe accuſatum ex corrupto *Suidae* loco notiſſimum eſt; cum anteceſſorem eius Juſtinum cum ipſo Iuſtiniano, ex ſorore nepote, ipſe confuderit BARONIUS. Leviora haec diceres, quae facile et nullo refutaveris labore. At longe maioris momenti eſt *Eutychianae haereſeos* dica, quae eidem Imperatori a multis et antiquis quoque Hiſtoricis impingitur. Scilicet cum illo tempore *Aphthartodocetarum* praeſertim dogma, qui corpus Chriſti a conceptione ſtatim incorruptibile fuiſſe docuerunt, invaluiſſet, huic

huic quoque errori ſubſcripſiſſe memoratur Iuſtinianus. Aſſeclae huius doctrinae quoque *Julianitae*, a Iuliano Halicarnaſſaeo, et *Phantaſiaſtae* vocabantur. Neque vero negari poteſt, hanc de Iuſtinianea haereſi narrationem ipſius EVAGRII, ZONARÆ et NICEPHORI auctoritate initi, quorum fidem plerique Recentiorum ſunt ſecuti; quos magno heic numero allegare ſuperſedeo. At vero ſi ſola in hoc negotio Evagrii, ex quo reliqui ſua deſumſere, evertitur auctoritas, melior fit Iuſtiniani cauſa, et ſua Imperatori conſtat orthodoxia. Produci ſane poſſunt illuſtria ad Iuſtiniani defenſionem teſtimonia, quae nos Evagrii traditis longe praeferimus; atque adeo ex hac parte Imperatoris huius innocentiam, aliorum exempla imitati, defendere vindicareque conabimur.

VI. Illud vero putidum plane commentum eſt, quando nonnulli Iuſtinianum *immortalitatis* ſuae opinione infatuatum fuiſſe tradunt; ſua ſine dubio decepti ignorantia, cum *Æternitatis Divinitatisque* vocabula ſibi tribuiſſe legerent Imperatorem, exemplo Conſtantii apud AMMIANVM MARCELLINVM. Fabula item eſt, quando maximus ille Heros Beliſarius (quem VELSERVS male autumat fuiſſe Germanum) poſt tot illuſtria bella feliciſſime geſta, devictosque adeo Perſas, Vandalos, Gothosque ad mendicitatem ab eodem Iuſti-

niano redactus oculisque privatus memoratur; nugantibus Graeculis, a quibus deceptus IOANNES TZETZES et poſt eum Latini EGNATIVS, CRINITVS, VOLATERRANVS, PONTANVS aliique. Calumniis aliquando petitum et imperio fuiſſe ſpoliatum minime negamus; ſed eundem priori mox reſtitutum eſſe dignitati et ad veterem revocatum gloriam genuina priſcorum monumenta teſtantur; inter quae iure meritoque AGATHIAM et MARCELLINI COMITIS CONTINVATOREM referimus, quibus etiam ipſius PROCOPII ſilentium maximum pondus addit.

SYLLA-

SYLLABUS ET ARGUMENTUM VOLUMINIS POSTERIORIS.

I. ORATIONES.

A. ACADEMICAE ARGENTINENSES.

1717. 1) Oratio, qua ſiſtitur Germanicus, rarum Principis ad Spem Imperii nati exemplar. — — pag. 1.

1719. 2) = conſecrandæ memoriæ Io. Henr. Barthii, Doctoris Theologi. — — — — 25.

1720. 3) = conſecrandæ memoriæ Io. Caſpar. Kuhnii, Hiſtor. et Eloq. Profeſſ. — — — 43.

1721. 4) = Inauguralis, Hiſtor. et Eloq. Profeſſoris munus quum auſpicaretur, de Eloquentiæ Romanæ fatis. — — — — — 61.

1728. 5) = In auſpiciis Rectoratus Academici, de Pyrrhoniſmo hiſtorico. — — — — 71.

1729. 6) = In promotione Philoſophiæ Doctorum, de Præmiis Eloquentiæ. — — — — 84.

B. THOMANAE, IN CANONICORUM INAUGURATIONIBUS HABITAE.

1755. 1) Inauguratio Canonici Thomani in Capitulo, in Choro, in Quæſtura. — — — — 91.

= 2) Alia formula alio tempore. — — — — 94.

= 3) Alia formula alio tempore. — — — — 95.

C.

C. Palatinae.

1763. 1) Oratio pro Inauguratione Academiæ Electoralis Theodoro-Palatinæ. — — — pag. 96.
1764. 2) = poſt ferias Vernales. — — — — 99.
= 3) = annua poſt inſtitutam Academiam — — 101.
1765. 4) = de Principibus Palatinis doctis. — — 104.
= 5) = de Palatinis Electoribus doctis ex familia Simmerenſi. — — — — — 107.
1766. 6) = poſt ferias Autumnales. — — — 112.
1767. 7) = poſt ferias Vernales. — — — — 113.
= 8) = poſt ferias Autumnales. — — — 115.
1768. 9) = poſt ferias Vernales. — — — — 117.

D. Alloquia ad Reges Principes et Magnates.

1725. 1) Alloquium ad Stanislaum I. Poloniæ Regem. — 119.
= 2) Ad Filiam Stanislai, futuram Franciæ Reginam. — 120.
= 3) Ad Antinum Ducem, Legatum XV. Extraord. ad Cerimonias Nuptiarum. — — — — 121.
= 4) Ad Aurelianenſem Ducem, qui repræſentavit Regem die Nuptiarum. — — — — — 122.
= 5) Ad Stanislaum Regem, die Nuptiarum filiæ eius cum Ludovico XV. — — — — — 123.
= 6) Ad novam Reginam Franciæ, die Nuptiarum. — 124.
= 7) Ad Reginam Franciæ, quum diſcederet Argentina. 125.
= 8) Ad Reginam Poloniæ. — — — — — 126.

1725. 9) Ad Stanislaum, die quo Argentina diſceſſit. pag. 127.
1738. 10) Ad Principes Haſſo-Darmſtadienſes, Argentorati ſtudiorum cauſſa quum verſarentur, gratulatio ſub auſpiciis anni. — — — — — — 128.
1741. 11) Ad Principem Sabaudicam, Annam Thereſiam, quum Principi Rohanæo-Soubizio nuberet. — 129.
1742. 12) Ad Principem Rohanæo-Soubizium de Ventadour, Epiſcopatus Argent. Coadjutorem, quum Epiſcopus in partibus infidelium conſtitueretur. 130.
1744. 13) Ad Ludovicum XV. quum e Belgio Argentoratum veniſſet, obſeſſurus Friburgum. — — — 131.
1745. 14) Ad Landgraviam Haſſiæ, Victoriam Chriſtinam, quum nuberet Rohanæo Principi Carolo. — 132.
1747. 15) Ad Delphinam Franciæ, Mariam Ioſepham, cum e Saxonia tranſiret in Galliam atque Argentoratum adiret. — — — — — — — 133.
═ 16) Ad Principem Amandum Gaſtonem Rohanium, Argentinenſem Epiſcopum. — — — — 134.
1750. 17) Ad Principem Rohanæo-Soubizium, Argent. Epiſcopum. — — — — — — 135.
1751. 18) Ad Ludovicum XV. Compendii, quum Alſatiam illuſtratam Ei offerret. — — — — — 136.
1752. 19) Ad Principem Rohanæo-Soubizium, Epiſcop. Argent. — — — — — — — 137.

1760. 20) Ad Marchionem Hoſpitalium, quum Legatus ad Imperatricem Ruſſorum ex Ruſſia rediret in Galliam. — — — — — — pag. 138.

1768. 21) Ad Regem Daniæ, Chriſtianum VII. quum Lutetia in Regnum ſuum rediens Argentoratum inviſeret. 139.

1737. 22) Ad Marchionem de Mirepoix, quum Legatus proficiſceretur Vindobonam. — — — — 140.

1739. 23) Ad Eundem, quum Legatus Lutetia Vindobonam rediret. — — — — — — 141.

II. PROGRAMMATA.

A. Funebria.

1736. 1) In funere M. Io. Iac. Moſcheroſchii. — — 142.

= 2) = = M. Io. Schmidii. — — — — 150.

1737. 3) = = Guil. Erneſt. Schœleri. — — — 158.

= 4) = = Io. Dan. Schefferi. — — — — 162.

B. Rectoralia.

1729. 1) Cum deponeret Magiſtratum Academicum. — 166.

1737. 2) In abdicatione Rectoratus Academici. — — 168.

C. Doctoralia.

1729. 1) In promotione IV. Candidatorum ſecundæ et totidem primæ Laureæ. — — — — — 170.

1737. 2) Quum crearentur Doctores philoſophi IX. Baccalaurei VII. — — — — — — 172.

D. Invitatoria ad Orationes aliorum.

1721. 1) Ad Orationem Io. Thomæ Scherzii, celebraturi Io. Schenckbecherum. — — — — 174.

1726.

1726. 2) Ad Orationem Io. Georgii Fuchſii, laudaturi Marcum Ottonem. — — pag. 178.
= 3) = = Io. Frid. Friedii, Alſatiæ dotes expoſituri. 181.
1732. 4) = = Iac. Frid. Mollingeri, laudaturi Divum Ludovicum. — — — 184.
= 5) = = Chriſt. Ludov. Scheidii, parentaturi Io. Valent. Scheidio. — — 187.
1733. 6) = = Frid. Gabr. Bachelbl de Gehag, Onolsbacenſium Principi Principem Heredem gratulaturi. — — — 189.
1735. 7) = = Phil. Chriſt. Rangii, de Carolo Andegavenſi in Regno Neapoleos Victore dicturi. 191.
1740. 8) = = Car. Chriſtoph. Eccardi, novum inventæ Typographicæ Artis Seculum literato orbi gratulaturi. — — — 193.
1748. 9) = = Io. Dan. Frœreiſenii, Pacem Weſtphalicam verum felicitatis Alſaticæ fundamentum propoſituri. — — 200.

III. INSCRIPTIONES.

1705. 1) Epitaphium Phil. Chriſt. Geyling ab Altheim. 202.
1709. 2) = = Iac. Frid. Wormſer a Vendenheim. 204.
1712. 3) = = Io. Bened. Schneideri. — — 206.
1714. 4) = = Io. Rudolphi Graffii. — — 208.
= 5) = = Annæ Mariæ Obrechtiæ, natæ Bœcleriæ. 210.
1715. 6) = = Conradi Comitis a Roſen. — 211.

1715. 7) = = Salomæ et Margarethæ de Rothberg. pag. 213.

1717. 8) = = Sigfridi Bock de Blæsheim et Gerſtheim. 215.

1718. 9) = = Mariæ Sal. Brandtiæ. — — 217.

1721. 10) = = Henr. Dieter. Geyling ab Altheim. 218.

1722. 11) = = Annæ Claræ Geyling ab Altheim, ex Wormſeriis. — — — 219.

= 12) = = Ierem. Adami Leiterſpergeri. — 220.

1729. 13) = = Io. Caſpari Muſtingeri. — — 221.

1732. 14) = = Io. Henrici Bœcleri. — — 223.

1734. 15) Inſcriptio Speculæ Aſtronom. Argent. — 225.

1735. 16) Epitaphium Frid. Lud. Waldner a Freundſtein. 226.

1737. 17) Inſcriptio Theatri Anatomici Argent. — 228.

= 18) Epitaphium Io. Henr. Lederlini. — — 229.

= 19) Epigraphe Monumenti, ſummitati viæ regiæ iuſſu Ludovici XV. in Vogeſo A. MDCCXXVIII. factæ imponendi. — — — — 131.

1738. 20) Inſcriptio in Iubileum Sereniſſ. Principis, Erneſti Ludovici, Landgravii Haſſo-Darmſtattini, quum L. annis Principatum tenuiſſet. — — 232.

= 21) Epitaphium Ludovici Gayot. — — 234.

= 22) Inſcriptio Hoſpitalis Hagenoenſis. — — 235.

1739. 23) Epitaphium Dan. Schœpflini. — — 236.

1740. 24) Monumentum erectum Brundruti, in memoriam Rebellionis ſedatæ. — — — 237.

1741.

1741. 25) Epitaphium Io. Henr. Deckeri. — pag. 238.
1743. 26) Inſcriptio Molis Rohaneæ. — — 239.
1745. 27) Pietatis filialis, maritalis, paternæ Monumentum Benj. Gloxin erexit.
a Pietatis filialis. — — — — 241.
b. Pietatis maritalis. — — — 242.
c. Pietatis paternæ. — — — 243.
1747. 28) Epitaphium Io. Caſp. de Harſel et Mar. Evæ Scheppeliæ, Conjugum. — — 245.
1748. 29) = = Hieron. Comitis ab Erlach. — 247.
1750. 30) = = Mauritii a Saxonia Comitis, Franciæ Archimareſchalli. — — 248.
1752. 31) Inſcriptio Monumenti Viæ publicæ, prope rupes, quæ dicuntur *les Roches de Court.* — 250.
1754. 32) = = Villæ Pauli Galluccii l'Hoſpital. — 251.
1757. 33) Epitaphium Franc. de Broglio, Comitis de Revel. 253.
1759. 34) = = Auguſtæ Bened de Gemmingen. — 254.
1760. 35) = = Samuelis Meriani. — — 255.
1762. 36) = = Io. Iacobi Sachſii. — — 257.
1763. 37) = = Georg. Dan. Weinemeri. — 259.
1764. 38) = = Uxoris Comitis a Waldner. — 261.
1768. 39) Inſcriptio ponenda ad radices montis, cui ſuperædificatum eſt fanum S. Apollinaris, inter Andernacum et Bonnam, ad ripam Rheni. — 262.

1769. 40) Inſcriptio, quum Car. Alex. Lothar. Duci nova Vota offerret Belgium. — — pag. 263.

IV. APPENDIX HISTORICA.

1733. 1) Stanislai I. in Regem Poloniæ Electio, e Jure publico Poloniæ defenſa. — — — 264.

1720. 2) Theſes Diſſert. de Origine, fatis et ſucceſſione Regni Navarræ olim annexæ. — — 292.

1723. 3) Obſervationes hiſtorico-criticæ. — — 294.

= 4) Miſcellanea hiſtorica. — — — 300.

= 5) Selecta hiſtorica. — — — — 306.

1725. 6) Obſervationes hiſtoricæ, quibus Origines Romanæ diſcutiuntur. — — — — 312.

= 7) Analecta hiſtorica. — — — — 319.

= 8) Varia critica. — — — — 326.

EXPLICIT VOLUMEN POSTERIUS.

CARLSRUHAE
Typis Lotterianis deſcripſit
Io. Frid. Cornel. Stern.



LL
S3673R
Schoepflin, Johann Daniel
Opera oratoria; ed. by Ring. 2 vol.in 1
12119

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED